P. OVIDII NASONIS

METAMORPHOSES

RECENSVIT

VARIETATE LECTIONIS NOTISQVE
INSTRVXIT

GOTTLIEB ERDMANN GIERIG.

EDITIO TERTIA EMENDATA ET AVCTA

CVRA

JOANNIS CHRISTIANI JAHN.

TOMVS PRIOR.

LIPSIAE
SVMTV E. B. SCHWICKERTI
MDCCCXXI.

PRAEFATIO.

Cum librarius Gierigianam Metamorphoseon Ouidianarum editionem, diuenditis secundae editionis exemplis, denuo typis excutendam instituisset; a me impetrauit, vt eius retractandae curam susciperem. Qua quidem in re illud mihi maxime agendum esse videbatur, vt omnia ea, quae b. Gierigius suae editioni inesse voluerat, quam integerrima seruarem. Gierigius autem cum in prima editione textum Metamorphoseon ex Burmanni recensione dederat, in altera tamen multis locis, quibus temere ab Heinsio et Burmanno aut coniecturae obtrusae, aut vitiosa lectio relicta erat, e codicibus Mss. veram lectionem reddiderat; in nonnullis tamen haud leuiter a vero aberrauerat. Subsidia critica nulla habuit, nisi quae in Burmanniana editione maiore continentur. Vt enim ipse nouos Mss. codices non contulit, codicis Vpsalensis autem lectiones, quas Aureuillius vulgauerat, frustra quaesiuit; sic etiam ea, quae passim VV. DD. ad alios scriptores aut in Obseruationum libris de singulis Metamorphoseon locis monuerunt, aut rauro aut nunquam fere respexit; si ea, quae Censores quidam ad suam priorem editionem monuerant, exceperis. Consuluit tamen *Lenzii* et *Schirachii* commentarios et *Rodii Safftiique* versiones. Quod autem varias lectiones ad Ouidii Metamorphoses ex codicibus excerptas attinet, multos codd. Mss. contulerunt

Regius, Farnabius, Constantinus Fanensis, Ciofanus, Viuianus, Francius, Gruterus, Gebhardus aliique. Sed carptim tantum ex iis varias lectiones afferunt. Non melius versatus est *Nic. Heinsius*, qui etiamsi quam maximum codicum collationumque numerum habuit (de qua re nonnulla disputauit *Burmannus Secundus in Vita Heinsii*, quam eius Aduersariis praefixit); in enotanda tamen lectionis varietate negligentissimus fuit. Eum enim in hac re male versatum arguunt non solum ea loca, quibus, vt ad Metam. II, 567, ipse fatetur, se pigere, varias lectiones adferre [1]); sed etiam infra pauca exempla dabo. Heinsii collecta ad Ouidium habuit *Burmannus*, qui et ipse nonnullos codices et quasdam editiones veteres passim inspexit. Quamquam enim *Hillerus* (in *Programmate de papilione ferali* ad Ouid. Metam. XV, 373. Vitemb. 1761, 4. pag. V.) *nitidam Burmanni operam, variarum lectionum cumulandarum, quam rei ipsius enodandae studiosioris*, laudat, tamen neque hic satis accurate hanc rem peregit [2]). Maxime autem Heinsius et Burmannus in eo a vero aberrarunt, quod saepe, reiectis sanis codicum lectionibus, coniecturas suas textui obtruserunt. Vide, quae de hac re monuit *Wernsdorfius* in *Praefat., ad Ouidii Amatoria* (Helmstadii 1802, 8.) pag. I–III. Tres veteres Metamorphoseon editiones contulerat *Capoferreus*; sed huius tamen collationis maximam partem postea amisit. A reseruatis pauca tantum *Animaduersionibus* suis *in Ouidii Metamorphoses* inseruit. Codices etiam

1) Huc pertinent etiam eiusmodi loca, in quibus aut aliquam lectionem veram praedicat, reliquas vero reticet (vt Metam. VIII, 775), aut scripsit, „*alii aliter*," vel, „*codices magnopere variant*."

2) Negligentiae exemplum adfert Burmann. Secund. ad Propertium II, 18, 8 p. 136, monens, patruum suum errore calami ad Metam. II, 339 ex cod. Gronou. notasse lectionem *aperto pectore*, cum in eo *aperto corpore* legatur.

habuit *Gifanius*, quos passim commemorat. (Conf. Ciofan. Praefat. ad Ouid. Metamorph. T. IV, p. 145 ed. Burm.) Alios inspexit *I. Fr. Gronouius* (in Obseruationibus, Diatribe ad Statium et ad Liuium passim adductos), quibus tamen et Nic. Heinsius usus esse videtur. Ex duobus codicibus, altero Wittiano, altero non denominato, interdum varias lectiones laudat *Burmannus Secundus* (vid. ad Lotich. p. 375. 384. 250. ad Anthol. Lat. Tom. I. p. 24. ad Propert II, 18, 8. p. 368 et alibi) qui etiam patrui sui collationes habuisse videtur. *D'Oruillius* suam Metamorphoseon membranam adducit ad Chariton. p. 368 ed. Lips. et alibi. Vetustum codicem Monacensem Metamorphoseon contulit *Werferus*; (vid. Acta Monacc. Tom. I. Fasc. IV. p. 525) cuius praematura morte Ouidius magnam iacturam fecit. Accepit cum hanc tum alias Werferi collationes ad Ouidium collectas Handius, V. Cl., qui, nisi fallor, novam Ouidii editionem parat. Egregie autem de hoc Ouidii opere meritus est *Fr. Henr. Bothius*, qui duorum codicum, alterius Berolinensis, alterius Heidelbergensis, collationes edidit [3]). Adiunxit his variis lectionibus suas in Metamorphoses notas, in quibus multa loca bene tractauit. Est tamen huius viri intempestiua quaedam corrigendi cupiditas, ex qua multa loca sine iusta caussa sollicitanit, recte quamquam iusto grauius propterea reprehensus a *Groebelio* [4]) et

3) *Friderici Henrici Bothii Vindiciae Ouidianae, siue annotationes in P. Ouidii Nasonis Metamorphoseon libros XV, in quibus annotationibus recensentur lectiones codicis Ms. Academiae Regiae Berolinensis. Accedunt Io. Heurici Vossii, V. Cel., lectiones et Notae.* Gottingae 1818. 8. *Varietas potior in Metamorphoseon codice Palatino. Argumentum eius carminis metricum. Vindiciis Ouidianis adiecit F. H. Bothe.* Gotting. eod. an.

4) In programmate, quod inscriptum est: *Ad sacra semisaecularia Regis Potentissimi et Clementissimi Friderici Augusti d. XXI. Septbr. MDCCCXVIII in schola, quae Dresdae est*

Elstero[5]). Codex Berolinensis autem, quem Bothius pag. 1 et 2 describit, est chartaceus et formae maximae. Continet omnes Metamorphoseon libros cum glossematis interlinearibus et marginalibus, neque tamen multis. Scriptum eum esse, saeculo post Christum natum XV, inscriptio aliqua indicat; sed Bothius eum ducentis fere annis antiquiorem esse censet, atque Italum, aut certe ex Italico pendentem, euincere studet. Lectiones exhibet optimas, et cum optimis codicibus saepe conspirat. Eundem codicem iam ante Bothium inspexit *Christ. Conr. Sprengel.* (*Neue Kritik der klassischen Roemischen Dichter in Anmerkungen zum Ovid, Virgil und Tibull.* Berlin 1815. 8. p. 41. 95. 97. 114.) Non satis diligenter tamen hunc codicem contulisse videtur Bothius, quod multis in locis augurari licet. Ipse etiam p. 1. fatetur, se ea, quae in nominibus, propriis praesertim, errata sint, vbique enotare operae pretium non duxisse. Sprengel. autem p. 41 ad Metam. VIII, 725 ex cod. Berol. citat lectionem, *sint*; Bothius exhibet, *sunt*. Sic ad Metam. XV, 713 Sprengel. p. 114 adfert *lenastiferumque* pro *lentisciferumque*; de qua lectione Bothius tacet.[6]). Codex Heidelbergensis autem membranaceus, formae secundae (4 oblong.), saeculo XII post Chr. n. scriptus, Heidelbergae in bibliotheca Academica seruatur, et numeratur 1661. A duobus tribusue satis negligenter scriptus, saepissime rasuras, interdum etiam lituras exhibet. In medio et in fine, foliis abscissis, nonnulla desunt. Eo-

ad Aedem Crucis, officiose celebranda obseruantissime inuitat Chr. Ernest. Aug. Groebel, Rector. Praemissum est Obseruatt. in scriptt. Romanor. classicos Spec. I. Dresdae. 16 S. 4. pag. 3.

5) *Ad P. Ouidii Metamorphoseon libros obseruationes nonnullas conscripsit et loco Programmatis scholastici exhibuit Ioh. Christ. Elster.* Helmstadii 1820 21 S. 4. Totus hic libellus in eo versatur, vt Bothii coniecturas nonnullas reiiciat.

6) Sprengel. inde legendum esse coniecit, *celastriferumque.*

dem codice iam vsi sunt Gruterus et Nic. Heinsius. Gruterus eum Palatinum primum, Heinsius et, qui eum sequitur, Burmannus secundum appellant [7]). Huius codicis potiores tantum lectiones dedit Bothius, cum A. I. Paulssenius eius αὐτόγραφον in Apparatu critico Vratislauiensi editurus sit. Est autem haec collatio Heinsianae negligentiae exemplum apertissimum. Cum enim raro tantum eius varias lectiones respexerit, multas, quae in eo deprehenduntur, plane omisit; plurimas ex aliis quidem codd. attulit, huius autem nullam mentionem fecit; haud raro etiam plane alias lectiones, quam ille exhibet, ex eo commemorauit. Sic Metam. I, 155 ex hoc cod. citat *subiecto Ossa*. Bothius, qui eum cum edit. Burm. maiore contulit, et nihil notat, legisse videtur *subiecto Ossam*. I, 238 Heinsius, *vultus*; Bothius *vultu*. VIII, 663 Heins. *tersere*, Bothius *extersere*. X, 123 Heins. *sternebas*, Both. *texebas*. I, 161 Bothius laudat *obnoxia caedis*, quod ex primo tantum Palat. adfert Burmannus. Hinc equidem codicem non secundi Palatini nomine insigniui, sed Heidelbergensem nominaui. Contra secundi Palatini nomen reliqui, vbi iam Heinsius aliquam lectionem ex eo notauerat. — Ex his duobus autem codicibus eas, quae potiores videbantur, lectiones excerpsi et huic editioni inserui. Omnes enim addere huius operis ratio non ferebat. Diligenter etiam consului reliquorum codd. collatorum varias lectiones; et ex iis, quas a Gierigio non recte omissas putarem, adscripsi. Aliam operam in eo posui, vt nomina Manuscriptorum, quantum fieri poterat, diligentius, quam Gierig. fecerat, adderem, sin minus, certe indicarem, vtrum aliqua lectio sit meliorum aut

7) Palatinos codd. etiam contulit Gebhardus, cuius collationibus vsus est Dan. Heinsius. Sed in eorum numero noster codex non fuisse videtur.

plurimorum codicum. Est enim adhuc haec in Ouidio critica ratio, vt codices non ponderare, sed numerare tantum possimus. Coniecturas virorum doctorum, quas Gierig. praeter eas, quae in Burmanni editione leguntur, raro notauit, accuratius respiciendas duxi. Cum autem earum tam ampla sit multitudo, vt haud raro codicum lectiones numero nisi superent, certe aequent, potiores tantum deligere placuit. Commemoraui interdum etiam eos, qui singulis in locis hanc illamue codicum lectionem defenderunt. Fuerunt autem post Heinsium et Burmannum multi, qui etiamsi nouam editionem Ouidii non pararent, tamen multa loca ex scriptis eius tractarent. Vt enim eos praeteream, qui aut alios quidem Ouidii libros, neque tamen Metamorphoses, aut ex his non nisi hunc illumue locum in suis commentariis ad alios scriptores conscriptis attigerunt, multa Metamorph. loca emendare studuit *Georgius Waddelus* in *Animaduersionibus Criticis in locc. quaedam Virgil. Horat. Ouidii et Lucani et super illis emendandis coniecturis.* Edinburgi 1734. 8. p. 97—120. Multa emendantur et explicantur in *Miscellaneis Obseruationibus* a *Burmanno* primum et postea a *D'Oruillio* editis. Inprimis ibi *G. S.* quidam, quem V. D. in Ephemeridibus Ienens. a. 1814. Nr. 15. p. 116. *Schraderum* dicit, Obseruationes in Burmanni editionem edidit. *Withofius*, cum in Misc. Oberuatt., in quibus se *Claudium Ciuilem* nominauit, tum in *Praemetio Crucium Criticarum* aliisque libellis multas in Ouidium coniecturas proposuit, quarum maximam partem collectam reperies in libro: *Ioh. Hildebrand Withof's kritische Anmerkungen über Horaz und andere Röm. Schriftsteller. Herausgegeben von H. A. Grimm.* Duesseldorf 1791—1798. 8. IV Fascc. *Schraderus* in *Obseruationibus* et *Emendationibus* passim Ouidio medelam affert, et nominatim in

Emendatt. cap. X—XIII de versibus in Ouidio spuriis agit. Huc pertinent etiam ea, quae *Burmannus Secundus* ad *Lotichium*, ad *Anthologiam Latinam*, ad *Propertium* et *Wakefieldius* ad *Lucretium*, ad *Sophoclem* et in *Silua Critica* de plurimis Ouidii locis monuerunt. *Bothii Vindicias Ouidianas* iam supra adduximus, quibus ille simul *Io. Henr. Vossii* in Metamorph. *emendationes* adiecit. Hos quidem et alios, vt *Bentleium*, *Oudendorpium*, *D'Oruillium* etc. saepissime consuluimus. *Animaduersionum in loca quaedam veterum poëtarum eorumque vertendorum periculum fecit. Henr. Crede* (Marburg. 1792.) in quo libro de pluribus Metam. locis verba fecit. Sed cum fere vbique res tractet admodum leues, non magnopere de Ouidio meritus est. Quapropter autem *Chr. Conr. Sprengelii Neue Kritik der klass. Roem. Dichter*, raro tantum respexerim, quisque facile intelliget, qui, quam peruersa ratione ille poëtarum Latinorum interpretationem susceperit, compertum habet. Etenim fere vbique id egit, vt poëtis aliquid obscoeni aut versui hiatum inferret 8). *Ioannis Christiani Elsteri* libellus, supra adductus, serius apportabatur 9), quam vt

8) In nonnullis tamen locis sententiam nisi veram certe ingeniosam profert. Sic II, 117. *extremam lunam* intelligit eam, quae paucis diebus ante nonilunium conspicitur, vbi exigua tantum eius pars apparet. II, 839 satis ingeniose explicat, qua ratione *Sidonis tellus a parte sinistra* sita dici possit. Ouidius enim, inquit, Iouem tamquam Romanum loquentem inducit. Romani autem regiones versus Orientem sitas ad sinistram manum sibi esse dictitabant. VIII, 236 cor. *dumosa ab vlice*. Sed in plerisque interpretem aut nimis audacem aut nimis lasciuum se exhibuit.

9) Tractat quinque Metamorphoseon loca, sed ita tamen, vt magis Bothii tantum coniecturas reiiciat, quam certam locorum ipsorum interpretationem exhibeat. Praeterea illud ei accidit, vt, cum Bothii correctiones non admittendas esse ostenderet, ipse coniecturas proponeret multo minus ferendas. Etenim Metam. I, 205 merito Bothii versum eiicientis rationem improbat, et vulgatam lectionem veram habet; sed tamen etiam coniecit: *Qui postquam voce manuque (Substiterat clamor*

eo vti potuissem [10]). His igitur subsidiis criticis adiutus, Gierigianam hanc editionem ita recensui, vt variis lectionibus eas adderem, quas Gierigius aut non respexerat, aut respicere non potuerat. In commentario ea, quae Gierigius minus bene interpretatus est, emendare studui; sed ita tamen, vt Gierigii verba seruarem, et meam sententiam iis subiungerem. Neque vero hoc factum est in omnibus locis, in quibus mihi dissentiendum esse videbatur; ne, si vbique meam

pressus gravitate regentis) *Murmura compressit, tenuere silentia cuncti.* Quae emendatio nisi inepta, certe admodum languida et Ouidii ingenio plane indigna est. Bene autem II, 39 Bothii coniecturam refutat. Quod autem III, 99 Bothii *deum pauidus* ingeniosum dicit et ipse corrigit *sui pauidus*, Ouidium non recte intellexisse videtur. Cadmus enim, voce illa audita, per aliquod tempus perterritus (*diu pauidus*) stetit, donec ex improuiso Pallas adest. Sic profecto nihil est, quod in illo loco offendere possit. IV, 768 Bothii sententia ipsi non placet; sed quid de toto loco statuendum sit, dubius haeret. Denique ad VI, 200 monet, orationis vbertatem et abundantiam inde explicandam esse, quod Ouidius *declamatorium fucum* poësi admiscuerit. Declamatorum autem scholas multum in Ouidium valuisse, ita vt in carminibus suis saepe non poetae sed rhetoris partes agere videatur, iam monuerat Vulpius ad Tibull. II, 4, 8 p. 113. Certe in Metamorphoseon libris haec orationis abundantia, quae in nostro loco est, vbique deprehenditur. Praeterea Elsterus addit, Ouidium cum in hac Niobes liberorumque descriptione, tum alibi (vt II, 873 sqq. VI, 105 sqq.) ante oculos habuisse aut tabulas pictas, aut opera sculpta, aut alia artificum opera. Quod autem versus illius crisin attinet, eam satis leuiter V. D. attingit, et corrigit: *Latonae, turbā quae quantum distat ab orba?* i. e. „quae „cum ista sua turba (per antiphrasin — contemtim!) quantum „(i. e. quam parum) distat ab orba?"

10) Serius etiam cognoui explicationem Metam. I, 682, *euntem multa loquendo Detinuit sermone diem*, quam Fr. Platz in Seebodii Biblioth. crit. 1820 Tom. I Fasc. VI, p. 499 seq. protulit. Ille enim *detinere diem* explicat producere diem eumque quasi narratione longiorem reddere, vt sensus sit: Mercurius multa narrando diem produxit et dum Argo taedium creat et simul fistulae sono somnum aduocat, eum sopore opprimere studet. Sed eandem loci interpretationem iam proposuit Seidenstuecker in Wiedeburgii Philol. paedagog. Magazin Tom. I. Fasc. III, pag. 217 — 222. Locum ex Epistt. ex Ponto IV, 10, 67 allatum, qui Gierigii explicationem confirmare possit, ita mutat Platzius: *Detinui curas, tempusque fefelli.*

quoque interpretationem adderem, in nimiam molem editio cresceret. Interdum etiam aliorum interpretationes apposui, quod iam Gierigio placuit, qui vbique quae Lenzius et Schirachius de singulis locis monuerunt, commemoravit. Vt autem haec additamenta mea a Gierigii notis discerni possent, vncinis () aut [ ] ea inclusi; interdum etiam E., editoris signum, et Gierigii verbis G. apposui. Textum, quem Gierig. exhibuerat, intactum relinquere constitueram. Sed cum nonnullis in locis lectio a Gierigio recepta nullo modo ferenda [11]), et necessario emendanda esset, his mutatis, etiam in aliis id mihi indulsi. Feci tamen tum demum, cum codicum auctoritas, aut sensus id efflagitarent. Hinc etiam eo processi, vt integros versus, qui iniuria ab editoribus omissi esse videbantur, (vt IV, 446. VIII, 525.) in textum reponerem. Saepius interpunctionem mutaui, cum in hac Gierigius paullo negligentius versatus esse videretur. Ne autem hic iam satis amplus liber additamentis his amplior etiam redderetur, librarius varias lectiones et commentarium minoribus typis, quam in secunda editione factum erat, excuti iussit, quo illud effecit, vt in tomo primo paginarum numerus non maior, sed minor sit, quam in secunda editione. Vitia typographica, quae nonnulla irrepserunt, sub fine secundi tomi indicabo. Interim haec emendata velim: pag. 2. in Var. Lect. lin. 5 lege, *adiuuetis* pro *adiuuatis*. p. 6. in Not. sect 1. lin. 11. lege, *leuius* pro *lenius*. p. 8. in Var. Lect. l. 8 leg. *maluit* et in Not. sect. I l. 7

11) Sic IV, 336 Gierig. ediderat: *Desine, aut fugio* etc. non respiciens hiatum. VI, 185 haud dubie ex vitio typographico legebatur: *Nescio quoque audete genitam Titanida Caeo,* vbi tamen Gierigii lectionem reliqui, nisi quod *satam* scripsi. Metam. VIII, 124 idem recepit: *Et verus et captus nullius amore iuuenci.*

post *compositam* pone comma et insere *vt* p. 13. vs. 84. lege *moderantum*, pro *moderandum*. p. 17. vs. 106. post *glandes* pone punctum. p. 20. Var. Lect. l. 3. leg. *talem*. p. 22. vs. 136. leg. *Cautus*. p. 31. Var. Lect. l. 16. l. *nolis* et *maluit*. p. 33. vs. 226. leg. *iugulum*. 56. vs. 479. post *lustrat* pone comma. p. 57. Var. Lect. l. 4. leg. *abolentur*. p. 71. Var. Lect. l. 3. pro *Conataque* l. *et conata* et pro *vt ripas* repone *vt patrias*.

Sed haec hactenus. Vtrum autem bene an male susceptum editoris munus peregerim, de eo alii iudicent. Me vbique vera et optima afferre voluisse fateor, attulisse despero. In rem meam vertam illud Ciceronis: „*Boni viri iudicent, id est* „*maximi momenti ac ponderis.*" Scripsi Lipsiae Calend. Febr. MDCCCXXI.

Iahn.

P. OVIDII NASONIS VITA.

P. *Ouidius Naso* a. V. C. 711, C. Vibio Pansa, A. Hirtio Coss. natus est Sulmone in Pelignis, e gente splendida ordinis equestris. Institutus Romae iis literis, quibus puerilis aetas imbui solet, cum toga virili sumsit latum clauum, quem liberis suis ab Augusto expetebant illustres equites. Pater enim reipublicae honoribus destinauerat filium, diligenterque eum deterrebat a studio poëtico, cuius tantam ille venam sortitus erat, vt *sponte sua carmen veniret ad numeros aptos, et quidquid tentaret dicere, versus esset.* Nihilo tamen minus, patre sic volente, etiam eloquentiae operam dedit, et declamando in Rhetorum scholis vocem formauit, vsus institutione M. Arellii Fusci, et M. Porcii Latronis, Rhetoris insignis, quem prae ceteris admirabatur, et cuius sententias complures carminibus suis expressisse traditur. Habebatur, iudice Seneca, bonus declamator, sed oratio eius nihil aliud erat, nisi solutum carmen; sine certo ordine per locos discurrebat, et cum molesta ei esset omnis argumentatio, raro declamabat controuersias. Etiam Athenas studiorum caussa se contulit; mox Asiae Siciliaeque vrbes nobilissimas, duce Macro quodam, cognouit. Sic institutus et praeparatus anno aetatis vicesimo Triumuiratus munere functus est, quod mandabatur adolescentulis, in spem Senatus latum clauum gerentibus. Iudicabant autem Triumuiri isti, Capitales dicti, de capite tenuissimae conditionis hominum, atque carceris custodiam habebant. Postea inter Decemuiros electus est, quorum erat, praeesse centumuiralibus iudiciis. Cum peractis istis honoribus nihil aliud superesset, nisi, vt in Senatum allegeretur, ecce! Ouidius otii voluptatisque illecebris ductus spem Senatus sponte abiecit, positoque lato clauo angustum rursus sumsit. *Nec patiens corpus, nec mens fuit apta labori, Et petere Aoniae suadebant tuta sorores otia.* Priuatus igitur Romae Musis, forte et Veneri, vixit vsque ad annum aetatis quinquagesimum secundum, quo in exsilium missus, ac potius relegatus est ab Augusto. Relegatio enim, quae lenior erat exsilii poena, non fiebat ex decreto Senatus, neque adimebat ius ciuitatis et fortunas. Quae fuerit caussa istius relegationis, quaeritur. Ipse fatetur, duo sibi crimina perniciem attulisse, *carmen* (intel. Artem Amatoriam, quae displicebat Augusto), et *errorem*, sed illum errorem sibi silendum. Siluerunt etiam historici veteres. Suam igitur

haud dubie, aut aliorum coniecturam sequebatur Sidonius Apollinaris, cum caneret, amasse Ouidium Iuliam, Augusti filiam, eamque sub ficto Corinnae nomine carminibus celebrasse. Cuius opinionis leuitatem satis confutarunt Manutius et Massonus. Cum Ouidius ipse passim queratur, se vidisse aliquid, luminaque noxia fecisse, cum porro casum suum cum Actaeonis infortunio comparet: credibile admodum est, reum eum esse factum criminis, quod sibi modo visum et a comitibus suis commissum lectori persuadere conatur. Crimen autem illud fuit fortasse flagitium Iuliae, Augusti neptis, quam certe Augustus eo ipso anno adulterii conuictam in insulam Trimerum relegauit. Tacit. Annal. IV, 71. Sueton. Aug. 65. Propter Amatoriam autem Artem factum arbitror, vt etiam libri eius in partem poenae venirent, atque tollerentur e tribus bibliothecis publicis. Paene puero data erat *nec vtilis, nec digna* vxor, cui successerat mox alia, qua et ipsa dimissa tertiam duxerat, Fabii Maximi filiam. Ea coniugem secutura fuisset ad extremas oras, si per ipsum licuisset. Sed Ouidius, relicto Romae impedimento muliebri, solus per mare Adriaticum, Ionium et Aegaeum vectus in Thraciam venit, et inde pedibus profectus est Tomos, quae vrbs sita erat ad sinum Ponti Euxini, non procul ab ostiis Istri, per cuius agros olim Medea diuulsa fratris membra dissipasse traditur. Hodie vocatur Tomiswar, et annumeratur Bulgariae. Tomitis valde gratus fuit talis tantusque poëta, licet inuisus Augusto. Hi ergo magnis eum Priuilegiis et immunitatibus ornarunt, et, cum carmen de Caesaris laudibus Getica lingua, quae erat Tomitarum vernacula, composuisset, adeo coronarunt. Mortuus est a. aetatis 60. V. C. 770. exsilii 8. sepultusque ante Tomorum portam loco celeberrimo, exstructo ei etiam monumento magnifico. Epitaphium ipse sibi fecit:

Hic ego qui iaceo tenerorum lusor amorum,
 Ingenio perii Naso poëta meo.
At tibi, qui transis, ne sit graue, quisquis amasti,
 Dicere, Nasonis molliter ossa cubent.

Anno aetatis 28 *Amorum* libros in lucem protulit, quinque voluminibus distinctos, e quibus multa videntur inter iuuenilia carmina referenda. Aliquanto post eos iterum edidit in tres libros redactos. Ante hanc secundam editionem foras dedit *Heroidas epistolas*. Postea dedit *Artem Amatoriam* anno aetatis 41. *Remedia Amoris* scripta sunt a. 44, feruente bello Parthico. *Metamorphoses* iam scriptas, sed nondum vltima lima perpolitas, ante discessum suum cremauit. Sed cum operis illius exempla iam essent

distracta, passus est, vt publici iuris fierent. Etiam *Fastorum* libros abrupit illa relegatio; quamquam alii viri docti contendunt, sex posteriores libros absolutos quidem esse a poëta, sed interceptos temporis iniuria. In lucem eos misit sub vitae finem. In itinere scripsit et Romam misit *Tristium* lib. I. cui deinceps additi sunt libri reliqui. In iis elegiis cum non ausus esset veris nominibus appellare amicos, ad quos scriberet, id facere coepit in epistolis *ex Ponto*. Etiam *Ibin* in exsilio scripsit. Tragica etiam carmina composuerat, e quibus ab antiquis auctoribus Medea inprimis laudatur, qua, iudice Quinctil. Inst. Or. X, 4, ostenderat, quantum praestare potuisset, si ingenio temperare, quam indulgere, maluisset.

COMMENTATIO
DE
OPERE METAMORPHOSEON OVIDIANO.

Res antiquissimorum Graecorum ferme omnes, ciuitatum origines, fata et facta heroum, Deorumque religiones, philosophemata etiam, cum, vt in rudi gente et in sermone nondum exculto, *fabulis* essent inuolutae, primi poëtae, iam ante Homerum et Hesiodum, iis varie tractandis ingenia exercuerunt; horumque vestigia presserunt tam quibus postea theogonias atque cosmogonias componere placuit, quam qui Cyclici dicti sunt. Lyrici etiam hymnos in Deos laudesque heroum fabulis exornarunt, et Tragici dramatum suorum argumenta inde repetierunt certatim. Neque poëtarum ingeniis solis ampla illa materia est relicta; sed ante et circa bella cum Persis gesta exstiterunt, qui, vt gentis suae orgines conderent, fabulas illas, quales erant a maioribus traditae, voluminibus complecterentur; in quibus Pherecydes, Acusilaus Argiuus, Hecataeus Milesius et Hellanicus inclaruerunt. Illam vero fabularum antiquitus traditarum farraginem, qua tum omnis historia graeca continebatur, nec seriore tempore abiecerunt, qui rerum a gentis suae auctoribus gestarum memoriae consulere voluerunt. Tot igitur scriptorum studiis illa ipsa farrago facta est pars non exigua eruditionis Graecorum, qua passim omnes prope scriptores, philosophi, physici, astronomi, geographi in rem suam sunt vsi: atque etiam artifices mythos operibus suis expresserunt *).

*) Vid. *Heynii* Comment. de origine et caussis fabb. Homeric. in Nou. Commentar. Vol. VIII. item Commentar. de Apollodori Biblioth.

Persuasum erat Graecis, posse Deos figuras dare et adimere; idque crebro esse ab iis factum, vt vel in sontes animadverterent, vel laborantibus succurrerent: quam opinionem a sacerdotibus, fictis pluribus exemplis, confirmatam esse latiusque sparsam admodum est credibile. Sic mythis illatae sunt *metamorphoses*, quae phantasiae poëtarum latum campum praesternebant, cum illi et vulgatas exornarent ingenioseque variarent, et a se inuentas adderent. *Simonidem* quidem carmine lusisse scimus, quo mulierum origines pro ingenii natura variis ex rebus deduceret. Ex antiquissimis huius generis mythis *Homerus* nonnullos et *Hesiodus* seruarunt. Apud illum enim non modo Proteus transformis occurrit, sed et draco quidam, Niobe et Phaeacum nauis in saxa, Pandarei autem filia in lusciniam transiisse leguntur. In Hesiodi Theogonia amputato Gorgonis capite Chrysaor et Pegasus prosiliunt, et in altero carmine, quod ab Operibus inscriptum est, Pandionis filia in hirundinem transformatur. Atque idem ille in Catalogo mulierum deperdito multo plurium metamorphoseon auctor fuerat. Hoc igitur mythorum genus cum et ipsum Graecis placeret, vt qui rebus ludicris ducerentur, prodierunt, qui id segregatum a reliquis tractarent. *Corinna* mulier, cuius aetas incerta, scripsit Ἑτεροίων βίβλους, *Callisthenes* Olynthius, Aristotelis auditor, Μεταμορφώσεις, *Antigonus* Carystius, tempore Ptolemaei Philadelphi, Ἀλλοιώσεις, *Nicander* Attalo II aequalis Ἑτεροιούμενα et *Parthenius* Μεταμορφώσεις. Erant etiam, qui certum sibi transformationum genus enarrandum sumerent, in quibus *Boeus*, cuius ornithogonia id agebat, vt aues omnes factas esse ex hominibus ostenderet *).

Sed multo maius memorabiliusque opus molitus est *Ouidius*. Is enim recte vidit, fabulis illis in se tenuibus, magnam etiam partem ineptis atque absurdis, illecebras esse conciliandas a poëseos ornamentis, a collectione earum, nisi omnium, certe plurimarum, in vnum corpus, et a laudibus Deorum heroumque interpositis. Id autem tanto ingenio tantaque arte effecit, vt suauissime bonarum literarum studiosos ad metamorphoses cognoscendas inuitet teneatque, quin adeo, vt, eo nomine audito, Ouidius statim, tamquam vnus earum auctor, occurrat. Etenim, quod primum est, innumeros huius generis mythos, quot nemo forte ante eum, vndique decerptos collegit. Neque opera eius intra metamorphoseon, quae proprie sic dicuntur, limites substitit,

*) Vid. *Mellmanni* Comment. de caussis et auctoribus narrationum de mutatis formis.

sed sine plenitudinis caussa, siue cosmogonias Graecorum respiciens, in primordio operis originem mundi, creationem hominis, successionem aetatum, ortum animantium ex limo, et libro extremo multa e Pythagorae placitis sumsit. Vnde vero singula hauserit, cum tot libri mythici, tot etiam artium monumenta, quae passim ab eo expressa videntur, perierint, certo dicere non possumus. Itaque, nec constat, vtrum ipse aliquid in fabulis nouauerit addideritque, an Graecorum tantum vestigia presserit. Coniiciunt nonnulli, fabulam de Pyramo et Thisba, tum alteram de Philemone et Baucide, vtramque longe suauissimam, atque etiam de Sidoniis Inus comitibus appendiculam ab ipso esse fictam, sed nulla eius coniecturae caussa reddi potest probabilis. Hoc autem videmus, nihil in hoc genere memorabile ab eo esse praetermissum, et in tanta varietate, qua mythi erant traditi, rationem vbique fere eam esse delectam, quae vel plurimum ornatus admitteret, vt impetus Althaeae in filium, vel decoro commendaretur, quo pertinet mutatio pueri in stellionem, atque Cephali et Procridis fata, quibus turpia nonnulla ab aliis erant admixta. Quam ego laudem non contemnendam arbitror.

Tum artem admirari licet, qua foecundum poëtae ingenium tot fabulas in vnius corporis speciem coniunxit, vt vere *perpetuum* carmen vocari posset. A creatione mundi exorsus lectorem sensim, et cum maxima eius voluptate, deducit per omnium seculorum seriem ad sua tempora, seruata vtcunque temporis ratione. Mille igitur modos inuenit, quibus ab alia fabula transiret ad aliam. Haec se offert, quia similitudo ei quaedam cum superiore intercedit, illa, quia ad eundem hominem Deumue pertinet, aut quia res in eadem terra gesta est. Mox hymni canuntur metamorphoseon pleni, mox mulieres texunt argumenta mythica. Nunc abest a gratulantibus aut condolentibus vnus, quem sua fata retinebant, quae sic non male referuntur; nunc a facto propriore renarrant priora ii, qui rei gestae interfuerant. Interdum sententiae interpositae ad alia nos ducunt; quam tamen frigidam et puerilem adfectationem Quinctil. Inst. IV, 1, 71 nominat, licet non neget, excusari Ouidium necessitate, hoc est lege, quam ipse sibi praescripserit. Loco sententiae nonnumquam plura ex historia repetuntur, quorum ope res dissimillimae iunctae reperiuntur, vt Herculis apotheosis et Galanthidis in mustelam mutatio. Raro nexus reperitur parum probabilis, vt II, 368, ubi Liguriae rex reginae Aethiopiae sanguine iunctus contra fidem traditur; et VIII,

548 in geographiam eo consilio peccatum est, dum Theseo Calydone Athenas redeunti Achelous fluuius obiicitur. Saltu facto V, 572; sed vix alibi transitur. Verum omnis haec connexio fabularum clarius elucescit e serie, quam huic commentationi subiecimus: et opere pretium est in perlegendo opere ipso ad eam attendere.

Hinc videamus, qua arte mythos sic nexos poëta disposuerit atque exornauerit. Plerisque, qui narrantes inducuntur, tribuuntur quae personis eorum connueniunt. Scelestae Pierides canunt, quae Deos dedecent, impia Arachne eorundem flagitia texit; Minyeides, puellae petulantes, amoribus enarrandis indulgent; Orpheus, Thracibus puerorum amorem commendaturus, de pueris canit a Diis dilectis. Varietatis caussa nonnulli sua fata ipsi narrant, vt Arethusa et Achelous, quamquam hic minus commode, cum, quod ei pudori erat, ter victus esset ab Hercule nondum Deo. Cornix adeo coruo vna volanti, quae aues quaedam passae erant, notum facit. Est etiam, vbi Themis mutationes futuras vaticinatur. Nonnullos mythos paucis poëta transmittit, vt Bacchi nutrices vetulas, quibus iuuentus a Medea redditur, et, quod mireris, celebratissimam adeo Gigantomachiam. Quosdam, quippe parum memorabiles, verbo tantum tangit. Sic vna ex Minyeïdibus, dubitans, quid e multis potissimum referat, et altera, praeteritione rhetorica vtens, plurium argumenta breuissime recensent; nec aliter se habent, quae Arachne texit, et quae Minerua cum ea certans in extremis vestis partibus ponit. Medea sublimis fugiens ex aere despicit loca multa transformationibus nota, quae non narrantur, sed tantum attinguntur. Verum in longe plurimis ingenii copias Ouidius effudit, et quantum rebus flumine orationis exornandis valeret ostendit, ea quidem varietate, vt nunc historici, nunc dramatici partes ageret; qua ipsa re plurimum gratiae carmini conciliatur.

Primo ingenium lectori in transformationibus ipsis describendis approbat; in quas enim noui corporis partes singula formae prioris membra transierint, suauissime enarrat, atque ita multorum animantium, multarum item arborum aliarumque rerum naturam mirifice pingit. *Cygno* in auem sui nominis transeunti II, 373,

vox est tenuata viro, canaeque capillos
Dissimulant plumae, collumque a pectore longum
Porrigitur, digitosque ligat iunctura rubentes:
Penna latus vestit; tenet os sine acumine rostrum.

Vbi *Io*, concedente Iunone, priorem formam recipit a Ioue I, 739,

fugiunt e corpore setae;
Cornua decrescunt, fit luminis arctior orbis,
Contrahitur rictus, redeunt humerique manusque.
Vngulaque in quinos dilapsa absumitur vngues.
De boue nil superest, formae nisi candor, in illa:
Officioque pedum Nymphe contenta duorum
Erigitur, metuitque loqui, ne more iuuencae
Mugiat; et timide verba intermissa retentat.

Lyciacos agrestes Latona ranas esse VI, 370 iubet. Itaque

iuuat isse sub vndas
Et modo tota caua submergere membra palude,
Nunc proferre caput, summo modo gurgite nare,
Saepe super ripam stagni considere, saepe
In gelidos resilire lacus. — — — — —
Vox quoque iam rauca est, inflataque colla tumescunt,
Ipsaque dilatant patulos conuicia rictus.
Terga caput tangunt, colla intercepta videntur;
Spina viret, venter, pars maxima corporis, albet,
Limosoque nouae saliunt in gurgite ranae.

Ocyrrhoë, vaticinandi perita, primum praesentit II, 661 fata sua.

Iam mihi subduci facies humana videtur:
Iam cibus herba placet; iam latis currere campis
Impetus est.

Mox sequitur mutatio ipsa:

pars est extrema querelae
Intellecta parum, confusaque verba fuere.
Mox nec verba quidem, nec equae sonus ille videtur,
Sed simulantis equam. Paruoque in tempore certos
Edidit hinnitus et brachia mouit in herbas.
Tum digiti coëunt, et quinos adligat vngues
Perpetuo cornu leuis vngula. Crescit et oris
Et colli spatium: longae pars vltima pallae
Cauda fit. Vtque vagi crines per colla iacebant,
In dextras abiere iubas.

Quamquam hic ingenio abusus est poëta, extremam pallae partem in caudam transformans. *Daphnes* fato instante I, 548

torpor grauis adligat artus,
Mollia cinguntur tenui praecordia libro.
In frondem crines, in ramos brachia crescunt.
Pes, modo tam velox, pigris radicibus haeret:
Ora cacumen obit; remanet nitor vnus in illa.

Saxa unum vultum habent, nec partes discriminatas; nihilo tamen minus in ea quoque transitum iucunde describit II, 820 Aglauro

Surgere conanti partes, quascunque sedendo
Flectimus, ignaua nequeunt grauitate moueri.
Illa quidem recto pugnat se attollere trunco:
Sed genuum iunctura riget, frigusque per artus
Labitur, et pallent amisso sanguine venae.
— letalis hiems paullatim in pectora venit,
Vitalesque vias et respiramina clausit.
Nec conata loqui est; nec, si conata fuisset,
Vocis haberet iter; saxum iam colla tenebat,
Oraque duruerant: signumque exsangue sedebat.

Neque semel tantum illum transitum per partes elocutus est, sed cum varietate saepius. Etenim etiam VI, 303 in *Niobe*

nullos mouet aura capillos.
In vultu color est sine sanguine: lumina moestis
Stant immota genis: nihil est in imagine viui.
Ipsa quoque interius cum duro lingua palato
Congelat, et venae desistunt posse moueri.
Nec flecti ceruix, nec brachia reddere gestus,
Nec pes ire potest.

Nec hoc satis. IV, 551 plures mulieres simul eandem sortem patiuntur.

saltumque datura moueri
Haud vsquam potuit, scopuloque adfixa cohaesit.
Altera, dum solito tentat plangore ferire
Pectora, tentatos sentit riguisse lacertos.
Illa, manus vt forte tetenderat in maris vndas,
Saxea facta manus in easdem porrigit vndas,

et quae plura sequuntur. Hic mutationem generali quidem notione quater exprimit, sed variatis verbis, et quamque mulierem in alio gestu formam nouam induisse fingit. Simile figmentum etiam in *nautis Tyrrhenis*, delphinorum naturam accipientibus, III, 671 reperimus; quamquam ibi et in singulis aliae delphini partes memorantur.

primusque Medon nigrescere pinnis
Corpore depresso, et spinae curuamina flecti
Incipit. Huic Lycabas, In quae miracula, dixit,
Verteris? et lati rictus et panda loquenti
Naris erat squammamque cutis durata trahebat.
At Libys, obstantes dum vult obuertere remos,
In spatium resilire manus breue vidit, et illas
Iam non esse manus, iam pinnas posse vocari.

etc. Eas partes si componis, integer fere delphinus efficitur. Similia II, 346 de Phaëthontis sororibus in arbores transeuntibus leguntur, quas primum singulas ostendit, deinde omnes communi metamorphosi complectitur. Quae paullo ante de saxis dixi, ea et de aqua valent. Sed in huius quoque vniformem naturam mutationes suauiter narrat. *Cyane* V, 428

quarum fuerat magnum modo numen, in illas
Extenuatur aquas. Molliri membra videres,
Ossa pati flexus, vngues posuisse rigorem:
Primaque de tota tenuissima quaeque liquescunt,
Caerulei crines, digitique et crura pedesque
Nam breuis in gelidas membris exilibus vndas
Transitus est. Post haec tergumque, humerique, latusque
Pectoraque in tenues abeunt euanida riuos.
Denique pro viuo vitiatas sanguine venas
Lympha subit, restatque nihil, quod prendere possis.

Tolle verba *Nam breuis — Transitus est,* quibus minime opus erat, et reliqua praeclare se habent. Rursus 632 Arethusa de se,

Occupat obsessos sudor mihi frigidus artus,
Caeruleaeque cadunt toto de corpore guttae.
Quaque pedem moui, manat lacus, eque capillis
Ros cadit.

Interdum nonnulla fiunt inter mutationem aut proferuntur ab iis, quos fatum illud opprimit, vt IV, 575 sqq. dum *Cadmus* et *Harmonia* serpentes fiunt, et IX, 355 Dryope arbor. Sunt etiam fabulae, in quibus transitus ipse paucis memoratur, sed descriptionis loco comparatio additur. Id quale sit, ex IX, 219—25 et 266 intelligitur.

Vtque nouus serpens, posita cum pelle senecta,
Luxuriare solet, squamaque virere recenti,
Sic vbi mortales Tirynthius exuit artus,
Parte sui meliore viget, maiorque videri
Coepit, et augusta fieri grauitate verendus.

His igitur et talibus ingenium satis ostentauit. *Lynca* tamen, in quam *Lyncus* mutatus, non descripsit, neque *cirin*, cuius formam Scylla adsumsit, quamquam illa fera maculis, haec auis pulchritudine insignis. Nec aues satis notauit, quarum figuram Letoia Meleagri sororibus dedit.

Verum transformationes ipsae, licet inde carmen inscriptum sit, minimam eius partem constituunt. Vt amplum prodiret opus, tam ea poëta copiose persecutus est, vnde metamorphoses pendent, quam alia admiscuit a consilio non aliena. Phaëthontis fata nullam habent formae

mutationem, iis tamen magnam libri secundi partem impleuit, vt per ea ad sorores transiret in arbores, dum fratris casum lugent, versas. Mutatio sororum Meleagri duobus versibus absoluitur; sed ad eam longissima illa ὁδὸς VIII, 260 — 543 peruenitur, quae tota in apri Calydonii venatione et in lucta Althaeae, filio necem parantis, versatur. Aesonem, Iasonis patrem, iuuenem Medea reddiderat. Hoc narraturus Ouidius VII, 159 — 293 in totam artem magicam excurrit. Pestem, quae Aeginam insulam exhauserat incolis, Minoisque cum Atheniensibus bellum nobis VII, 472 sqq. retulit, vt Myrmidonum e formicis originem proderet. Locus VII, 1 — 158 habet quidem mutationem dentium satorum in viros, sed paucis versibus expositam; reliqua in Minois forma et in vesano Medeae amore notando versantur. Sic numerosissima poëtae occasio offerebatur innumera admiscendi, quae antiquitas tulit, quae rerum natura habet, quae hominis indolem attingunt; eaque et cupide et ingeniose vsus, insigni rerum varietate atque copia opus suum posteris commendauit. Deos enim plerosque cum attributis suis hic descriptos reperimus, Iouis maiestatem, fulmina, imperium in mundum, furta, Iunonis zelotypiam, Apollinis artes et amores, Cereris merita, Mercurii ministerium et ornatum, Dianae choros et venationes, Bacchi nomina, res gestas et sacra, Mineruae in texendo excellentiam, Latonae errores et vindictas, Cupidinis arma et potentiam, Plutonis imperium in inferos, Proserpinae fata, Neptunum, Protea ambiguum, canorum Tritona, Musarum cantus, Telluris fructus, Tisiphones formam et venenum, Isidis quoque Aegyptiacae pompam. Prodeunt viri et heroës, quos antiquitas habuit celeberrimos, Deucalion, Chiron, Aesculapius, Cadmus cum suis, Tiresias, Perseus, Iason, Theseus, Minos, Daedalus, Triptolemus, Meleager, Hercules, Orpheus, Achilles, Vlysses, Pythagoras, Aeneas, Romulus, Numa, quorum omnium res plurimae et laudes aut breuius attinguntur, aut ingenii flumine ornatae explicantur. Notantur, quae in animo humano sunt, adfectus paternus, maternus, fraternus, sororius, amor castus, incestus, sceleratus, sui ipsius, libido furens, plures doloris et luctus gradus, desperatio, insania, ira, vlciscendi studium, inuidia, crudelitas, impietas, pietas, innocentia, simplicitas, hospitalitas, mollities, fortitudo, tum pugnae et tumultus variorum adfectuum in animo. Adde studia hominum, bella, proelia, venationes, artes, (textoriam, fatidicam, nauticam, piscatoriam, magicam) lusus, rixas, lo-

tiones, nuptias, conuiuia, certamina, item quae iis vel contingunt vel accidunt, aut a natura tributa sunt, diluuium, pestem, famem, somnum, somnia, paupertatem, opum abundantiam, dilaniationem, discerptionem membrorum, naufragium, mille mortis genera. Partem adhuc rerum expositarum recensui. Accedunt enim plurimarum rerum, quas et natura protulit, et poëtarum ingenia finxerunt, descriptiones, sedis coelestis, regiae Solis cum curru solari et equis, coeli stelliferi, inferorum, animantium, plantarum, montium, fluuiorum, fontium, ventorum tempestatumque. Atque haec ita tractata sunt, vt omnia fere artis rhetoricae et poëticae praecepta exemplis ex hoc opere petitis illustrari possint. Continent enim narrationes, orationes, epistolas, soliloquia, notationes morum, descriptiones hominum, locorum, rerum, hymnos, lusus ingenii, vt carmen pastoritium et παρακλαυσίθυρον, prosopopoeias, similitudines, sententias, acumina, figuras omnis generis. Ea vero tractatione nunc iucundi et teneri sensus in animo legentis excitantur, nunc vehementiores affectus commouentur.

Restat, vt iam videamus, quo successu illa Ouidius exornauerit. Conformauerat ingenium ad praestantissimorum, quos Graecia et Roma tulerant, poëtarum exempla; neque adeo mirum est, passim eum eosdem et in dispositione rerum tractandarum et in ornamentis multis *imitando* expressisse. Pleni sunt poëtarum principes, Homerus Virgiliusque, (sic enim Iliados et Aeneidos ratio ferebat) proeliis caedibusque, in quibus enarrandis, ne taedium lectori crearent, pugnantium patriam, habitum, ornatus, vulnera, mortes maxima varietate descripserunt. Noster igitur, cum Perseus et Theseus ab eo producendi essent, quorum virtus etiam in proeliis enituerat, nec haec ab opere suo V et XII abesse voluit, easque descriptiones non modo in vniuersa delineatione, sed etiam in quibusdam bellatoribus notandis ad exempla illa composuit; eandemque rationem etiam in apri Calydonii venatione secutus est. Celebrabatur omnium sermone sublimis ille Homeri locus, quo Iupiter concusso capite Olympum mouet: talem igitur Iouem et ipse induxit. Pestis descriptiones, quas, Thucidide praeeunte, Lucretius atque Virgilius dederant, cupide ab omnibus legebantur; simili igitur loco, auctores illos effingens, suum quoque opus ornauit. Neque inde Polyphemum abesse voluit, Homero et Virgilio locis insignibus notatum. Similiter in magicis rebus enarrandis Horatium, Virgilium et Tibullum, in variis aeta-

mutationem, iis tamen magnam libri secundi partem impleuit, vt per ea ad sorores transiret in arbores, dum fratris casum lugent, versas. Mutatio sororum Meleagri duobus versibus absoluitur; sed ad eam longissima illa ῥῆσις VIII, 260 — 543 peruenitur, quae tota in apri Calydonii venatione et in lucta Althaeae, filio necem parantis, versatur. Aesonem, Iasonis patrem, iuuenem Medea reddiderat. Hoc narraturus Ouidius VII, 159 — 293 in totam artem magicam excurrit. Pestem, quae Aeginam insulam exhauserat incolis, Minoisque cum Atheniensibus bellum nobis VII, 472 sqq. retulit, vt Myrmidonum e formicis originem proderet. Locus VII, 1 — 158 habet quidem mutationem dentium satorum in viros, sed paucis versibus expositam; reliqua in Minois forma et in vesano Medeae amore notando versantur. Sic numerosissima poëtae occasio offerebatur innumera admiscendi, quae antiquitas tulit, quae rerum natura habet, quae hominis indolem attingunt; eaque et cupide et ingeniose vsus, insigni rerum varietate atque copia opus suum posteris commendauit. Deos enim plerosque cum attributis suis hic descriptos reperimus, Iouis maiestatem, fulmina, imperium in mundum, furta, Iunonis zelotypiam, Apollinis artes et amores, Cereris merita, Mercurii ministerium et ornatum, Dianae choros et venationes, Bacchi nomina, res gestas et sacra, Mineruae in texendo excellentiam, Latonae errores et vindictas, Cupidinis arma et potentiam, Plutonis imperium in inferos, Proserpinae fata, Neptunum, Protea ambiguum, canorum Tritona, Musarum cantus, Telluris fructus, Tisiphones formam et venenum, Isidis quoque Aegyptiacae pompam. Prodeunt viri et heroës, quos antiquitas habuit celeberrimos, Deucalion, Chiron, Aesculapius, Cadmus cum suis, Tiresias, Perseus, Iason, Theseus, Minos, Daedalus, Triptolemus, Meleager, Hercules, Orpheus, Achilles, Vlysses, Pythagoras, Aeneas, Romulus, Numa, quorum omnium res plurimae et laudes aut breuius attinguntur, aut ingenii flumine ornatae explicantur. Notantur, quae in animo humano sunt, adfectus paternus, maternus, fraternus, sororius, amor castus, incestus, sceleratus, sui ipsius, libido furens, plures doloris et luctus gradus, desperatio, insania, ira, vlciscendi studium, inuidia, crudelitas, impietas, pietas, innocentia, simplicitas, hospitalitas, mollities, fortitudo, tum pugnae et tumultus variorum adfectuum in animo. Adde studia hominum, bella, proelia, venationes, artes, (textoriam, fatidicam, nauticam, piscatoriam, magicam) lusus, rixas, lo-

tiones, nuptias, conuiuia, certamina, item quae iis vel contingunt vel accidunt, aut a natura tributa sunt, diluuium, pestem, famem, somnum, somnia, paupertatem, opum abundantiam, dilaniationem, discerptionem membrorum, naufragium, mille mortis genera. Partem adhuc rerum expositarum recensui. Accedunt enim plurimarum rerum, quas et natura protulit, et poëtarum ingenia finxerunt, descriptiones, sedis coelestis, regiae Solis cum curru solari et equis, coeli stelliferi, inferorum, animantium, plantarum, montium, fluuiorum, fontium, ventorum tempestatumque. Atque haec ita tractata sunt, vt omnia fere artis rhetoricae et poëticae praecepta exemplis ex hoc opere petitis illustrari possint. Continent enim narrationes, orationes, epistolas, soliloquia, notationes morum, descriptiones hominum, locorum, rerum, hymnos, lusus ingenii, vt carmen pastoritium et παρακλαυσίθυρον, prosopopoeias, similitudines, sententias, acumina, figuras omnis generis. Ea vero tractatione nunc iucundi et teneri sensus in animo legentis excitantur, nunc vehementiores affectus commouentur.

Restat, vt iam videamus, quo successu illa Ouidius exornauerit. Conformauerat ingenium ad praestantissimorum, quos Graecia et Roma tulerant, poëtarum exempla; neque adeo mirum est, passim eum eosdem et in dispositione rerum tractandarum et in ornamentis multis *imitando* expressisse. Pleni sunt poëtarum principes, Homerus Virgiliusque, (sic enim Iliados et Aeneidos ratio ferebat) proeliis caedibusque, in quibus enarrandis, ne taedium lectori crearent, pugnantium patriam, habitum, ornatus, vulnera, mortes maxima varietate descripserunt. Noster igitur, cum Perseus et Theseus ab eo producendi essent, quorum virtus etiam in proeliis enituerat, nec haec ab opere suo V et XII abesse voluit, easque descriptiones non modo in vniuersa delineatione, sed etiam in quibusdam bellatoribus notandis ad exempla illa composuit; eandemque rationem etiam in apri Calydonii venatione secutus est. Celebrabatur omnium sermone sublimis ille Homeri locus, quo Iupiter concusso capite Olympum mouet: talem igitur Iouem et ipse induxit. Pestis descriptiones, quas, Thucidide praeeunte, Lucretius atque Virgilius dederant, cupide ab omnibus legebantur; simili igitur loco, auctores illos effingens, suum quoque opus ornauit. Neque inde Polyphemum abesse voluit, Homero et Virgilio locis insignibus notatum. Similiter in magicis rebus enarrandis Horatium, Virgilium et Tibullum, in variis aeta-

tibus hos duos postremos et Hesiodum respexit. Ad Virgilii auctoritatem etiam Orphei ex Eurydice luctum, Iunonis soliloquia, et descensum tam ad Deos marinos, quam ad inferos, inferorum ipsorum delineationem, Dearum transformationes, quibus fallendi caussa anilem formam sumserant, fulminum Iouis compositionem, canis venatici in lepore persequendo velocitatem, multas similitudines sententiasque composuit. In diluuio Deucalioneo lineas quasdam ex Horatio duxit, eundemqne effinxit, cum vim cantus Orphici apud inferos referret. Sunt et alia loca, in quibus a Lucretio atque Tibullo pependit. In carmine pastoritio Polyphemi XIII, 789 sqq. Theocritum ante oculos habuit. Nonnulla sumsit ab Euripide. Neque tamen putandum est, presso eum pede auctores illos secutum esse, sed ita eos respexit, vt solent praeclara ingenia aliorum inuenta in suum vsum conuertere. In Tisiphones habitu describendo IV, 480 concertauit cum Virgilio eumque adeo superauit: et quae ille de lumine per terram fissam in tartara penetrante obiter tantum, comparationis caussa, dixerat, ea Noster V, 356 sqq. multo melius cum Homero, qui etiam Virgilio praeiuerat, adhibuit. Superatur quidem XII, 12 sqq. in fabula de dracone in lapidem mutato ab Homero, sed VIII, 738 in Erisichthone notando superior Callimacho, certe non deterior, reperitur. Laudem igitur et in aliis *imitandis* meretur. Neque vero *inuentionis* gloria eum fraudare decet. Etenim quae ad aliorum imitationem composuit, ea minimam amplissimi operis huius partem efficiunt, cum innumera loca variis virtutibus eximia, innumera figmenta, plurimae amplificationes, notationes, descriptiones, dispositiones, similitudines aliaque ornamenta sint, quod sciamus, ipsius Ouidii. Famae prosopopoeïam communem quidem cum Virgilio habet, sed in ea fingenda suum ingenium secutus est, quod et in Famis, Inuidiae et Somni personis effingendis in magnam suam laudem fecit. Lycaonis impietatem et poenam non ipse refert, sed Iouem narrantem inducit. Hic igitur haud dubie ipse rem ita disposuit, vt coeli regiam, conuentum Deorum, Iouis praesidium nobis ante oculos poneret, eidemque Deo orationem tribueret disertissimam, cui fabula de Lycaone intexta. Adde, quae in Deucalioneo diluuio de Noto euolante, de Neptuno omnes conuocante, de Tritone signum fluctibus dante, de Deucalionis querelis ab eo inuenta sunt. Spreuerat Niobe Latonam prae se, nec pati voluerat sacra ei fieri. Quomodo hoc tractauit poëta? Nempe

vatem primum inducit Latonae sacra indicentem; tum Nioben in publicum cum fastu prodeuntem atque oratione audacissima se Deae praeferentem. Et quid de Ceycis atque Halcyones rebus dicam? In iis tempestatis, artis nauticae, Somni Morpheique descriptiones, tum adfectuum notationes testantur foecundum fuisse Ouidii in inueniendo ingenium. Mitto plura addere; nam plurimae fabulae huc aduocari possent. Monui quidem supra, nescire nos, quid et quantum ei in fabulis excolendis Graeci poëtae ministrauerint, sed ingenium praecelarum, quale in omnibus Ouidii carminibus elucet, impetrare a se non potest, vt missis suis bonis, tamquam fidus interpres alios semper subsequatur *).

Non summo virium nisu opus suum excudit, sed e felici illa ingenii vena peperit, quae tacta statim profundit quidquid ad rem pertinet, siue soluta oratione vtaris, siue metris constricta. Datur enim hoc ingeniis quibusdam a natura, vt, vbi scribendo incaluerunt, illico omnes rei tractandae partes, earum nexum verborumque inuolucra maxime idonea clarissime perspiciant. Hinc illa *facilitas*, quae mirifice scripta commendat, quibus oblectatio potissimum quaeritur. Eandem et per totum Ouidianum opus effusam videmus; in nullum enim incidimus locum, qui vultum, vt ita dicam, nitentis habeat, sed omnia apparet, sententias, verba, imagines et reliqua ornamenta, tamquam apparitores paratissimos, scribenti praesto fuisse. Verum tale ingenii flumen lutulentum interdum decurrit, sortesque nonnullas secum vehit, quas cura secunda tollere debet. Nostro autem per fata non licuit retractare, quae primus ingenii impetus fuderat; forte et in quibusdam corrigendi voluntas defuisset: itaque hic illic occurrunt, quae quis sublata aut emendata velit. Insita ei porro erat virtus ingenii ea, quae externas potissimum rerum formas considerat acriterque sentit, in iis haeret, quae grata sunt animo aut ingrata, phantasiae ope nititur, eiusque e penu colores petit, quibus rem propositam illuminet. Eius virtutis, quam Nostri *den Witz* vocant, exemplis abundat hoc carmen; ab eaque eius auctor eminenter *ingeniosus* poëta vocatur. Modo non *argutiarum* studium, *acuminum* venatio et *petulantia* quaedam animi eum passim auertissent ab eo, quod rectum est et verum. Illas au-

*) [Conf. Cel. Koenigii, praeceptoris quondam mei, multis mihi nominibus venerandi, dissert. de nimia imitationis in scriptoribus antiquis indagandae cupiditate. (Misenae 1815, 4.) p. 8 et seq.]

tem ingenii dotes doctrinae liberalis pabulo aluerat, lectione auctorum praestantissimorum, poetarum in primis, declamationibus in scholis rhetorum, atque obseruatione morum et studiorum humanorum. Itaque scientia vigebat elocutionis poeticae, antiquitatis, animi humani, earumque rerum, quibus ille persuadetur, delectatur, mouetur. Sic ergo et a natura et suopte studio formatus accessit ad opus Metamorphoseon condendum.

De *facilitate* non est, quod plura dicam, vt quae non in singulis locis, sed in tenore totius carminis cernatur. Maculas potius nonnullas commemorabo, quas impetus ille ingenii, cui facilitas debetur, fudit, nec postea abstersit poëtae cura. In iis *tautologiae* et loquacitatis ineptae vitium primum obtinet locum, atque in singulis prope libris offendit. I, 89—93 ad taedium vsque nobis inculcat, aurea aetate nondum leges fuisse, nec iudicia. Temere 205—7 verba cumulauit de silentio Iouis auctoritate facto. Cui non molesta sunt illa vs. 291 s.

Iamque mare et tellus nullum discrimen habebant,
Omnia pontus erant; deerant quoque litora ponto.

Quibus mox vs 314 de Phocide subiicitur,

Terra ferax, dum terra fuit; sed tempore in illo
Pars maris et latus subitarum campus aquarum.

et rursus paullo post

nam caetera texerat aequor.

In saxorum Deucalionis et Pyrrhae manibus iactorum mutatione describenda vs. 400—406. diu in eundem orbem circumagitur. II, 161 s. ter dicit, leuem fuisse Solis currum, et quasi hoc nondum satis fuisset, 165 idem bis repetit. III, 87—89 quater caussam exprimit, quare leue fuerit serpentis vulnus,

quia se retrahebat ab ictu,
Laesaque colla dabat retro, plagamque sedere
Cedendo arcebat, nec longius ire sinebat.

Vs. 418 sqq. in Narcissi fabula intolerabili loquacitate ad eandem saepius notionem reuoluitur, et quae ipse sic dixerat, eadem paullo post Narcissum repetentem fingit, VI, 192 sqq. Niobe quinque formulis vrget hoc, se liberorum numero Latonae praestare. VII, 179 sqq. Lunae *cornua tota coeunt*, *efficiunt orbem*, ipsa *plenissima* fulget, et *solida imagine* spectat terram. XII, 46 sqq. Fama *tota fremit*, *voces refert*, *iterat quod audit*, *nulla quies intus nullaque silentia parte.* Miror itaque, Criticos, qui his et talibus non offensi essent, versus resecare voluisse, in quibus multo minus redundantiae, vt VIII, 87, vbi post

verba *praedaque potita nefanda* sequitur versus Heinsio improbatus;

Fert secum spolium sceleris, progressaque porta etc.

Talia bene multa commemorari possent. — Saepe enim *otiose* nonnulla subiicit, et interdum satis *languide*. III, 715 bene dixit, *ruit omnis in vnum Turba furens*, modo ne addidisset, *cunctae coeunt cunctaeque sequuntur*. II, 168 Solis equi *ruunt tritumque relinquunt spatium*. Hoc satis fuisset; sed inepte pergit, *nec, quo prius, ordine currunt*. Vbi IV, 300 fontem clarum satis descripserat, non erat, cur adderet, *perspicuus liquor est*. Quid? XI, 519 post horrenda tempestatis phaenomena monet, *vela madiisse*. Non igitur erat, cur Heinsius VII, 527 verba *quae victa iacebat*, vt otiosa et languida post superiora, deleta mallet. Intempestiue etiam inserit, quae breuitati et perspicuitati obsunt. IV, 616—19 Perseus super Libycas pendet arenas, et 626 consistit in regno Atlantis. Versus igitur 620 — 25, in quibus huc et illuc, ad Arctos et ad Cancrum volat, alieno loco interiecti. Sunt contra loca, in quibus *nimia breuitatis studio* factus est obscurior. Eo vitio I, 170 sqq. laborat sedis coelestis descriptio, nec quisquam IV, 784 s. illa

Eripuisse caput collo, pennisque fugacem
Pegason et fratrem, matris de sanguine natos

sine aliorum auctorum adiumento intelliget. Etiam alibi festinat nimis omittitque non omittenda, vnde obscuritas oritur. IX, 165 non apparet, quo modo Hercules, factis in Euboeae promontorio sacris, *Oeten* vocibus suis impleuerit. Interdum non satis perpendit, quae scriberet. I, 270 cum terra diluuio vastanda esset, Iris aquas a terra haurit, quas in terram demittat. III, 41 s. serpens immensis saltibus petit eos, qui proxime stabant. Idem vs. 43 *media plus parte erectus in auras despicit omne nemus*; sed vs. 94 totus pendet in arbore. V, 228 Perseus Phinea saxeum semper domi spectari vult a coniuge, quae vero mox relictura erat domum paternam. XII, 620 Somnus in lecto decumbens *pectora percutit nutanti mento*. Mitto dictiones improbandas, vt V, 426, *inconsolabile vulnus*, repetitionem eiusdem vocabuli inter paucorum verborum ambitum et multa alia. Talia excidunt iis, qui sua non sedulo conquirunt, sed e felici ingenii sui vena, quasi stantes pede in vno, fundunt.

Ingenii pars ea, quam paullo ante descripsi, statim in principio carminis emicat. Ibi non veram rudis molis naturam nobis explicat, sed externam rerum et confusa-

rum et postea dispositarum formam ostendit acriterque sentiendam proponit.

Nullus adhuc mundo praebebat lumina Titan,
Nec noua crescendo reparabat cornua Phoebe,
Nec circumfuso pendebat in aere tellus
Ponderibus librata suis: nec brachia longo
Margine terrarum porrexerat Amphitrite.

Sed postea Deus iussit *freta diffundi rabidisque tumescere ventis, extendi campos, subsidere valles, lapidosos surgere montes.* Multa ex hoc genere insignia XV in placitis Pythagorae; sed prae caeteris eminet 200 — 13 locus de quatuor anni partibus, quibus suauissime hominis attributa data sunt. Aperit annum *tener* et *lactens puer*, sequitur *robore valens* et *aestuans* iuuenis, quem, *posito feruore iuventae, maturus mitisque* Autumnus excipit. Ad extremum

senilis hiems tremulo venit horrida passu,
Aut spoliata suos, aut, quos habet, alba capillos.

His adde Noti, Boreae, Inuidiae, Famis, Famae, Somni descriptiones, in quibus ex illarum rerum attributis personas earumque domicilia mirifice (naenis paucis demtis) composuit. Iam si haec ita inter se comparaueris, vt primum *rabidis tumescere ventis* ponas, tum, *brachia longo margine terrarum porrexerat Amphitrite*, posthaec locum de annuis vicissitudinibus, aut partem eius, denique ex iis, quas modo laudaui, prosopopoeiis vnam, gradationem habebis imaginum egregiam, quarum proxima quaeque praecedentem plenitudine superat. Personis mythologicis egregie animauit loca varia. I, 264 sqq. Notus euolat, Iris alimenta nubibus adfert, Neptunus conuocat Amnes, Triton recessus canit. In omnibus fere et descriptionibus et narrationibus ingenium poëtae tam in tenuissimis, quam in grauissimis rebus admirari licet. Vt a breuibus tenuium rerum descriptionibus incipiam, cui non placeat I, 335 *buccina tortilis, in latum quae turbine crescit ab imo?* non III, 586 piscator, qui *lino solebat et hamo decipere et calamo salientes ducere pisces?* non VII, 624 formicae frugilegae *agmine longo grande onus exiguo ore gerentes, rugosoque suum seruantes cortice callem?* aut VIII, 189 Daedalus alas sibi filioque e pennis, lino et cera componens? His et talibus innumeris palmam facile eripit supellectilis in Philemonis casa epulique ab eo parati descriptio. Et qui tenuia sic ornauit, eius ingenium etiam in maioribus, atrocibus adeo eminet.

tanta vertigine pontus
Feruet, et inducta piceis e nubibus vmbra
Omne latet coelum duplicataque noctis imago est,
Vnda, velut victrix, sinuatas despicit vndas,
Nec leuius, quam si quis Athon Pindumque reuulsos
Sede sua totos in apertum euerterit aequor,
Praecipitata ruit.

Sed totus locus XI, 478 — 560 cognoscendus est; habet enim egregiam tempestatis, studii nautarum in naue servanda et naufragii descriptionem. Idem ingenium, eadem phantasia in narrationibus elucet. Non ille summatim narrat, sed omnia ordine explicat, vt tu adstare reique interesse tibi videaris; et si quid memorabile incidit, id suis pingit coloribus. Daphnes fugientis

nudabant corpora venti,
Obuiaque aduersas vibrabant flamina vestes,
Et leuis impexos retro dabat aura capillos.

Et mox de cane lepori instante,

Alter inhaesuro similis, iam iamque tenere
Sperat, et extento stringit vestigia rostro:
Alter in ambiguo est, an sit deprensus, et ipsis
Morsibus eripitur, tangentiaque ora relinquit.

Quod idem variatum VII, 781 sqq. Adde II, 861 lusum Europae et falsi tauri, III, 66 sqq. serpentem Cadmi iaculo vulneratum, 125 sqq. Actaeonis per canes dilaniationem, IV, 358 Salmacidis et Hermaphroditi luctam. Ib. 480

Tisiphone madefactam sanguine sumit
Importuna facem, fluidoque cruore rubentem
Induitur pallam, tortoque incingitur angue,
Egrediturque domo. Luctus comitatur euntem
Et Pauor, et Terror, trepidoque Insania vultu.

Incessus reginae superbae eiusdemque iratae mirifice VI, 165 notatus:

Ecce venit comitum Niobe celeberrima turba,
Vestibus intexto Phrygiis spectabilis auro,
Et, quantum ira sinit, formosa: mouensque decoro
Cum capite immissos humerum per vtrumque capillos,
Constitit: vtque oculos circumtulit alta superbos etc.

Pugnam Persei cum bellua marina IV, 710, venationem ferae Thebanae VII, 765, et apri Calydonii VIII, 329 quis narrae ingeniosius possit? Byblis fratri literas scriptura IX, 521,

Dextra tenet ferrum, vacuam tenet altera ceram.
Incipit et dubitat; scribit damnatque tabellas;
Et notat et delet; mutat, culpatque, probatque,
Inque vicem sumtas ponit, positasque resumit.

Pygmalion, cum statuam suam absoluisset, X, 254

Saepe manus operi tentantes admouet, an sit
Corpus, an illud ebur: nec ebur tamen esse fatetur.
Oscula dat, reddique putat: loquiturque tenetque,
Et credit, tactis digitos insidere membris,
Et metuit, pressos veniat ne liuor in artus.

et quae plura sequuntur. Myrrha X, 455

Nutricis manum laeua tenet; altera motu
Coecum iter explorat. Thalami iam limina tangit;
Iamque fores aperit; iam ducitur intus. At illi
Poplite succiduo genua intremuere etc.

Innumera loca transcribenda essent, si omnia adferre vellem, quae hac se virtute commendant. Et innumeris modis ingenium ostentauit, aliter III, 380 in Narcissi et Echus colloquio, aliter VII, 813 in Cephali cantilena, aliter in conuersione quadam I, 700. Mitto sententias ingeniosas, qualis II, 13, *facies non omnibus vna, nec diuersa tamen, qualem decet esse sororum.* Ad ea praeuertamur, quae vitiose in hoc genere ab eo scripta sunt.

Nempe *luxuriat* et lasciuit eius *ingenium* non raro, cum nec modum in rebus exornandis teneat, nec quid deceat curet: quam luxuriem iam Seneca Controu. XXVIII in eo vituperat; non minus enim magnam virtutem esse, scire desinere, quam scire dicere. Eius autem vitii exemplum memorat atque exagitat alter Seneca N. Q. III, 27, vbi monet, Ouidium in diluuio Deucalioneo pro magnitudine rei dixisse, *Omnia pontus erant*, sed mox eum ad pueriles ineptias delatum, *Nat lupus inter oues* etc. Non enim esse rem satis sobriam, lasciuire deuorato orbe terrarum. Magnifice dictum esse hoc; *Exspatiata ruunt per apertos* etc. modo non curasset, quid oues et lupi fecerint. Natari autem in diluuio non potuisse, sed eodem impetu pecus omne, quo raptum fuerit, mersum esse. Simili vitio, praeter alias, laborat Narcissi fabula. Vt Narcisso sua facies, sic Ouidio eius insania placuisse videtur. Nec in incendio mundi res sobria erat II, 331 iocari, *incendia lumen Praebebant, aliquisque malo fuit vsus in illo*, aut minutias curare vs. 211 s. *fissaque* (tellus) *agit rimas, et succis aret ademtis. Pabula canescunt*, vs. 252 s. *quae Maeonias celebrarant carmine ripas, Flumineae volucres medio caluere Caystro.* Quis enim in tam graui calamitate

cygnorum calorem curet? Sed et vs. 265 s. *delphinas* nobis ostendit latitantes. Nec in pestis descriptione VII, 538 sqq. modum seruauit. Rectius certe abessent illa,

Non aper irasci meminit; nec fidere cursu
Cerua, nec armentis incurrere fortibus vrsi.

Inepte II, 206 s. in aethere *decliua viasque praecipites* fingit, nec ibi 133 *manifesta rotae vestigia* esse poterant, sed luxuriantis ingenii illa sunt. Tristem nobis et commiseratione dignissimam Actaeonis narrat sortem, sed et hic ludit III, 199 *fugit Autonoëius heros, Et se tam celerem cursu miratur in ipso.* Frigida sunt illa acumina III, 425 de Narcisso se ipsum amante, *et qui probat, ille probatur, Dumque petit, petitur, pariterque incendit et ardet.* Eundem, vbi errorem suum agnouit, sic loquentem vs. 464 inducit: *flammas moueoque feroque. Quid faciam? roger, anne rogem? quid deinde rogabo? Quod cupio mecum est, inopem me copia fecit.* Ita non solet desperatio lasciuire. Idem vs. 505 *Tum quoque se, postquam est inferna sede receptus, In Stygia spectabat aqua.* In limosa illa palude non poterat quisquam se spectare. Thisbe in summa desperatione IV, 152 iusto argutius dicit, *quique a me morte reuelli Heu sola poteras, poteris nec morte reuelli.* Parum placet VII, 339 duplex illud oxymoron, *vt quaeque pia est, hortatibus impia prima est: Et, ne sit scelerata, facit scelus.* Ipsi autem tanto magis placuerunt; repetita enim ab eo sunt quater. Cf. III, 5. VIII, 477. IX, 408. Nec placent hi lusus, VI, 560 lingua resecta *moriens dominae vestigia quaerit*, et vs. 708 volando Boreae *arserunt agitati fortius ignes.* Qui proprie dicuntur ignes, volando quidem ardescunt fortius, non autem illi, quos nunc poëta intelligit. XII, 614 praeclarum praecesserat epiphonema, cui autem lusus ineptissimus subiicitur, *armarat Deus idem, idemque cremarat,* Vulcanus arma eius fabricauerat, et ignis corpus eius absumserat. Halcyone mariti naufragium metuens et grauiter dolens XI, 700, *Nunc absens pereo, iactor nunc fluctibus absens, Et sine me me pontus habet*; quae argutiae multo deteriores etiam sunt illis, quas Thisbae tribuit. Etiam in lusu verborum lasciuia eius passim cernitur. XI, 484, loco, quo studia nautarum in praesentissimo periculo egregie notantur, *egerit hic fluctus, aequorque refundit in aequor.* XII, 493 Caeneus ensem corpori hostili immissum manu versans *vulnus in vulnere fecit.* Atque repetitione verborum inepta saepissime ludit, eaque tanto magis offendit, quando in eadem fabula plus semel occurrit.

IV, 170 — 195. *Cepit amor Solem. Solis referemus amores. — primus Hic vidisse Deus. Videt hic Deus omnia primus. — tectos qui laesit amores, Laedit amore pari. — tuis omnes qui terras ignibus vris, Vreris igne nouo; quique omnia cernere debes, Leucotheen spectas.* Puerilem adfectationem ista habent; in quibus tamen placuisse sibi poëta videtur. Neque adeo eum puto resecturum fuisse talia, si vel maxime retractare opus potuisset. Rogatus enim aliquando, vt Seneca Declam. II refert, ab amicis, vt tolleret tres versus, petiuit inuicem, vt tres exciperet, in quos illis nihil liceret. Conscripserant illi, quos tolli vellent, secreto hic, quos tutos esse vellet. In vtrisque codicillis iidem versus erant, in quibus *Semibouemque virum, semiuirumque bouem,* et, *Egelidum Boream, egelidumque Notum.* Nonnulla non amplificauit, sed prodigialiter auxit. In quo genere sunt serpens Cadmi et Erisichthonis fames. Prodigium enim est, *quodque vrbibus esse, Quodque satis populo poterat, non sufficit vni.*

In *orationibus* spectatur hoc, vt non solum consilio dicentis, sed et personae accommodatae sint; quae vtraque laus orationibus fere omnibus, quas hoc carmen plurimas habet, debetur. Nobilissimae sunt XIII, 1—368, quibus Aiax et Vlysses de Achillis armis certant, quarum altera indignationem, altera calliditatem spirat, illa vehemens est, haec composita et moderata, vtraque autem argumentis fortissimis pugnat. Dissuasoria Phoebi ad Phaëthontem II, 50 — 102 non modo argumentorum pondere et delectu valet, sed et animum paternum sollicitumque prodit. Plena acerbitatis est oratio, qua Scylla Minoa fugientem VIII, 108 — 142 insectatur. Conuenienter maiestati suae Iupiter I, 182 — 243 Deos conuocatos alloquitur, sceleraque hominum verbis grauissimis notat. Fidenter et ad commouendum apte Tellus suam mundique caussam agit II, 279 — 300. Meram zelotypiam et iram ex sui contemtu sumit Iuno II, 511 — 30 apud Deos marinos. Praeclare Pentheus III, 531 — 63 a noui Dei molitie, a sacrorum eius strepitu, et a Thebanorum origine deterrendi argumenta sumit. Niobe, regina celeberrima, superbissime genus suum, opes numerosissimamque prolem iactat, atque contemtim prae se Latonam spernit VI, 170 — 202. Conuenit furori iuuenis incitati et perdite amantis oratio, qua Phoebus I, 504 — 24. Daphnen fugientem reuocat suaque connubia commendat; ab eaque longe discrepant, quibus IV, 16 — 26 Achelous Deianirae nuptias

ambit. In omnibus his tam argumenta, quam forma orationum personis dicentium egregie attemperata. Idem valet de *soliloquiis;* quod apparebit, si quis v. c. quae III, 262—72 Iuno et VI, 687—701 Boreas secum loquuntur, et separatim et inter se collata considerauerit. *Narrationes* nonnullas auctor aliis tribuit, eaeque moratae satis sunt; ideoque forma dissident tam a se inuicem, quam ab Ouidianis. Alius color iis est, quae III, 582—691 Acoetes, alius, quae V, 577—641 Arethusa de se, alius, quae Aeacus VII, 518—660 de peste et Myrmidonum suorum origine, alius denique, quae Cephalus VII, 690—862 de Procride sua referunt. In prima nautam de rebus suis garrientem et caussa sua fidentem audire tibi videris; ideoque et ignoscimus facile poëtae, quod Penthea furibundum longis illis ambagibus aures praebentem finxit. Altera simplicitate est conspicua. In vltima adfectus tenerrimus narrantem ab Initio vsque ad finem deducit, studiumque venandi interlucet. Narrationibus interpositae sunt locorum, hominum rerumque *descriptiones*, quae multitudine, varietate et praestantia sua non exiguam operis partem efficiunt. Quocunque oculos circumtuleris, descriptiones tibi occurrent siue imagines, quae te aduertent et tenebunt. Phantasiam poëtae in iis enitere iam supra monui, sed et iudicium eius in deligendis partibus, ex quibus imagines compositae, atque vim poëticam in iis exornandis admirari licet. In regia Solis II, 25 — 30 non aurum rursus nobis et pyropum ostendit, sed, vt personas, Diem, Mensem, Annum, Secula, Horas, Ver, Aestatem, Autumnum, Hiemem. Alas Daedali VIII, 189 ostendit nobis suaui similitudine interposita: *sic rustica quondam Fistula disparibus paullatim surgit auenis.* De apro Calydonio VIII, 282 — 97, tum 338 — 40, nil memorat, nisi quod ad consilium pertinet, hoc est, quod declarat, quam horrenda fuerit bellua, quantum damnum attulerit agris, et quot iuuenum concursu opus fuerit ad eam debellandam. Sed, vt iam dixi, totum carmen eiusmodi luminibus distinctum est; neque adeo est, quod plura iam recenseam.

Etiam in *adfectibus* mentis humanae, tam motibus teneris, quam vehementioribus perturbationibus *notandis* egregius artifex Noster reperitur. Paternus adfectus paucis, sed bene VIII, 210 descriptus,

Inter opus monitusque genae maduere seniles
Et patriae tremuere manus,

copiosius II, 91—99 in Phoebo, *do pignora certa* etc. et VI, 496 — 510 in Pandione sene filiam dimittente. Ma-

ternum animum IX, 375 — 81 egregie exserit Dryope in lotum transiens, sollicitudine de filii educatione atque salute. Mutuum iuuenis puellaeque, taedae iure iungi cupientium, amorem bene describit Pyrami et Thisbes fabula. Flagrantissimum vxoris in maritum amorem Halcyone verissime refert XI, vbi maritum discessurum esse comperit 416 — 48, et in discessu ipso 464 sqq. idemque illo absente transit primum in desiderium 573 — 81, mox, vbi de obitu eius somnio monita est, in grauissimum luctum 678 — 709, et vbi corpus eius natans prospicit 716 sqq. Mariti in coniugem animum non male exprimit Deucalion I, 351 — 62, et multo melius Cephalus VII, 690 — fin. Taetrae et furentis libidinis naturam nobis ostendit Tereus VI, 455 sqq. summi furoris Procne vs. 610 sqq. Sed in primis memorari merentur loca, in quibus perturbatio mentis cum alia perturbatione aut cum sana ratione diu pugnat, vt in animo Medeae VII, 10 sqq.; Scyllae VIII, 44 — 80; Althaeae 462 — 511; Byblidis IX, 473 sqq.; Myrrhae X, 320 sqq. Haec satis probant, egregiam Ouidio fuisse animi humani scientiam. Parum contra II, 381 — 400 Phoebus placet, qui in luctu et ira stultos homines imitatur. Peruersis acuminibus corruptas esse nonnullas eius generis notationes, vt III, 463, 692, iam supra est admonitum.

Similitudines, quibus res varias vel illustrare voluit vel exornare, multae sunt probandae, nec ingenio magno indignae. III, 111 *Sic vbi tolluntur festis aulaea theatris* etc. Vs. 568 *Sic ego torrentem* etc. quibus illustratur vehementia irae inhibitae. IV, 354 Hermaphroditus nudus in aqua translucet, *vt eburnea si quis Signa tegat claro, vel candida lilia, vitro.* Daedalus ante volans nato timet, *velut ales, ab alto Quae teneram prolem produxit in aëra nido.* Suauissima est X, 190, quam tamen Virgilio debet, Ibi Hyacinthus iacet, *Vt si quis violas, riguoue papauer in horto, Liliaque infringat* etc. Laudandus et locus XI, 508 — 36, quo nauis fluctibus iactata cum vrbe oppugnata comparatur. Sed saepe in hoc genere ornamentorum inueniendo et adhibendo fuit infelix. Ineptum est illud III, 44, Cadmi serpens tanto est corpore, *quanto, Si totum spectes, geminas qui separat Arctos.* Male II, 825 mutatio mulieris in saxum cum *cancro, corporis malo late serpente* comparatur, nec bene VI, 48 Arachnae rubor, vicissim apparens et euanescens, cum aëre sub Aurorae ortum purpureo. IX, 170 Herculis cruor *stridit, ceu lamina candens tincta lacu.* Temere IV, 362 — 67 similitudines cu-

mutauit et sine delectu posuit. Idem iudicandum est de *sententiis* insertis; quarum aliae placent, aliae improbandae sunt. Vere II, 447 monet, *Heu, quam difficile est, crimen non prodere vultu!* Vere etiam IV, 64, *Quo magis tegitur, tectus magis aestuat ignis*, nempe amoris. Saepe repeti videmus, vt verissimum, ex VII, 21, *Video meliora proboque; Deteriora sequor.* Graecis debet, quae III, 135 ad Cadmum transtulit, *scilicet, vltima semper Exspectanda dies homini, dicique beatus Ante obitum nemo supremaque funera debet.*

Anachronismi se saepe reum fecit. I, 218 *Arcades* commemorantur, qui serius ab Arcade nomen inuenere. I, 373 de ornamentis templorum Deucalionis aetate loquitur, vt de suo tempore. Serius etiam acciderunt, quae III, 559 de *Acrisio* memorat. Iam Pandionis tempore Corinthum VI, 416 *nobilem aere* vocat, atque vs. 423 Athenis ante Thesea *muros* tribuit, eodemque tempore et conuiuas *discumbentes* VIII, 565, XII, 155 fingit. Interdum tamen diligentius scribit, vt II, 219 *nondum Oeagrius Haemus*, VI, 415 *nondum tornae Calydon inuisa Dianae*, vs. 418 *neque adhuc Pittheïa Troezen.* Mythologiam et rerum naturam nonnunquam confundit. Triones, Phaëthonte Solis currum agente, tentant II, 172 *vetito aequore* tingui, et vs. 530 demum Iuno hoc impetrasse legitur, vt vetarentur tingui. Vs. 253 cygni calescunt in Caystro, et paullo serius vs. 377 Cygnus rex fit *noua* auis huius nominis. Peccat Ouidius interdum et in physicis, vt cum III, 675 *delphinis squamas* tribuit. — *Repetitionem* eiusdem verbi aut hemistichii aut integri versus vario modo *adfectat*, quamquam in eo interdum vis aliqua aut virtus inest. I, 33, *secuit, sectamque.* Vs. 142, *prodierant; prodit bellum.* Vs. 158, *incaluisse ferunt, calidumque.* Vs. 206 s. *compressit — pressus.* Vs. 642, *Naïdes ignorant, ignorat et Inachus ipse.* Vs. 643, *patrem sequitur, sequiturque sorores.* II, 399, *saeuit: Saeuit enim.* V, 15, *Deseruere sui Nymphae vineta Tymoli, Deseruere suas Nymphae Pactolides vndas.* VI, 419, *Quaeque vrbes aliae bimari clauduntur ab Isthmo, Exteriusque sitae bimari spectantur ab Isthmo.* VIII, 628, *Mille domos adiere, locum requiemque petentes: Mille domos clausere serae.* I, 325, *Et superesse videt de tot modo millibus vnum, Et superesse videt de tot modo millibus vnam.* IV, 306—9.

Salmaci, vel iaculum, vel pictas sume pharetras;
Et tua cum duris venatibus otia misce.
Nec iaculum sumit, nec pictas illa pharetras;
Nec sua cum duris venatibus otia miscet.

In quo postremo plurimum est suauitatis, quemadmodum in antecedente magna vis. — Noua etiam vocabula quaedam fecisse videtur, vt *dubitabile*, *iaculabile*, *crinale*, *omnifer*, *remollire* etc.

Ex his igitur apparet, egregium hoc esse Metamorphoseon corpus, naeuis quibusdam dispersis deturpatum, eosque partim ex ingenii abusu, partim ex facilitate, qua haec nata, fluxisse.

METAMORPHOSEON SERIES
EX
G. CANTERI NOVIS LECTIONIBUS
NUNC PAULLO AUCTIOR.

Lib. I. Principio *Chaos* in *elementa* quatuor a Deo distinguitur; quibus cum sui darentur *incolae*, etiam *homo* ex *terra* et *aqua* creatus est. Secutae sunt *aetates* hominum quatuor, in quarum postrema, eaque vitiosissima, cum *Gigantes*, ne terris securior esset aether, coeleste regnum peterent, ex eorum, a Ioue interemtorum, *sanguine noua hominum propago* orta est. Qui cum et ipsi essent impii, Iupiter non modo *Lycaonem* in *lupum* mutat, sed omne genus hominum animaliumque terrestrium *diluuio* perdit, vnde soli relinquuntur superstites *Deucalion* et *Pyrrha*, qui post redditam terram, iactis post terga *lapidibus*, *humanum* repararunt *genus*. Reliqua *animalia* sponte sua ex *humore* et *calore* prodierunt: in quibus etiam *Pytho* serpens. Quem cum *Phoebus* interemisset, *Pythios ludos* in rei memoriam instituit, quibus victores esculea corona donabantur; nondum enim erat *laurus*, in quam mox *Daphne*, Phoebi amorem fugiens, est conuersa. Quod cum accidisset, tum ad patrem eius Peneum reliquis fluuiis, siue gratulandi, siue consolandi gratia, congregatis, solus desideratus est *Inachus*, sollicitus de *Ione* filia, quam Iupiter post stuprum in *iuuencam* mutarat. Ea cum a Iunone *Argo* custodienda esset tradita, hunc *Mercurius*, narrata prius Nymphae *Syringis* in *arundinem* transformatione, occidit, eiusque deinde *oculi* a Iunone in *pauonem* collati sunt. Tum *Io*, *pristina* mulieris *forma* recepta, *Epaphum* parit.

Lib. II. Qui cum aliquando *Phaëthonti* Apollinem, vt falsum patrem, obiecisset, ille currus solaris imperium ad diem vnum a patre, in pignus verae stirpis, petiit. Quo impetrato, terra ab eo tota accenditur, et inter caetera *nigrescunt Aethiopes*. Phaëthontem deinde fulmine percussum dum lugent *sorores* et vna cognatus *Cygnus*, illae in *arbores*,

hic in *cygnum* mutatur. Hinc Iupiter, lustrato, vt eum pristino vigori restitueret, terrarum orbe, in *Callistonem* incidit, eamque, sumta Dianae forma, stuprauit. Ob id irata Iuno Callistonem in *vrsam* conuertit, quam postea *Arcas* filius transfixurus erat, nisi vtrumque Iupiter inter *sidera* retulisset. Qua de re cum apud Oceanum conquesta esset Iuno, in coelum relata est humeris *pauonum*, qui nuper *variati* fuerant, sicut et *coruus* nuper ex *albo niger* erat redditus, cum *cornicis* monitis, quae illi tum suam in cornicem, tum *Nyctimenes* in *noctuam* mutationem explicarat, non obtemperasset, verum *Coronidis* adulterium ad Apollinem detulisset. Eius deinde filio Aesculapio, e Coronide exsecto et in Chironis antrum delato, *Ocyrrhoë*, Chironis filia fatidica, dum futura praedicit, in *equam* vertitur. Tum Chiron pater *Apollinis* auxilium frustra inuocauit, quod ille iam in Elide pastor factus aliud ageret, neglectis etiam bubus. Id quod Mercurio furandi eas occasionem dedit, qui deinde *Battum* ob furtum proditum in *indicem* lapidem mutauit. Inde auolans *Hersen*, Cecropis filiam, spectat, eaque potitur. Cui dum inuidet *Aglauros* soror, Inuidiae veneno infecta in *saxum* obrigescit. Postea *Iupiter*, cum Mercurium in coelum reuersum boues Agenoris ad litus auertere iussisset, sumta *tauri* specie, *Europam* per mare in Cretam transuexit.

Lib. III. Filiam amissam Agenor *Cadmum* iubet inuestigare. Quod dum ille facit, in Boeotia e *dentibus draconis* occisi *satis* enascuntur *homines*, quibuscum ille deinde Thebas condidit. Huic non omnino felici luctuosa primum fuit *Actaeonis* nepotis in *ceruum* mutati dilaniatio; quae vero Iunoni, cum *Semelen* pellicem, Cadmi filiam, vt omnem Agenoris domum, odisset, grata fuit. Ideoque ad ipsam facie Beroës accedens, dolo effecit, vt illa Iouis fulminibus combureretur. Dum *Bacchus*, e Semeles flagrantis vtero seruatus, in terris nutritur, Iupiter cum Iunone disputans, vtra sit Venus suauior, *Tiresiam* adhibet arbitrum, quandoquidem sexum vtrumque fuerat expertus. Is, lata contra Iunonem sententia, ab illa quidem visu priuatus, a Ioue autem vaticinandi scientiam consecutus est. Primum eius oraculum in *Narcisso* comprobatum fuit, qui cum puellas omnes, inter quas et *Echo* prae amoris impatientia in *vocem* fuerat conuersa, contemsisset; sui ipsius tandem amore contabescens, *flos* est factus sui nominis. *Pentheus* tamen vatem hunc irridebat; quamquam et ipsi fata futura praedicebat, quibus mox euentus constitit. Nam cum Orgia celebrarentur, ille *Bacchum*, sub persona famuli sacrorum latentem, postquam *Tyrrhenos nautas* in *delphinos* esse transformatos ab eodem cognouerat, in vincula

coniecit; ob quod facinus a Bacchis est discerptus. Id quod magnam apud omnes fidem sacris conciliauit.

Lib. IV. *Aloithoë* tamen et sorores, constanter ea contemnentes, ipsis diebus festis lanificio operam dabant, opusque leuabant fabellis enarrandis; de *Pyramo* et *Thisbe*, quorum sanguine *moris niger* color additus, de *Sole* in *Eurynomen* verso, vt cum Leucothoë concumberet, quam ob rem *Clytie* zelotypa in *heliotropium* mutata, denique de *Hermaphrodito* et *Salmacide* in *vnum corpus* concretis. Quo facto sorores ipsae in *vespertiliones*, earumque telae in *vitem* transformatae sunt. Hac de re cum *Ino* laetaretur, Iuno, et inuidens et indignans, Furiam ei immisit, cuius veneno in insaniam versa cum *Melicerta* filio in mare prosiluit; sed, Venere intercedente, ambo facti sunt *Dii marini*. Quos dum *comites Sidoniae* pro mortuis deplorant, in *saxa* et *volucres* mutantur. *Cadmus* quoque, hac calamitate commotus, relictis Thebis, in Illyriam cum vxore profectus est, vbi vterque *anguineam formam* accepit. Solus ergo restabat de Bacchi contemtoribus *Acrisius*, auus *Persei*, qui *Gorgonis* caput amputauit, e cuius guttis, in terram delapsis, *angues* exorti sunt; et *Atlantem* in montem, *virgasque* post Andromedam liberatam in *curalia* conuertit, Andromedam autem vxorem duxit.

Lib. V. Orto deinde in nuptiis tumultu, *Phineum*, qui sponsam sibi vindicabat, cum suis, et mox etiam *Proetum* et *Polydecten* saxeos reddit. Tum *Pallas*, quae hactenus Persei comes fuerat, eo relicto, in Heliconem se confert, vt *Hippocrenen* inspiciat. Ibi narrant ei Musae de *Pyreneo* et *Pieridibus* in *picas* conuersis, postquam cantu instituto hinc de variis *Deorum transformationibus* in animalia, illinc de *raptu Proserpinae*, de *Cereris erroribus*, de *Cyanes* in *fontem pueri* cuiusdam in *stellionem*, *Ascalaphi* in *bubonem*, *Sirenum* Proserpinam quaerentium, in *aues* ex parte, *Arethusae* in latices, *Lynci* denique regis in *lyncea* mutationibus, atque *Triptolemi* agricultura inter se certauerant.

Lib. VI. Quo exemplo mota Pallas de *Arachnes* exitio cogitauit. Itaque inito cum ea texendi certamine, postquam vtriusque tela *varias transformationes* repraesentauit, ipsam in *araneam* mutauit. Neque tamen *Niobe* popularis huius poena admonita est, quod minus se Latonae praeferret; ob quam ferociam, interfectis ab Apolline et Diana liberis eius omnibus, in *saxum* obduruit. Quo quidem cognito, vnus e vulgo *Lycios rusticos* in *ranas* a Latona versos, alter *Marsyam* ab Apolline excoriatum in memoriam

reuocauit. Nioben luget *Pelops*, cui humerus eburneus datus erat. Sed ad consolandos Thebanos vrbium finitimarum legati conuenerunt. Soli deerant Athenienses, quoniam a barbaris agminibus infestabantur, quos *Tereus* fudit, cui Pandion *Procnen* in matrimonium dedit. Is alio tempore Athenas reuersus, cum *Philomelam*, vxoris sororem, secum abduxisset, ea stuprata aliisque facinoribus perpetratis, in *vpupam* est transformatus, quemadmodum *Philomela* in *lusciniam*, *Procne* in *hirundinem*. Quae res Pandioni intellecta mortem attulit. Huic in regno successit *Erechtheus* cuius filiam *Orithyiam* Boreas rapuit, atque ex rapta *Calain* procreauit et *Zethen*, qui in Argonautarum numero fuerunt, cum

Lib. VII. *Iason*, victis *Medeae* auxilio tauris ignem vomentibus, seminatis serpentis *dentibus*, e quibus *homines armati* prodierunt, et dracone sopito, *vellus aureum* retulit. Medea, Iasonem in Graeciam comitata, *Aesoni* medicamentorum ope iuuentutem reddidit, eandemque *Peliae* pollicita, praemisso *arietis* in *agnum* reformati specimine, dolo eum occidit. Inde per varia loca *multis* insignia *transformationibus* delata, post occisos liberos *Aegeo* nupsit sub aduentum *Thesei*, quem paene veneno interfecisset. Aegei gaudia de filio recepto turbat *Minos*, bellum contra eum parans, collectis vndique copiis, etiam e Paro, vbi *Arne* in *monedulam* fuerat conuersa, *Aeacumque* in partes suas trahere cupiens. At ille ab Aegeo stetit, et ad eum *Myrmidones* suos post grauem pestem e *formicis* ortos, auxilio misit, duce *Cephalo* Atheniensi, qui Phoco, Aeaci filio, narrat, quomodo ab *Aurora* et raptus et *alia forma* indutus, *Procrin* vxorem in adulterium pellexerit, ab eaque ex fuga reuersa *canem* et *iaculum* acceperit, quorum ille cum *vulpe* Thebana in *saxum* conuersus sit, hoc autem a se imprudente missum vxorem interfecerit.

Lib. VIII. *Minoi* interim Megaram obsidenti *Sylla*, amore eius capta, patriam cum crine *Nisi* patris purpureo prodit; sed spreta ab illo cum abeuntis naui inhaereret, in *cirin* auem, pater autem in *haliaeeton*, mutantur. Reuersus Minos in Cretam *Minotaurum*, opprobrium generis sui, labyrintho Daedali arte posito, includit, et Atticis pueris pascit, e quibus *Theseus* monstrum interficit, atque *Ariadnen*, cuius ope ex labyrintho se expediverat, secum e patria ductam in Dia insula relinquit, vbi eam Bacchus assumit, eiusque *coronam* inter *sidera* collocat. *Daedalus* vero cum ex insula illa aufugere non posset, alis inuentis euolauit, sed *Icarus* post patrem volans

submersus est. Eius exsequias celebrantem vidit patrem, gaudiumque testata est *perdix* e *Perdice* aut Talo, ingenioso multarum rerum inuentore, quem Daedalus inuidia motus ex arce Mineruae praecipitem miserat, transformata. *Theseus* interea cum celeberrimus iam esset, ad *aprum Calydonium* tollendum vocatus est, quem *Atalanta* prima vulnerauit, *Meleager* autem interfecit, cuius mortem accelerauit *Althaea* mater, combusto stipite fatali. Theseus ex ista venatione rediens ad *Acheloum* deuertitur et *Echinades* insulas conspicit, in quas *Naiades* erant conuersae. Quod ita fieri potuisse, negante Pirithoo, Lelex primum *Baucidis* et *Philemonis* probat exemplo, qui in *arbores* fuerint commutati, sicut *domus* eorum in *templum*, ac *pagus* ipse in *stagnum*. Achelous deinde *Protei* et *Mestrae*, Erisichthona, patrem fame furentem, alentis *naturam transformem* addit.

Lib. IX. Tum *suas* formas refert, quas quondam mutauerat, cum ipsum premeret Hercules, de *Deianira* certans. Hanc victori in patriam redeunti *Nessus* rapere voluit, sed Herculis sagitta venenata confossus cecidit, et, ne inultus periret, raptae vestem dedit sanguine suo tinctam. Ea dubitans aliquanto post de mariti amore, vestem ei misit eandem, qua indutus cum concremaretur, et *Lichas* famulus ab eo per aëra missus in *saxum* obriguisset, periit, et, *renouata* eius *facie*, in coelum est traductus. Tum *Alcmena* mater ad *Iolen* nurum se contulit, eique *Galanthidem* in *mustelam*, et illa vicissim *Dryopen* sororem suam in loton conuersam narrauit. Interim superuenit ipsis *Iolaus*, reparata per Heben *iuuentute*. Id quod non posse omnibus contingere, Iupiter *Aeaci* exemplo docet. Hunc fugiens *Miletus* in Asiam discessit, et *Byblidem* procreauit atque *Caunum*; cuius illa desiderio tabefacta in *fontem* transiit. Quae quidem res magis mira cunctis visa esset, nisi paullo ante *Iphis*, ipso nuptiarum die, *virilem sexum* accepisset.

Lib. X. His nuptiis qui interfuerat Hymenaeus ad *Orpheum* inde se contulit, sed malo omine, quandoquidem mox obiit *Eurydice*, neque ad superos reduci potuit. Moerore igitur perculsus Orpheus montes solitarios petiit, quo, sono lyrae eius impulsae, accurrerunt arbores, et inter caeteras *pinus* ex *Aty* atque *cupressus* e *Cyparisso* mutata. Canebat autem ille de raptu *Ganymedis*, de *Hyacinthi*, ab Apolline amati et interfecti, in *hyacinthum* florem, de *Cerastarum* in *tauros*, de *Propoëtidarum* in *lapides*, de Pygmalionis *statua* in *mulierem viuam* (vnde natus *Pa-*

phus), de *Myrrhae* propter incestum cum patre concubitum in *myrrham* arborem, atque de *Adonidis*, cui Venus *Hippomenis* et *Atalantae* in templo concumbentium in *leones* transformationes narrauerat, in *anemonem* mutatione.

Lib. XI. Hinc *Thraciae mulieres* cum Orphea discerpsissent, *serpente*, qui os eius petebat, in *lapidem* mutato, in *arbores* conuersae sunt a Baccho, qui, relicta ob interfectum vatem Thracia, in Phrygiam se contulit, vbi *Midas*, cui pro Sileno restituto *auri copiam* fecit. Cuius cum illum poeniteret, in *Pactolo* lotus *arenas* eius *aureas* reddidit. Postea Phoebus pro iniquo iudicio *aures* illi *asininas* tribuit. Quo facto, Troiam profectus Apollo, *Laomèdontem* muros Troianos exstruentem adiuuit. Filiam eius *Hesionen*, saxo alligatam, liberauit Hercules, coniugem autem duxit *Telamon*, quemadmodum *Peleus* Thetida transformem. Is ad Ceycem postea profectus, *Daedalionem* in *accipitrem*, et *lupum* in *saxum* conuersum, partim intellexerat, partim ipse viderat. Sed *Ceyx* in itinere ad oraculum Clarium suscepto periit naufragio. Accidit deinde, vt *Halcyone*, marito post naufragium sub *Morphei* figura secundum quietem conspecto, in *halcyonen* auem, sicut et maritus, mutaretur. Quos volantes cum animaduertissent quidam, *Aesacum*, Priami filium, quondam in *mergum*, qui tum forte aderat, meminere transformatum.

Lib. XII. Huic tum *Priamus* pater, tamquam mortuo, exsequias fecit vna cum filiis, excepto *Paride*, qui in Graeciam profectus Helenam rapuit. Raptorem secuti sunt Graeci, postquam Aulide, *serpente* quodam in *lapidem* mutato, Dianam placare voluerant *Iphigenia* oblata, cui vero mutatae Dea substituit ceruam. Troiani cum *fama* aduentum Graecorum cognouissent, armati eos exspectant. Primo statim congressu *Cygnus*, ab Achille super lapidem necatus, conuertitur a Neptuno in *auem* sui nominis. Is autem, qui telo nullo violari potuerat, in conuiuio heroum Nestori in memoriam reuocabat tam *Caenea*, inuulnerabilem et ipsum, atque primum e femina in *marem*, deinde in proelio, cum arborum mole obrueretur, in *auem* conuersum, quam omnino pugnam *Centaurorum* cum *Lapithis*, quorum pars Caeneus fuerat. His appendicula addita de *Periclymeno* in *aquilam* transformato. Neptunus vero Cygni mortem dolens exorauit Apollinem, vt Paridis sagittam in *Achillem* flecteret, qua ille periit.

Lib. XIII. De Achillis armis *Aiax* et *Vlysses* con-

tendunt: ac illius quidem, sua ipsius manu interfecti, sanguis in *hyacinthum* vertitur. Capta iam Troia, *Hecuba* in Thracia, vbi Polymestorem excaecauit, fit *canis*. Eius infortunium cum Dii omnes deplorarent, Aurora alia luctu tenebatur, *Memnonis* scilicet filii, cuius e cineribus *memnonides* aues prodierunt. *Aeneas* porro profugus ad Anium, cuius *filiae* in *columbas* erant conuersae, post alia deinceps loca transformationibus clara, in Siciliam delatus est, vbi *Scylla*, cui *Galatea* narrat *Polyphemi* amores *Acidis*que obitum: quo facto, *Glaucus*, in *Deum marinum* mutatus, apparet.

Lib. XIV. *Scyllam* Circe mutat in *monstrum*. Aeneas autem in Africam venit, vbi eum Dido excipit. Tandem, vt, Pithecusas praeteruectus, vbi *Cercopes* ex hominibus in *simias* mutati, in Italia appulit, in Caietano litore e Macareo multa de *Vlysse* atque *Circes* veneficio comperit, quo etiam *Picus* rex in *picum* auem mutatus erat. Mox bellum cum *Turno* suscipit. Is cum per Venulum peteret auxilium a *Diomede*, cuius *socii* in *aues* erant transformati, repulsam tulit: redeunte Venulo per ea loca, in quibus *Appulus pastor* quondam in *oleastrum* conuersus erat. Postea Aeneae *naues Nymphae* fiunt in proelio, sicut et ex *Ardeae*, vrbis incendio deletae, cineribus *ardea* auis: atque *Aeneas* in *Deum* transit. Successerunt huic reges alii, quorum inter caeteros sub Phoca floruit *Pomona*; quam cum *Vertumnus* amaret, sumta primum *anus* forma, et *Anaxaretes* exemplo in *saxum* conversae vsurpato, deinde rursum *iuuenis* factus, voto potitur. Inde sub *Numitore* aquae *frigidae* redduntur *calidae*. Cui qui successit *Romulus*, factus est *Quirinus*, eiusque vxor *Ora* Dea.

Lib. XV. Secutus est *Numa*, qui cum de originibus Crotonis quaereret, *nigros calculos* quondam in *albos* fuisse commutatos comperit, et *Pythagoram* de *perpetuis* rerum *transformationibus* disputantem audiuit. Mortuum deinde Numam deflet *Egeria*, nec *Hippolyti*, qui suas ipsi *conuersiones* narrabat, consolationem admittens, in *fontem* liquescit. Id quod non minus fuit mirandum, quam quod *Tages e gleba* ortus, Romuli *lancea arbor*, et *Cippus cornutus* factus. Tum transit poëta ad praesentia, narratque, quomodo *Aesculapius* coli a Romanis in insula Tiberis coeptus sit, *Iulius*que *Caesar* in *stellam* commutatus.

P. OVIDII NASONIS METAMORPHOSEON

LIBER PRIMVS.

In noua fert animus mutatas dicere formas
Corpora. Dî, coeptis (nam vos mutastis et illas)

VARIAE LECTIONES.

Metamorphoseon, non *Metamorphoseos* inscriptum esse hoc opus ab Auctore, Mss. optimorum, auctorum hoc carmen laudantium, Planudis in metaphrasi graeca, et Graecorum, ad quorum imitationem Noster haec scripsit, euincunt auctoritates, quas vide ap. Heins. Neque vsus linguae permittit, tot transformationum corpus *metamorphosin* vocare. 2. *vos*. Palat. Berneg. vnus Hamb. a m. pr. et schedae Leod. *Di*; quae repetitio

NOTAE.

Primis quatuor versibus continetur et argumenti expositio, et, vt in didactico carmine, inuocatio Deorum. Breuitate, simplicitate, modestia se commendat hoc exordium.

Fert animus, intell. *me*, impellit me; quod est simpliciter, volo, cupio. Sic etiam infra vs. 775. et A. A. III, 467. Aliorum poëtarum loca collegit Drakenb. ad Silium XVII, 294. G' *Fert animus*, quod Schol. ad Horat. ep. V, 3 expl. *vult* et Schol. inedit. ad Ovid. A. A. III, 467. *cupit*, proprie est: *fert me animus ad dicendas formas*; sed ex graeca, quam dicunt, ratione infinitivus adhibetur. Sic A. A. III, 534 *aptus amare* pro *aptus ad amandum*. v. Wachsmuth von dem Gerundio etc. in Athenaeo T. I Fasc. I. E. — *In noua mutatas formae corpora* per hypallagen dictum volunt pro, *corpora in nouas formas mutata*, vt dixit Noster II Trist. 556. Sed non opus est, vt ad hypallagen confugiamus. *Formae* nunc sunt corpora ipsa, qua formam habent, vt infra vs. 436, et XV, 172. *species* et *figurae*. Noluit dicere, corpora prisca mutata esse in noua, aut formam priorem in aliam, sed posuit verba duo, quae eodem redeunt. Et maluit formas *in corp. mutatas*, quam alterum, partim quia illud exquisitius et magis poëticum, partim quia mutatio forma potissimum fit conspicua. Itaque et alibi memorat, cecinisse se, *mutatas formas*, vt, 1 Trist. I, 117. et VII, 13. Neque male sic Graec. μεταμορφώσεις quasi interpretatus est. Nimis anguste Burm. quem sequitur Schirachius, de solis hominibus accipit; insunt enim et aliarum rerum metamorphoses. Ii vero argutantur, qui poëtam consulto carmen de corporum transformatione a verborum permutatione exorsum esse contendunt.

2. Caussam affert propriam quare sibi non vnum et alterum Deum, non Musam aliquam, vel,

Adspirate meis, primâque ab origine mundi
Ad mea perpetuum deducite tempora carmen.

concinna Heinsio videbatur et neruosa. Immo inepta foret. Potius *mutare* consulto repetitum. — *et illas.* Codd. quidam *easdem.* Francius parum feliciter coni. vel, *nam vos mutastis in illa*, vel *namque has mutastis in illa.* G. *et*, quam particulam causalem dicit Helvetius, bene explicat Capoferreus. Sententia est: Adjuvatis me, idque eo magis, quoniam *etiam* auctores estis illarum mutationum. E. 4. *perpetuum.* Codd. nonnulli *continuum*, improbante Burm. Vtrumque eodem redit. Etiam Plin. VII. Ep. 9, 9. *continuum carmen* eodem sensu. G.

quod seriores fecerunt, poëtam quendam, aut imperatorem (v. Ciofan. ad h. l. Schrader Animadv. ad Musaeum p. 119 sqq.), sed omnino Deos adspirare velit; auctores enim rerum dicendarum fuerunt. *nam vos* etc. Difficultas, quam mouet Intt. τὸ et, facili, opinor, tollitur negotio, si sententiam in hunc modum concipias: Di, vestrum est me adiuuare, quandoquidem vos non modo caetera regitis, verum *etiam* formas illas mutastis, quas ego hoc carmine persequar. Cui hoc displicet, is e lectionis varietate praeferat *easdem.* Non bene Koeppen *nam et* coniunxit atque per *etenim* explicuit.

3. *primaque ab or. m.* post Lucret. phrasis fere sollemnis in hac re. vid. Ciofan. Bene et ambitum operis et naturam propriam in limine indicat. Ad naturam eius declarandam delectum est voc. *perpetuum*, non interruptum, vna serie procurrens, vt apud Cic. Verr. I, 4. *perpetua oratio*, et Or. II, 45. *sermonis perpetuitas.* Ergo *perpetuum carmen*, in quo fabulae omnes in vnius corporis speciem coniunctae sunt: a qua virtute laudem insignem Ouidius meruit. Simili fere modo Horat. I od. 7, 6. Athenas *carmine perpetuo celebrare*, omnes Athenarum laudes iusto ordine persequi. — *deducite*, inde ab initio vsque ad finem mihi scribenti adeste. Ducta est metaphora a lanificio, vbi fila *deducuntur* per radios. IV, 36. Vsitatum autem est, scribendi operam cum textura et lanificio comparare. vid. Burm. ad Amorr. I, 14, 7. Poëta *deducit* argumentum, cum id tractat ab initio vsque ad finem. Trist. II, 560. *In tua deduxit tempora, Caesar, opus.* Sed nunc modeste translatum ad Deos. — Caeterum hoc totum exordium adeo displicebat Scaligero Poët. lib. 6, p. 862. vt ipse nouum substitueret, sed inuita Minerua, et grauissimas temeritatis suae poenas dedit cum aliis, tum Capoferreo.

FAB. I. vs. 5. — 88. *Creatio mundi*, metamorphosis omnium prima, eademque grauissima. Amplexus autem est Poëta, suoque modo exornauit sententiam, quae iam olim fuerat Aegyptiorum. Horum enim in scitis erat, auctore Diog. Laërt. prooem. s. 10, ἀρχὴν εἶναι τὴν ὕλην, εἶτα τὰ τέσσαρα στοιχεῖα ἐξ αὐτῆς διακριθῆναι, καὶ ζῶά τινα ἀποτελεσθῆναι. quam sententiam latius explicat Diodor. Sic. Tom. I. p. 11. vbi multa et his nostris, et iis, quae infra vs. 416 sqq. traduntur, quam simillima, nisi quod ibi omnia sine interuentu et opera Dei, solis naturae legibus perficiuntur. Noster autem multo sanior cum praestantissimis Graeciae philosophis opificem sapientem adhibet, cuius vi ac numine singula et segregata, et disposita et exornata sint. Duci etiam potuerunt primae huius loci lineae (quae Burm. opinio) ex Apollon. Rh. Argon. I, 496. vbi Orpheus ce-

Ante mare et terras et, quod tegit omnia, coelum

Cr. atio mundi.

5. *tellus* ex uno Viviani cod. et uno Medic. recepp. Interpp. Reliqui codd. et editt. vett. *terras*. Lectioni *tellus* turbas movebat Gierig. in edit. pr.; sed defendit eam Seidenstuecker. in libro Philolog. paedagog. Magazin, a Wiedeburgio edito Vol. I. P. III. p. 211, coll. Vol. II. P. I. p. 45. sqq. et p. 50 sqq., cui accessit Lenz. *tellus* ubi receperis, aut incidendum est post *coelum*, ut sensus sit: Antequam mare, tellus et coelum erant, erat unus vultus etc.; aut sublata distinctione jungenda sunt verba: Ante (i. e. antea) mare tellus et coelum unus erant vultus. Prius linguae leges non admittunt. *Ante* non est *antequam*; neque omitti poterat *erant*. Ex posteriore ratione *erant* scribendum esse, jam recte monuit Gierig. (contradicente tamen Seidenst.), idque propterea quod haec tria, mare, tellus, coelum, tam arcte conjuncta erant, ut non nisi *omnia*, neque vero *singula*, unus naturae vultus essent. Conf. et Gierig. in notis. *Tellus* autem, quam lectionem difficiliorem dicunt, tamen ex A. A. II, 468 et Fast. I, 106 ortum esse videtur. Omnino vero hoc verbum satis frequens apud Ovidium, et multo magis librarios offendere debebat pluralis *terras*, praesertim cum singularis numerus et antecederet et sequeretur. Revocavi igitur *terras*. v. Ind. s. v. *terra*. E. —

einisse dicitur, ὡς γαῖα, καὶ οὐρανὸς, ἠδὲ θάλασσα Τὸ πρὶν ἐπ' ἀλλήλοισιν μιῇ συναρηρότα μορφῇ Νείκεος ἐξ ὀλοοῖο διέκριθεν ἀμφὶς ἕκαστα. quem loc. certe respexit Virg. Ecl. VI, 30 sqq. Koeppenio et Lenzio Ouidius omni h. l. Anaxagorae placita secutus esse videtur. Non adsentior. Anaxagoras tot elementa statuit, quot corporum genera; Noster cum Empedocle quatuor tantum. Tum Anaxagorae Νοῦς non nisi primum motum elementis dat; quo facto vires Naturae reliqua perficiunt; sed h. l. *opifex rerum* cuncta absoluit.

Sed primum vsque ad vs. 20. rudem illam molem describit, ex qua Deus singula euoluerit, mundumque creauerit. Erat enim communis veterum philosophorum error, Deum ex materia quadam, subordinata quidem ipsi, aeterna tamen, mundum finxisse; quam materiem Noster, Theogoniarum auctores secutus, atque Orphicos, *Chaos* vocat. Hesiod. Theog. 116. Ἤτοι μὲν πρώτιστα χάος γένετο. Locus satis elegans, si verba spectes, caeterum non exigendus ad physicas rationes, vt monuit etiam Baylius in Diction.

5. *Ante*, ante rerum originem. *In principio* dixit legislator Iudaicus. *Mare* igitur et reliqua *vnus vultus erat*, dictum foret, vt. A. A. II, 468. *Vnaque erant facies sidera, terra, fretum*, et Fast. I, 106. *Ignis, aquae, tellus vnus acervus erant*, quibus locis nostrum illustrat Heins. et quae expressa videntur ex Euripid. Menalip. fragm. p. 454. To. 2. edit. Lips. vbi Menalippe ait, se a matre accepisse, ὡς οὐρανός τε γαῖά τ' ἦν μορφὴ μία. Verum sic molesta sunt verba *Naturae* et *toto in orbe*. Displicet etiam *ante* sic in principio operis, vbi nihil praecessit, ad quod referatur. Vix ergo dubito praeferre alteram lectionem, ab Heinsio duorum Codd. auctoritate pulsam, *Ante mare et terras* et *q. t. o. coelum*, antequam mare et reliqua exornarentur, in toto orbe vnus vultus Naturae erat. Sic nihil hic impeditum. Non autem poëta, quae erat Seidenstuekeri opinio, hic elementorum numerum in

Vnus erat toto Naturae vultus in orbe,
Quem dixere Chaos; rudis indigestaque moles;
Nec quidquam, nisi pondus iners; congestaque eodem
Non bene iunctarum discordia semina rerum.
Nullus adhuc mundo praebebat lumina Titan;
Nec noua crescendo reparabat cornua Phoebe;
Nec circumfuso pendebat in aëre Tellus
Ponderibus librata suis: nec brachia longo

6 *toto.* Schol. ined. Senecae ad Thyest. 832 legit *primo*, quod non inuenustum videtur Burm. Immo otiose additum foret; *toto* contra bene respondet τῷ *vnus*. 9. *discordia.* Heins. coni. *dissortia.* Frustra. *male iunctae* potius sunt dissortes. Inde vero oriebatur *discordia* illa, quam Auctor 18 — 20 persequitur. (*dissortia* jam bene refutavit V. D. in Miscell. Obss. Vol. II. T. I. p. 29. 11. *renovabat* unus Ciof. cod., quod recte dici possit; sed propter codd. alterum cum Heins. ad h. l. et Burm. sec. ad Anth. Lat. T. I p. 725 praeferendum est. E.)

ipso limine praecipere voluit, sed mundi partes e vulgari diuisione nominare. *quod tegit omnia*, ὁ περιέχων τὰ πάντα Graecis dicebatur coelum. *coeli tegmen* Cic. N. D. II, 14. *coeli amictus* Lucret. VI. 1131. — *Vnus vultus*, vna species, vna forma, in qua nullae partes variarum figurarum discerni possent. Horat. I Ep. 1, 90. *vultus mutans Proteus.* Claudian. 87, 1. *Quis dedit innumeros vno de marmore vultus?* Et h. l. cum dilectu.

8 *iners*, inutilis, nisi quid inde formatum esset. Sic Virg. Georg. I, 94. *glebae inertes*, inutiles, nisi comminuantur. De informi et inculta mole nolim cum aliis accipere, quia id iam praecessit. Sed quam nos *inertiam* intelligimus, ea vs. 16. 17. describitur. *Semina rerum*, elementa, στοιχεῖα, vnde omnia nata esse creduntur. *discordia*, inuicem pugnantia. vid. vs. 19. 20. Pugnabant autem, quippe *non bene iuncta*, contraria, dissortia, non congrua. Heroidd. XIX, 173 amor et reuerentia *male res iunctae*.

10 Cauendum est poëtae, ne in notionibus generalibus subsistat; itaque et Noster copia poëtica praecipuas mundi partes enumerat, quae nondum *digestae* fuerint. Sed vide, quam suauiter exornauerit tenuia illa, nondum erat sol, nondum luna etc. Pro his partibus nominantur personae mythologicae, quibus hic locos mirifice animatur. Itaque et *Tellus* litera maiuscula in initio dedimus. Sol non Phoebus vt sed ex antiquiore mytho *Titan;* natus enim est ex Hyperione, vno ex Titanibus. Hesiod. Th. 371. *Titania astra* Virg. Aen. VI, 725. Lunam a propria, quam habet, luminum varietate designat. — *circumfuso*, vt ap. Tibul. IV, 1, 151 *circumfuso considit in aere tellus. Ponderibus librata suis*, oscillans grauitate sua aequilibrio seruato, ita suspensa, vt aequalitate ponderum aequilibrium seruaret, nec in alterutram partem inclinaret. Loca veterum si-

Margine terrarum porrexerat Amphitrite.
Quàque fuit tellus, illic et pontus et aër.
Sic erat instabilis tellus, innabilis vnda,
Lucis egens aër; nulli sua forma manebat;
Obstabatque aliis aliud: quia corpore in vno
Frigida pugnabant calidis, humentia siccis,
Mollia cum duris, sine pondere habentia pondus.

15. Olim edeb. *Quaque erat et tellus*, ut etiam cod. Berol. habet. Porphyr. ad Horat. III, od. 4. *Quaque fuit tellus; illic et pontus, ut aër.* Hoc placuit Iac. a Cruce, eo quidem sensu, ut post *Quaque* (vbique) *fuit tellus* suspendatur oratio, tum inferatur *illic et pontus* (fuit) *vt* (vbi) *aër.* Ms. Francof. et alii, *Vt qua erat et tellus, illic.* Burm. suadebat, *Vtque fuit tellus illis, vbi pontus et aër, Sic erat* etc. vt similitudo inferatur. Eundem in sensum Heyne Obsv. ad Tibul. IV, 1 39 maluit, *Vtque erat et tellus illic, qua p.* Aut hoc, aut Burm. praefert Koep-

milia congesserunt Ciof. et Heins. Koeppen monet, cogitandum esse orbem planum ita impositum axi, vt ambae orbis partes aequilibrium servent. Antiquissimi sane poëtae putarunt, terram esse orbem planum; sed, quod iam Thales, Anaximander et alii docuerunt, formam ei esse globosam, et Romani constanter crediderunt, iidemque nihilominus eam *ponderibus libratam suis* dixerunt. *Amphitrite,* Neptuni vxor, Dea et domina Oceani, *nondum brachia*, aquas suas, *porrexerat*, effuderat, *longo margine*, circa longas oras terrarum. (*Amphitriten* hic poni pro mari mediterraneo, quod ambire intrinsecus terras Pomponio Melae aliisque dicatur (coll. v. 137. Virg. Aen. VI, 58), monet H. Voss, in Bothii Vindiciis Ovid. p. 169. Repugnant vss. 31 et 36. E.)

15. Vt hactenus *indigestam* molem descripsit, sic nunc ad verba *congesta eodem* et vs. seq. ad *pondus iners* redit. *Quaque,* vbicunque. Sed nexus commodus eum antecedentibus desideratur. Vide igitur Varr. lect. Forte melius poëta omnem h. l. vsque ad vs. 20 omisisset. Non enim erat, cur post superiora lectorem moueret, *instabilem* fuisse *terram* etc. Pugna autem illa vs. 18 — 20 talis est, vt vix in cogitationem cadat. *Instabilis* si passiue accipis, qua insisti, in qua pes figi nequibat, noue quidem et paullo insolentius dictum erit, sed bene conueniet τῷ *innabilis.* In limoso illo acerno nec pes figi poterat, terra enim subacta erat multis aquis, nec denique cerni quidquam (χάος ἐρεβῶδες), lucis enim etc. Verissime igitur erat *pondus iners*, *ein untauglicher Klumpe.* Et multum sibi indulserunt Veteres in vsu adiectiuorum in *bilis* desinentium vid. Perizon. ad Sanctii Min. 1, 15, 4 et Creech ad Lucret. 1, 11. Sin activam vim et hic praeferas, *instabilis tellus* erit, quae nondum firmum et immotum locum tenebat, nondum erat *terra continens.* — *nulli sua forma manebat,* nulli certa et perpetua forma erat; nam veluti fermentatione quadam miscebantur. — *corpore,* mole, aceruo. *pugnabant*, mouebantur intestino quodam motu elemanta, *pugnabant calidis*, graeca syntaxis, μάχεσθαί τινι.

Hanc Deus et melior litem Natura diremit;
Nam coelo terras et terris abscidit vndas,
Et liquidum spisso secreuit ab aëre coelum.

pen, quia in nostra lectione (quam Heins. ex vno Medic. recepit et quae non multum aberrat a Porphyr.) repetatur, quod iam dictum sit ante. Sed hac redundantia non offendetur, qui comparauerit, quae ad vs. 90. 206. 292. 401. monuimus. G. — 21. Wakefield. ad Lucret. II, 119 T. I. p. 219 cor. *Deus aut melior Natura*, quoniam ethnicis unum idemque sit Deus et Natura, coll. Aurel. Vict. ep. XVI, ibiq. Intpp., et sensus esse debeat: sive Deum, sive Naturam vocare velis. Sed discernit Ovidius Naturam a Deo (v. Metam. IX, 777) et dicit, Deum simul cum Natura litem composuisse. E.

Nisi malis praepositionem *cum*, quae sequitur, ad haec quoque referre. *sine pondere* paullo durius iis, quae erant sine pondere, τοῖς ἄνευ βάρους, scil. οὖσι.

21 — 31 Hoc chaos Deus ita tractauit, vt primum elementa separaret, et cuique suum locum assignaret. Vt quoduis erat leuius, ita altiorem locum occupabat. Cf. Fast. I, 106. V, 11. Claudian. R. P. I, 249.

Melior Natura quae sit ex mente Poëtae, aut quo modo differat a *Deo*, frustra quaeritur. Ipse poëta infra vs. 32. fatetur se nescire. Sufficit vim quandam diuinam intelligere. Nempe philosophi disputabant de natura creatoris, cum ab aliis vocaretur Deus, ab aliis animus per omnia fusus, ab aliis mens aut natura ratione praedita. vid. Lactant. Inst. diu. 1, 5, 16. sqq. Cic. sen. 12. *Cum homini siue Natura, siue quis Deus nihil mente praestabilius dedisset.* Koeppen per *Naturam* e placitis Anaxagorae vires elementorum intel. Sed v. ad vs. 5. *litem*, pugnam, fermentationem, νεῖκος ὀλοὸν, Apollon. Arg. 1. 498. *Litem* dixit variationis caussa. Gravius Claudian. d. l. *veterem qua lege tumultum discreuit Natura parens.* — *abscidit*, seiunxit, Horat. I, Od, 3, 21. *Deus abscidit Oceano terras*, vbi v. Bentlei. Cf. Virg. Ecl. VI, 35 sqq. *coelum* est aether. Pacuv. in Chryf. *Nostri coelum memorant, Graii perhibent aethera.* cf. Cic. N. D. II, 40. Sed et apud Graecos αἰθὴρ et οὐρανὸς vsurpantur promiscue. vid. Valkenar. Diatrib. in Eurip. cap. VI. Vocat *liquidum* quippe natura tenuiore et purum ab humoribus, aut, vt ipse vs. 68 explicat, nihil terrenae faecis habens. Opponit *spissum aërem*, grauiore pondere et repletum vaporibus et nebula. Cic. l. l. *concretum aërem* dixit. Cf. cum omni h. l. XV, 239 seqq.

24 *Caeco*, in quo nullae partes animaduerti, discernique poterant. *Dissociata — ligauit.* Tria insunt. Deus *dissociauit* elementa *locis*, diuersa iis loca tribuit, terrae imum, alterum mari etc. sed *ligauit dissociata*, ita dissociauit, vt tamen nexus eorum esset. Aether attingit aërem, aër attingit terram etc. Tibul. IV, 1, 22. Aëri *contextus aether.* Hinc *concors pax*, qua non amplius permixta inter se pugnant. *Dissociare*, vt ap. Horat. I od. 3, 22. *Oceanus dissociabilis*, dissocians. *pace.* A Claudian. III, 65. *fides* et *foedus* elementis tribuitur.

26 — 31. Cf. Tibul. IV, 1, 19 — 23. Claudian. R. P. I, 246 sqq. vbi Proserpina hae

Quae postquam euoluit, caecoque exemit aceruo;
Dissociata locis concordi pace ligauit.
Ignea conuexi vis et sine pondere coeli
Emicuit, summâque locum sibi legit in arce.
Proximus est aër illi leuitate, locoque:
Densior his tellus, elementaque grandia traxit;
Et pressa est grauitate sui. Circumfluus humor
Vltima possedit, solidumque coërcuit orbem.

27. *legit.* Florent. et tres alii *fecit*, non improbante Burm. Sed v. not. 30. *sui.* Cantabr. Berol. Heidelb. et viginti alii *sua*. Nempe Genitiv. pron. primitiui pr. ponitur, vbi is casus a nomine adfectus aut facultatis pendet, sed deinde et sine tali nomine. Itaque saepe in eo variant libri. G.

argumentum texit. Is *elementorum seriem* hunc primum Naturae actum vocat. *Ignea vis*, periphrasis ignis ipsius. *Vis*, ἴς, βίη, apud poëtas saepe inseruit periphrasi. *Ignis* porro *coeli* est aether, qui constat ignea natura (Virgil. Ecl. VI, 33. *liquidus ignis.* Tibul. d. l. *igneus aether.*), quae eadem est leuissima. *conuexum* pro concauum; quem vsum Cic. in Arateis vs. 314. primus inuexisse videtur Heynio ad Virg. Aen. IV, 451. *emicuit*, repente et celeriter prosiluit, quod verbum maxime conuenit leuitati aetheris. *summa arx*, altissima mundi ora. *sibi legit*, tamquam sua sponte fecerit, quod lege naturae fiebat. Etiam ap. Claudian. d. l. nonnulli *legit flamma polum* Cf. XII, 43 vbi eadem verba de Fama.

29 *Elementa grandia*, crassiora corporum stamina attraxit, quae pondere suo deorsum vergebant. *pressa* est, vt subsideret. Fast. V, 13. *Pondere terra suo subsedit et aequora traxit*; quod sumtum e Tibul. d. l. *Qualis in immenso desederit aëre tellus.* *circumfluus.* (περιῤῥέοντες) *humor*, oceanus *vltima possedit*, profundissima occupauit, quia terrae eminent super Oceani superficiem. Aliter Sener. Aetn. 103. *sors data coelo Prima; secuta maris, deseditque infima tellus.* Lenzius vero per *vltima* int. marginem orbis terrarum plani, atque *circumfluus* putat esse Homeric. ἀψόῤῥοος, *in se ipsum rediens.* Sed v. ad vs. 12. *solidum orbem*, terram continentem, quae solidior multo aquis. *coërcuit*, amplectitur, ambit. Infra XV, 251 *Tellus cogitur vnda.* Caeterum huc respexit Lactant. Inst. diu. II, 9, 2. *Terram voluit humore circumflui et contineri.*

32 — 88. Iam de exornatione et compositione totius mundi exponit. Initium facit a terra et aqua vs. 32 — 51. progreditur ad aërem vs. 67 — 71. postremo de incolis variarum mundi partium, inprimis de homine vs. 72 — 88.

Sic — redegit. Ordo et sensus horum verborum debet haud dubie esse hic: Cum Deus *congeriem* illam, s. rudem et indigestam molem, *secuisset*, diuisisset, atque in *membra*, distinctas partes, aquam, terram, reliq. redegisset (22. 23.), atque adeo *disposuisset*, cuique parti suum locum assignasset, 25 — 31. Amant poëtae eiusmodi transpositiones. Virg. Georg. I, 319. *Quae — segetem — sublime expulsam eruerent*, i. eruerent et

Sic vbi dispositam, quisquis fuit ille Deorum,
Congeriem secuit, sectamque in membra redegit;
Principio terram, ne non aequalis ab omni
Parte foret, magni speciem glomerauit in orbis.
Tum freta diffundi, rabidisque tumescere ventis
Iussit, et ambitae circumdare litora terrae.
Addidit et fontes, immensaque stagna, lacusque;
Fluminaque obliquis cinxit decliuia ripis;

32. *dispositam*, pro quo ex uno Regio cod. *compositam* Burm. malebat, defendunt ex Claudian. III, 4 Burm. Sec. ad Anth. Lat. T. II. p. 422, et ex Lucret. V, 446 Wakef. ad Lucr. d. l. T. III. p. 71. E. — 36. *diffundi* pro *diffudit* Heins. ex Vrbin. et Langerm. recepit. Bene; nam accedit et Lactant. Inst. II, 5. auctoritas, atque mollius etiam hoc est altero. *rabidisque* pro *rapidisque* in Mss. repertum et Heinsio probatum recepit Burm. 39. *cinxit*. Heins. malliut *strinxit*. Male. 41. Francof. *conueniunt*, addita hac glossa, *id est cum aliis fluminibus*. (Vulgatam eadem, qua Gie-

deinde in aërem expellerent. Idem vs. 400. *solutos iactare maniplos*, iactare manipulos sic, vt soluantur. Similiter Noster passim. Vid. ad vs. 303. Burm. tamen praefert alteram lectionem *compositam* adeo *composita congeries* sit ille κόσμος, s. *mundus* philosophorum. Bene. Sed me offendit hoc, quod illa moles nondum secta non poterat κόσμος, aut *mundus* sensu illo philosophico dici. Cic. Tim. p. 1114. Ern. *vt hunc hac varietate distinctum bene Graeci κόσμον, nos lucentem mundum nominaremus.* Etiam Claudian. in Ruf. I, 4. h. v. vsus est. *dispositi foedera mundi* — *secuit sectamque*, Mirum in modum Noster illam repetitionem adfectauit. Cf. vs. 142. 158. 167. 206. et alibi. *membra* non satis commode Rode *Glieder* vertit. *membra* omnino partes distinctae alicuius rei, vt *membra carinae*, *aedificii*, *philosophiae*. Vid. nos ad Plin. II. Ep. 17, 9. Caeterum Anaxagoras, qui et ipse docebat, ab initio πάντα χρήματα πεφυρμένα fuisse, addebat: Ὁ Νοῦς δὲ αὐτὰ διῆρε, καὶ διεκόσμησε, καὶ ἐκ τῆς ἀταξίας εἰς τάξιν ἤγαγε. Plutarch. de Plac. lib. I. cap. 3.

35 Omnis hic locus plurimum habet suauitatis, a delectu inprimis verborum. Pro simplici enim *facere* aut *fieri* posuit verba ea, quae vel naturam rei exprimant, vel modum adspectabilem, quo facta sit. Terra *glomeratur*, freta *diffunduntur*, aquae *pulsant* litora, *extenduntur* campi, valles *subsidunt*, montes contra *surgunt*. — *glomerauit*. Cic. Tim. 6. *Deus mundum ita tornauit, vt nihil fieri possit rotundius*. N. D. II, 39. *terra nutibus suis* (pondere) *conglobata*, — Iam antea aquae coërcuerant orbem; nunc iubentur *diffundi*, latius extendi, atque hic illic se insinuare in terras, vt sinus et similia efficiant.

Et *rabies* et *insania* ventis tribuitur. vid. Heins. *rabies Noti* Horat. 1 Od. 3, 14. *ambitae*, quae cingitur a mari. Qua ratione *ambitus* mediam producat, disputatur. vid. Burm. *ambitae circumdare* e copia poëtica dictum.

39 *decliuia*, quia e locis altioribus defluunt. *pronos fluuios*

Quae diuersa locis partim sorbentur ab ipsâ;
In mare perueniunt partim, campoque recepta
Liberioris aquae, pro ripis litora pulsant.
Iussit et extendi campos, subsidere valles,
Fronde tegi siluas, lapidosos surgere montes.
Vtque duae dextrâ coelum, totidemque sinistrâ
Parte secant Zonae, quinta est ardentior illis;
Sic onus inclusum numero distinxit eodem

rig. in notis, ratione tuitus est V. D. in Misc. Obss. Vol. II, T. I, p. 30.)

44. Gebhard. Crep. I, 6. *spatiosos crescere.* Et ita Palat. sec. At alterum agnoscit Lactant. II, 5. et *surgere* exquisitius quam *crescere.* Etiam *lapidosos* minus vulgare, quam *spatiosos.* (49. *medio, non est* cod. Gronov., quod praefert Wakef. ad Lucret. V, 205. T. III. p. 26. quoniam e vulgata lectione iniucunda sit vocis *est* repetitio). 50. Reuocaui *vtramque*, quia *vtrumque* non nisi duo Leidd. habent, et vnus pro varia lect. vnde adsumsit Burm. Singularia non admittenda sunt, nisi Codd. consensu id exigente. 52. Vulgo, *qu. quanto est pondere terrae, Pondere aquae leuior*, uti et cod. Berol. habet. Sed alterum e Cod. peruetusto protulit Const. Funens. et *pondus leuius* agnoscunt etiam excerpta Vatic. Calandrae, quamquam in his etiam *aqua* scribitur, quod argutum videbatur Heinsio. Vetustum *igni* ex Medic. Bonon. et Strozae accepit Burm.

alii dicunt. *obliquis* eleganter exprimit cursum fluviorum tortuosum. *cinxit*, inclusit. Pro *diversa locis* (Georg. IV, 367) in pedestri oratione vsitatius, diversis locis. *sorbentur*, vt Arethusa. Quidam subeunt terras sed mox redduntur vt Lycus in Asia, Erasinus in Argolica. vid. Plin. H.N. II, 103. *Perueniunt.* Probat quidem Burm. *conueniunt*, sed ego nihil mutandum arbitror. Alios enim fluuios velut intercipit terra, alii vsque ad mare perueniunt. *campus* et *aequor* quamcumque planitiem designant. Hinc utrumque vocab. promiscue mox de planitie, agris, mox de superficie aut de fundo maris dicitur. Melius tamen nunc abstinuisset h. voc. quia proxime sequitur *extendi campos*. *Liberioris*, non inclusae angustis ripis. *Vaga aqua* a Nostro appellatur Heroidd. X, 136. *pro ripis* etc. merus lusus grammaticus. *Subsidere* aut *subsidere* de locis depressis et complanatis. Vid. Gronov. Obss. I, 17 p. 138. *surgere* contra (quasi surrigi, sursum agi) de iis, quae excrescunt in altitudinem. Drakenb. ad Silium III, 659. *Frons* honor arborum. vs. 346.

45 *Quemadmodum* in coelo quinque zonae sunt, duae frigidae, totidem temperatae, vna torrida; sic et in terra. In harum descriptione Nostro praeiuerant Virg. G. I, 233 sqq. et Tibul. IV, 1, 152 — 174. qui caeteris copiosior est. Cf. etiam Claudian. R. P. I, 259 sqq. Multo ornatior Ouidio est Virgilius. Pro eo, quod hic legimus, *est ardentior*, ille dixit: *vna corusco Semper sole rubens et torrida semper ab igni*; et de frigidis non satis habuit *altam niuem* commemorare, sed: *caerulea glacie concretae atque imbribus atris.* — *secant*, diui-

Cura Dei; totidemque plagae tellure premuntur.
Quarum quae media est, non est habitabilis aestu:
Nix tegit alta duas: totidem inter vtramque locauit,
Temperiemque dedit, mixtâ cum frigore flammâ.
Imminet his aër, qui, quanto est pondere terrae
Pondus aquae leuius, tanto est onerosior igni.
Illic et nebulas, illic consistere nubes
Iussit, et humanas motura tonitrua mentes,
Et cum fulminibus facientes frigora ventos.
His quoque non passim mundi fabricator habendum

54. Heins. malit *considere*. Male; et recte id improbat Wakef. ad Lucret. V, 475, T. III p. 79. G. — 56. Iac. a Cruce cor. *Fulgura* ex Metam. III, 300 sqq. et quoniam, ut justo argutius monet, venti non solum frigora, sed etiam calores afferunt. Accedit ei Wakefield. ad Lucr. l. c, E. — 61. *Nabataeaque*. Ita, sine *h*, hoc nomen constanter legitur ap. Plin. Tacit. Strab. et ita exhibet cod. Berol.

dunt. Ductum a sphaera, quam *secant* circuli. *onus inclusum*, moles terrae, quam includit coelum. *Cura Dei* est Deus ipse, sed quatenus curam gerit mundi. Fast. I, 37. *cura Quirini.* — *tellure*, deest *in*. *premuntur* sonantius et exquisitius quam, *sunt:* nam *premi* eleganter dicuntur, quae finibus inclusa sunt. Virgil. Georg. 1, 235 zonae *trahuntur*. — *non est habitab.* nempe ex opinione Veterum, qui zonas frigidas non minus, quam torridam, incolis orbas putabant. vid. Lucret. V, 205. Virgil. Georg. I, 237 s. et Macrob. Somn. Scip. II, 5. late de hac re disputantem. — 51. *flamma* poëtice pro calore.

52 *Imminet*, superimpositus est. Et viciniam et altiorem situm h. v. indicat. *consistere*, colligi, oriri, *συνίςασθαι*, aut immorari. *motura*. Alias *terrere* Iupiter dicitur fulminibus aut tonitru. *facientes frigora*, vt apud Virgil. G. I, 352. *agentes frigora venti*.

57 *passim*, sine ordine et lege, vt quisque spiret, vnde velit. vid. Burm. ad Quinctil. Declam. IV, 13. *habendum*, possidendum, agitandum. Similiter graec. *ἔχειν*. *Cum — tractu*, cum quisque ex diuersa regione flat, vt Homer. Od. ε, 295. *Regunt sua flamina*, tamquam personae. *lanient*, graviter pro, disrumpant *fratrum*. Habiti sunt Astraei et Aurorae filii. Hesiod. Th. 378. Sed Noster omni h. l. mythologia neglecta, rerum naturam sequitur; itaque hoc nomine communem potius ventorum naturam respexisse videtur. Positum autem est in hoc epiphonemate cum virtute.

61 Laudat hanc ventorum cardinalium descriptionem Seneca N. Q. V, 16. *Auroram*, Aethiopiam, sedem Aurorae, Vs. 774. *Nabataeos* Strabo lib. XVI. p. 767 inter Babylonem et Arabiam Felicem collocat, metropolimque eorum nominat Petram. Sic et Plin. H. N. VI, 28. s. 32. Iis praeerat *rex*, qui a Tacito An. II, 57 commemoratur. Inde *Nabataea regna*. Nunc omnem Arabiam cogitabimus, quae fere commemoratur, vbi Orientis fines designandi sunt, (Burm. tamen in Adden-

Aëra permisit. Vix nunc obsistitur illis,
Cum sua quisque regant diuerso flamina tractu,
Quin lanient mundum; tanta est discordia fratrum!
Eurus ad Auroram, Nabataeaque regna recessit,
Persidaque, et radiis iuga subdita matutinis.
Vesper, et occiduo quae litora Sole tepescunt,
Proxima sunt Zephyro: Scythiam Septemque
trionem

64. *trionem*, non *triones*, praeferunt Florent. Berneg. Vrbin. idque ex antiquo vsu loquendi comprobat Heins. 69. *Dissepserat* Heins. e Leodic. fragm. antiquissimo dedit; idque verbum est probum; sed a librario imperito, aut dictantem non recte percipiente, hoc facile mutari potuit in *discepserat*, quod habent permulti Mss. Id cum ferri non posset, alius correxit *discerpserat*, quod et ipsum multos libros occupauit, et defenditur a Gebhardo Crep. I, 6. quamquam parum dignum est maiestate creatoris. Edd. antiquae *discreuerat*. Gifan. malebat *descripserat*. 71. Edd. antiquae *fulgescere*. Mss. plerique, iique meliores *feruescere* (quod primus Asulanus amplexus est) aut *efferuescere*. Hoc exquisitius alii in vulgaria illa et obuia *clarescere* et *splendescere* mutarunt.

dis T. IV. p. 257. *Nabataea regna* de India capit, coll. Cuper. de Elephantis Exerc. II, c. 3. E.) *iuga*, haud dubie Emodi, Damasii et alii montes, quibus India cingitur. Plin. VI, 17. s. 21. *subdita*. Horat. I od. 12, 55. *subiectos orientis orae Seras*. Nostrum expressit Senec. Agam. 482. *Eurus Orientem mouet, Nabataeaque quatiens regna et Eoos sinus*. — *Litora* dixit, non *terrae*, quia mare Atlanticum claudit orbem occidentalem. *tepescunt*, quia solis occidentis radii minus violenti sunt; propter ea etiam occidentales terrae minorem solis aestum sentire poëtae videntur. Ita et Horat. I Sat. 4, 30 *Sol, quo vespertina tepet regio*. Similiter mox meridionalis terra *madescere* dr. quia Auster inde pluuias agit. Boreae vero violentiae satis accommodatum *inuasit*. Manil. *Asper ab axe ruit Boreas*. *Scythiae* nomine Veteres comprehenderunt omnes terras septentrionales incognitas. *Horrifer*. Frigora enim, de quibus proprie *horror*, agit Boreas. De origine eius cf. IV Pont. 10, 41.

68 *nec q. terrenae faecis*. ἀτρύγετον αἰθέρα dixit Homer. Il. ρ. 425. nam τρὺξ et *faex*, omne impurum. vid. Gronov. Observatt. II, 7. p. 266.

69 *dissepire*, describere, verbum paullo rarius et poëticum. Lucret. I, 998. *aer dissepit colles*. Senec. Med. 335. forte ex nostro loco, *Bene dissepti foedera mundi*. Etiam *efferuescere* exquisitius, quam quod alii, ex interpretatione, habent; sidera enim sunt ignes *feruentes*, et *feruidus* sol passim occurrit. Lenzio h. v. idem esse videbatur, quod vs. 27. *emicare*, et celerem motum in superiora loca significare. Verum tunc saltem scribendum fuisset *efferuescere in coelum*, vt Virg. G. I, 471. *efferuere in agros*.

72 *suis*, sibi propriis. Etiam *astra* sunt *animantia*, inprimis ex mente Stoicorum, vid. Cic.

Horrifer inuasit Boreas; contraria tellus
Nubibus adsiduis, pluuioque madescit ab Austro.
Haec super imposuit liquidum, et grauitate carentem,
Aethera, nec quidquam terrenae faecis habentem.
Vix ea limitibus dissepserat omnia certis,
Cum, quae pressa diu massâ latuere sub illâ,
Sidera coeperunt toto efferuescere coelo.
Neu regio foret vlla suis animantibus orba,

74. Pro eleganti *nitidis*, quod defendunt Burm. et Gebhard Crep. I, 6. Heins. coni. *mutis*, aut *simis*, aut *vdis*, quorum primum vulgare, alterum nimis alte repetitum, tertium otiosum est. 76. *altae.* Heins. temere malebat *almae.* 79. Palat. et alii, *melioris imago*, quo Dan. Heins. respici putat ad ideam, quae in Deo fuerit, et ad quam mundus ille melior dispositus sit. Sed vnde talis philosophia in hoc carmine? Saepe *origo* et *imago* permutata sunt, vt I Fast. 65.

N. D. II, 16 et 21. quamquam et ex opinione vulgi. Inde, *inter sidera referri*, Deum fieri. *coeleste solum*, coelum tamquam pauimentum, quo insistunt. *formae Deorum*, sidera quae, habentur numina. *forma*, *species* et similia inseruiunt periphrasi. Infra II, 78. *formae ferarum.* Virg. Aen. VII, 18. *formae luporum.* Cic. N. D. II, 40. sidera dicuntur *formae igneae.* Heroid. X, 95 *simulacra Deorum.* *astra et formae*, ἓν διὰ δυοῖν. G. — *Formas deorum* ipsa astra esse, etiam Heinsius censebat. Sed ita loco obtrudunt frigidam tautologiam. *Formae deorum* esse videntur dii ipsi, quorum sedes est coelum. E.

74 *nitidus* aptum piscium epitheton, propter squamarum laeuitatem et lubricitatem. IX, 267 de serpente, *squammaque nitere recenti* — Significanter *agitabilis.* Senec. N. Q. VI, 16. *nihil est tam versabile et agitatione gaudens, quam aër.*

76 Originem hominis describit, vt postulat eius dignitas. Non enim mutum et turpe pecus e terra erepsimus Ouidio, sed *sanctius*, Deo simillius; atque adeo reuerentia dignius, *animal. mens alta*, ratio, quae alta cogitando se ad coelum attollere potest. Cic. Mil. 8, *homo sapiens et alta et diuina quadam mente praeditus.* Apud Iuuenal. XV. vocamur *diuinorum capaces*, qui loc. cum hoc nostro conferendus est. Totum hunc locum tractat Lactant. Instit. II, 9.

78 Valde fluctuarunt philosophi veteres in definienda et origine et natura animae. vid. Cic. Tusc. I, 9. 10. Noster sequitur eos, qui coeleste quidquam et diuinum in animis inesse putabant. Cic. Fin. II, 34. Vnde vero diuinum illud traxerint, dubium relinquit. *div. semine*, deest *ex.* *Origo*, auctor, creator, V, 262. Tacit. Mor. G. 2. *Celebrant Tuisconem et Mannum originem gentis conditoresque.* Etiam nostra lingua hoc fert, *den Ursprung.* *melioris*, dispositi et exornati. Refertur ad *rudem indigestamque molem.* — *cognati*, non terrae, sed animae. Male igitur Lenzius addit: quatenus coelum et terra olim

Astra tenent coeleste solum, formaeque Deorum:
Cesserunt nitidis habitandae piscibus vndae:
Terra feras cepit: volucres agitabilis aër.
Sanctius his animal, mentisque capacius altae
Deerat adhuc, et quod dominari in cetera posset.
Natus homo est, siue hunc diuino semine fecit
Ille opifex rerum, mundi melioris origo:
Siue recens tellus, seductaque nuper ab alto
Aethere, cognati retinebat semina coeli.
Quam satus Iapeto, mixtam fluuialibus vndis,
Finxit in effigiem moderandum cuncta Deorum.

85. Plerique quidem Mss. cum Lactant. Inst. II, 1. et Isidor. XI Etym. 1. habent *coelum videre*. Sed *tueri*, quod duo Medicei praeferunt, quibus addas nonnullos alios, in quibus *intueri* exstat, quodque etiam Schol. eineditus Prudent. ad II in Symmach. 260 agnoscit, est exquisitius, atque e Virg. sumtum. 86. *areptos ad s.* Geb-

coniuncta fuerunt. Cognationem et domicilium pristinum animae nostrae coelum vocat etiam Cic. Legg. I, 9. Sed omnium optime Hipparchus approbauerat, animam nostram esse partem coeli. Plin. H. N. II, 26. Lucret. II, 990. *Coelesti sumus omnes semine oriundi.*

82 Prometheus, Iapeti filius, habebatur generis humani auctor haud dubie propterea, quod mores hominum agrestium molliuerat. Alii aliter super eo philosophantur, de quibus exponendi nunc non est locus. Importune autem, meo quidem sensu, *opifici rerum* repente Prometheus socius additur. *mixtam vndis*, ergo ex luto creavit hominem. Horat. 1 Od. 16, 13. Iuuenal. XIV, 35. Hinc homo vocatur πηλὸς ὁ Προμηθῆος a Callim. Fragm. Bentl. 97. Apud Hesiod. Ἔργ. 60, vbi mira hominis compositio narratur. Vulcanus iubetur γαῖαν ὕδει φέρειν. Aliter rursus hic mythus ab Horat. 1 od. 16, 13. narratur, aliter etiam ab Hygin. fab. 142. — *in effigiem.* Phocylid. vs. 101. anima vocatur θεοῦ εἰκών. Eurysus Pythag. in libro de Fortuna censet, Deum creasse hominem ἀρχετύπῳ χρώμενον ἑαυτῷ. Plato Rep. VI, p. 451 in homine ait esse aliquid θεοειδὲς καὶ θεοείκελον. Fluxit et hoc ab Aegyptiis. Lactant. Inst. VII, 4, 3. *At Hermes non ignorauit, hominem et a Deo, et ad Dei similitudinem fictum.* Noster *effigiem Deorum* ponit in corpore humano.

84 *Prona*, ad terram depressa, incuruata. De forma hominis erecta multi veterum. Cf. Cic. N. D. II, 56. Legg. I, 9. Lactant. Inst. Diu. II, 1. In ea esse dignitatis et praestantiae nostrae caussam, bene docuit Herder in libro Ideen zur Geschichte etc. P. I. p. 172. s. *tueri*, intueri, vt X, 389. Virg. Aen. IV, 451. *coeli conuexa tueri.* — *ad sidera*, vt corporibus coelestibus contemplandis, Dei cognitionem capere possimus. Haec respexerunt alii. Senec. de Otio Sap. 32. *Nec erexit tantummodo hominem, sed etiam ad contemplationem factum, vt ab ortu sidera in occasum labentia prosequi posset, et vultum suum circumferre cum toto, sublime fecit illi caput.* Silius XV, 8.

Pronaque cum spectent animalia cetera terram,
Os homini sublime dedit; coelumque tueri
Iussit, et erectos ad sidera tollere vultus.
Sic, modo quae fuerat rudis et sine imagine tellus,
Induit ignotas hominum conuersa figuras.

Aetates. *Aurea* prima sata est aetas, quae, vindice nullo,
Sponte suâ, sine lege, fidem rectumque colebat.
Poena metusque aberant; nec verba minacia fixo

hard. Crep. I, 6 ex Cod. Pal. Berol. et tribus aliis defendit, inuita quidem Minerua. *Erectam* hominis formam vrget poëta.

Nonne vides, hominum vt celsos ad sidera vultus Sustulerit Deus, ac sublimia finxerit ora. Inde homo Graecis ἄνθρωπος dictus.

87 *sine imagine*, informis. Fast. I, 111. *sine imagine moles. Imago* passim pro forma, vt III, 1. *Induit conuersa* e copia poëtica, accepit.

FAB. II. 89 — 150. Nobilis locus de *aetatibus*, in quas priscum, quod effluxerat inde ab origine mundi, aeuum describere, quibusque, pro cuiusque ratione, a metallis nomina imponere, antiquis poëtis placuit. Claudian. 22, 446. *vario faciem distincta metallo Secula.* Quo sine dubio nil aliud exprimere volebant, nisi hoc, genus hominum a statu naturali et animi integritate gradatim delapsum esse ad hanc et vitae rationem, et vitiositatem. Varro R. R. II, 1. In numero autem harum aetatum, poëtae, vt fit, inter se dissentiunt. Nam Hesiod. Ἔργ. 109 — 208. quinque recenset; Noster, omissa post aeneam heroica, quatuor; Aratus Phaenom. 100 — 134. tres. Duarum tantum mentionem faciunt Virgil. Georg. I, 125 sqq. coll. Aen. VIII, 314 sqq. et Tibull. I, 3, 35 sqq. Nec poenitebit cum his Lactant. Inst. div. V, 5. contulisse. Erat praeterea in vaticiniis, exacta hac misera aetate, fore παλιγγενεσίαν, h. e. fore, vt inverso ordine secula illa denuo reuoluantur et renouentur. vid. Virgil. Ecl. IV. ibique Heynius, inprimis ad vs. 4. Ouidius Hesiodum et Virgilium maxime secutus reperitur, aemulumque habuit Senec. Hipp. vs. 526 sqq. Med. 330. Octav. 397. sqq. Ferrea aetas secundum Nostrum periit Deucalioneo diluuio. G. — Etiam Ovidius, ut Hesiodus, quinque aetates constituit, nisi quod heroicae loco ferream posuit et tacite praeteriit genus hominum, quod post diluvium exstitit, et quod Hesiodus τὸ νῦν γένος appellat. De aurea aetate v. Ovid. Amor. III, 8, 35 sqq. A. A. II, 470 et Draeseke in libello, das goldene Zeitalter. E.

89 — 112 Status primorum hominum naturalis describitur, qualis v. c. vita Cyclopum apud Homer. Od. ι, 106. sqq. atque etiam hodie multarum gentium barbararum. Sed accesserunt colores mythici et poëtici. Vide super hac re philosophantem Posidonium ap. Senec. Ep. 90.

Aetas, genus hominum. Cic. N. D. II, 63. *aureum genus.* Virgil. Ecl. IV, 6. *aurea gens*, ex Hesiod. χρύσεον γένος. Virgil. Georg. II, 538. adeo *aureus Saturnus*, sub quo aurea aetas. Nempe *aurea* praestantissima quaeque dic. Hoc igitur epitheton

Aere legebantur; nec supplex turba timebant
Iudicis ora sui: sed erant sine iudice tuti.
Nondum caesa suis, peregrinum vt viseret orbem,
Montibus, in liquidas pinus descenderat vndas;
Nullaque mortales, praeter sua, litora norant.

92. *ligabantur* tuetur Iuretus ad Symmach. II Ep. 13. probat et Brodaeus Miscel. IV, 12. vt ad illum morem respiciatur, quo tabulae legum adfigebantur. At hoc iam inest in *fixo*. Alterum igitur Heins. ex Excerpt. Vatic. Caland. 5 Medic. et vno Bonon. praetulit. *Simplex turba*, quod Cod. Douzae, Heidelb. et 5 Heins. exhibent, Burm. aptius iudicabat et conuenientius integritati aurei seculi. At si hoc praeferas, major etiam erit tautologia illa, quam in notis vituperauimus. Male etiam aetas illa *turba* vocaretur. 93. Nonnulli ex melioribus cum Berol. *sine vindice*, quod improbat Heins. quia vs. 89 *vindice* praecessit; quae caussa nulla est; namque hoc ipso vs. praecedit et *iudice*. G. — Repetitio ejusdem verbi in Ovidio non rara est. v. Lennep. ad Heroid. I, 40, Heusing. in Emendatt. Guelph. in Lessingii Beitraegen z. Gesch. d. Liter. Fasc. III, p. 15. Ouwens in Noctt. Hagg. lib. III c. 6. p. 369 et c. 16 p. 500. *vindice* ex Epiced. Drusi 185 tuitus est Burm.; sed *iudice* gravius esse videtur. E.

tum primae aetati datum esset, reliquae deteriores facile suum nomen inuenerunt; quamquam *aenea* et *ferrea* etiam ab armis aeneis et ferreis dici potuerunt. *vindice, nullo*, nemine scelera coërcente. Virg. Aen. VII, 203. *Saturni gentem haud vinclo, nec legibus aequam Sponte sua veterisque Dei se more tenentem.* Id autem dum Noster latius tractare voluit, ineptae garrulitatis exemplum dedit. Erant homines sine legibus, non metuebant poenam legum, non legebant leges propositas, erant sine iudice, non metuebant iudicem, sed erant sine iudice tuti. Hoc vero est garrire! Caeterum similiter vetustissimorum hominum mores notat Tacit. An. III, 26.

91 *Nec verba — legebantur*, nondum leges latae erant. Erant ergo ἀθέμιςοι, vt Cyclopes apud Hom. d. l. cf. Plato de Legg. III, init. et Aristot. Rep. I, 2. leges vocat (etiam V, 669) *verba minacia*, quia poenas minantur. Hae apud Romanos in *aeneis* tabulis incisae in Capitolio, aut alio loco publico, *figebantur* s. affigebantur, (vnde *figere leges* et *refigere* pro, ferre et abrogare) vt ab omnibus *legerentur* — *supplex turba* sunt rei, eorumque amici, qui sordidati et moesti caussam suam defendunt. Mox diu dubitaui, vtrum *sine vindice*, an *sine iudice* praeferrem. Praetuli tandem posterius. Praecessit: non erant iudicia; recte igitur subiicitur: sed erant sine iudice tuti; praesertim cum Ouid. voc. praecedens varie repetere soleat, atque h. l. cum vi repetitum videatur. *Vindex*, si quis id malit, potest et de iudice et de defensore capi.

94 Cf. Virg. Ecl. IV, 32. 38. Tibul. I, 3, 37 — 40. Nauigatio summae aureae aetatis simplicitati et integritati non satis conuenire videbatur, partim quia maxime quaestus caussa instituta est, partim quia hominum vitam in vltima pericula conilcit, atque adeo voluntati diuinae repugnare credebatur. Propert. III, 5, 41 seqq. *Pinus*, lignum resinosum, inprimis apta habebatur nauigiis

Nondum praecipites cingebant oppida fossae:
Non tuba directi, non aeris cornua flexi,
Non galeae, non ensis, erant. Sine militis vsu
Mollia securae peragebant otia gentes.
Ipsa quoque immunis, rastroque intacta, nec vllis
Saucia vomeribus, per se dabat omnia tellus:

100 *gentes.* Heins. approbante Burm. ex vno Gronov. invexit *mentes,* quia homines tum nondum in *gentes* discesserint. Vid. not. *Mollia naturae* codd. Palatini. 102. Viuianus e codd. *saucia vulneribus* protulit, idque non bene Heinsio se probauit. Notio *vulnerum* jam inest in v. *saucia*, et cum praecedat *rastro intacta,* concinnitas membrorum hic quoque instrumenti nomen requirit. Locus II, 287. quem Heins. comparauit, ipse eum impugnat.

faciendis. *suis*, sibi ab ipsa natura assignatis. *peregrinum orbem*, peregrinas terras. *Orbis* saepe pars orbis terrarum, vt II, 254. 322. Tacit. An. II, 2. *descenderat.* Statius Silv. II, 2, 6, 28 *inuitas deiecit in aequora pinus. liquidas* epitheton orhans.

97 — 100 Nondum bella gerebantur. Viuebant ἥσυχοι, pace fruentes. Hesiod. vs. 120. Tibul. I. 3, 47. *Non acies, non ira fuit, non bella; nec ensem Immiti saeuus duxerat arte faber.* I, 10, 9. *Non arces, non vallus erat. — praecipites*, profundae: *tuba directi aeris*, tuba recta ex aere. Iuuenal, II. 117. *recto cantaverat aere. — Gentes* reuocaui, quia et Senec. Hippol. 527. 538. vbi nostrum locum ancte oculos habuit, *gentes* et *populos* aureae aetati tribuit. Etiam Virg. Aen. VIII, 325. *Saturnus placida populos in pace regebat.* Infra vs. 439. statim post restauratum genus humanum *populi noui* commemorantur. In his Plural. pro Sing. *Securitas* illa ab inuasione hostili turbisque domesticis, commemoratur et ab aliis. Seuer. in Aetna vs. 9. *Aurea securi quis nescit secula regis?* Tibul. d. l. *Vltroque ferebant Obuia securis vbera lactis oues.* Eadem et fruebantur pecudes. Idem I, 10, 9. Inde *mollia otia*, pax jucunda. Virg. *placida pax.*

101 Nondum agricultura. Hesiod. vs. 118 sqq. Καρπὸν δ' ἔφερε ζείδωρος ἄρουρα Αὐτομάτη πολλόν τε καὶ ἄφθονον. *Ipsa*, sua sponte. vid. Ernesti Clav. Cic. h. v. mox *per se*, vt δι' ἑαυτοῦ, eodem redit, vid. Cortius ad Sallust. Iug. 96; 2. Etiam Virg. G. II, 10. *ipsa per se. immunis* vacua a miseriis, ἀπαθής. Expressit Homer, Od., IX. 109. vbi terra omnia ἄσπαρτα καὶ ἀνήροτα profert. *rastro.* Virg. Ecl. *non rastros patietur humus. Rastrum*, ponderosum instrumentum duobus aut quatuor dentibus, quo glebae in agris comminuebantur. Virg. G. I, 94. quamquam et sarritioni inseruiebat. vs. 155. *Saucia*, sulci sunt veluti vulnera, quibus dilaceratur tergum terrae. Latius haec Plin. H. N. II, 63. persequitur, et plura lacerationis genera inuidiose commemorat. Non mirum autem est, agriculturam diu fuisse ignoratam, quippe quae multarum rerum scientiam, magnam curam, multum laboris requirat.

103 *Nullo cogente.* Virgil. G. 1, 128. pari elegantia, *nullo poscente.* Quamquam idem et *nullis cogentibus.* G. II, 10.

Contentique cibis, nullo cogente, creatis,
Arbuteos foetus, montanaque fraga legebant,
Cornaque, et in duris haerentia mora rubetis;
Et quae deciderant patulâ Iouis arbore glandes:

104 Plurimi *arboreos*, quae duo saepissime confusa sunt. 105. Male Burm. ex Leid. et aliis quibusdam probabat *horrentia*. Arbores ipsae, earumque rami recte drr. *horrere*, i. eminere, non item fructus. Regius ex interpretatione *pendentia*. 106. *patula*,

Vtrumque verbum non minus eleganter, quam *imperare aruis*, de agricolis dicitur, qui veluti *cogunt* terram fruges reddere cultoribus. vid. Burm. Arua vero cum fruges reddunt, dicuntur *parere*; *respondere* etc. Sed *cibi*, qui jam narrantur, minime lauti sunt, neque ob eos inuidenda aurea aetas.

104 *Arbuteos foetus*, arbuta. *Arbutus*, Nostris *Erdbeerbaum*, arbor frutieosa, in Italia frequens, poma ferens rubentia (X, 101) fragis similia, et difficilia concoctioni (Plin. 23, 8), quibus tenuioris sortis homines vesci solebant. V. Martin. ad Virg. I, 148. Etiam Varro R. R. II, 1 et Virg. d. l., eos foetus in antiquissimorum hominum victu commemorant. Sed *arborei foetus*, quae est altera lectio, forent poma, X, 665. Haec vero magis culturam postulant, minusque adeo primo seculo conueniunt: tribuuntur ei tamen XV, 97. Heins. coni. *roboreos foetus*, i. glandes. At de glandibus mox sequitur. Hesiod. Ἔργ. 116. ἀφνειοὶ μήλοισι, quod est, *abundantes arbuteis foetibus*. vid. Graeuius ad h. l. *Cornus* (*Cornelbaum*), cuius fructus (*corna*) lapidosi sunt, nec multum carnis habent, quibus adeo Homeri tempore (Od. X, 242) sues pascebantur; vnde et a Virg. Aen. III, 649. inter *victum infelicem* referuntur. *Rubus*, Brombeerstaude, *mora* siluestria fert, quibus et ipsis tenuiores homines vescebantur, Plin. H. N. 16, 57 s. 71. 24, 13 s. 73. *duros rubos* dixit etiam IV. Pont. 4, 42 Bene *haerere*, vt III, 730 de foliis.

106 *patula*, quae ramos late diffundit. *Iouis arbor*. Ergo quernas glandes deuorarunt primi homines; quae sane fuit vulgaris Veterum opinio. Itaque et in Ambarualibus quernam coronam gerebant in hujus victus memoriam. Virg. G. I, 349. Sed merito dubitatur, an quernae glandes alimenta praebeant humano corpori. Error sine dubio inde ortus est, quod *glandis* et βαλάνου vis latius olim patuit, omnesque fructus echinatos complexa est. vid. Dioscorid. I, 126. vbi inter alia tradit, *castaneas* dici Διὸς βαλάνους. cf. Pausan. Arcad. p. 599. Kuhn. Atque etiam hodie in terris australibus genus quoddam glandium nascitur, quibus tostis loco castanearum vtuntur. vid. Goguet vom Ursprunge der Gesetze etc. P. I. lib. 2. p. 57 sqq. Scripsit etiam Leisnerus progr. de Glandiuoris.

107 Ex philosophorum sententia, quam suauissime describit Virg. G. II, 336 sqq. natales mundi in vernum tempus incidebant, idque tempus durauit per totum seculum aureum. *Ver assiduum* est Virg. G. II, 149. *ver longum* Horat. II. od. 6, 17. Veris comites sunt *Zephyri. Hi mulcebant*, leuiter agitabant, huc et illuc mouebant flores. Fast. V, 161. ventus *mulcet summas aristas. Tepor* conue-

Ver erat aeternum, placidique tepentibus auris
Mulcebant Zephyri natos sine semine flores.
Mox etiam fruges tellus inarata ferebat:
Nec renouatus ager grauidis canebat aristis.
Flumina iam lactis, iam flumina nectaris ibant:
Flauaque de viridi stillabant ilice mella.

Arridebat. Burm. e Cod. Heins. *larga*, i. benigne victum ministrans. 107 Plurimi codd. *tepentibus Austris.* Vrbin. pro var. lect. *Euris.* Sed *auris* ex Virg. Georg. II, 130 recte probat Burm.

nit temperiei aëris verni. Plin. II. Ep. 17, 3. *tepore verno nitescunt.* Caussam illius teporis reddit Lucret. V, 816. *At nouitas mundi nec frigora dura ciebat* etc. — *sine semine,* sine seminibus ab hominibus iactis. Virg. G. I, 22, *non vllo semine fruges.* Haec sunt *iniussa gramina.*

109 *Mox* non temporis successionem indicat, sed continuatum ordinem, i. q. praeterea. Vid. Schwarz. ad Plin. Pan. 8, 6. Male igitur Lenzius monet, Ouidium hoc posuisse, quia *fruges* serius maturescant floribus. Neque idem *non renouatus* recte explicat, non aratus. Immo *renouatus ager* est noualis, qui alternis annis vacat et nouatur. Sensus: Singulis annis sua sponte ager frumenta ferebat, nec erat, cur alternis cessaret. *canebat,* exprimit albicantem segetis colorem. Virg. Ecl. IV, 28. non minus venuste, *molli flavescet campus arista.* Ita *canae aristae* VI, 456. *grauidis,* plenis granorum. III, 665. *gravidis corymbis.* Caeterum sua sponte olim frumenta nata esse necesse est. Vid. Heyne in Opusc. Acad. To. I p. 339 s.

111 Sic eloquebantur veteres magnam lactis et vini copiam, qua tempore aureo vaccarum vbera distenta, vuaeque grauidae erant. Omnis enim copia cum *flumine* comparari solet. Virg. Ecl. IV, 21. *Ipsae lacte domum referent distenta capellae Vbera.* Add. vs. 29 et Tibul. I, 3, 45. *Ire* sic etiam II, 456. *Mella stillabant de ilice,* vel quia apes in ilice fauos condebant, vel quia folia iliguea mel eliquabant, idque tam copiosum, vt in terram defluerent. vid. Heynius ad Virg. Ecl. IV, 30. et Fabri Historia, Mannae inter Hebraeos p. 12 — 18. Etiam hodie in locis quibusdam Asiae riuos propemodum mellis in siluis reperiunt peregrinantes, vt docent Itineraria. *Viridis* epitheto genus quercuum hieme quoque folia retinens Ouidius indicasse Lenzio videtur. Potius in *flaua* et *viridi* imago, siue lusus inest parum probandus.

113 *Saturnus,* antiquissimus rex Latii, agrestes et sine legibus viuentes homines ad meliorem victum et cultum traduxerat. Virgil. Aen. VIII, 314 — 329. Idem apud Graecos fecerat Κρόνος, sub cuius imperio aureum seculum fuisse dicebatur. Itaque Latini hos duo pro vna persona habuerunt. vid. Heynius Excurs. ad h. l. *Cronus* cum reliquis Titanibus in Tartara detrusus. Apollod. I, 2. Haec est Titanomachia, antiquissimorum poëtarum carminibus celebrata, vnde multa in Gigantomachiam translata. Caeterum in hac argentea aetate nihil Noster a reliquis poëtis mutuatus

Postquam, Saturno tenebrosa in Tartara misso,
Sub Ioue mundus erat; subiit *argentea* proles,
Auro deterior, fuluo pretiosior aere.
Iupiter antiqui contraxit tempora veris;
Perque hiemes, aestusque, et inaequales autumnos,
Et breue ver, spatiis exegit quatuor annum.

(114. Vulgo *subiitque*; sed *que* recte deleuerunt Ciof. et Heins. De productione praeteritorum *abiit, rediit* etc. v. Heins. ad h. l. et ad Heroid. VII, 53. E.) 116. *aeterni veris*, quod Heins. placebat, sine dubio e vs. 107 migrauit in Codd. quosdam. Nunc aptius *antiqui*. G. — 117 *yems* cod. Berol. ex scribendi more, quo utebantur medii aevi homines. Omittebant enim in aliis verbis aspirationem, cum in aliis eam adderent. Sic *astile* pro *hastile*, *exibui*, *esternus*, *abilis* etc.; contra *habeunt* pro *abeunt*, *habest*, *honus*, *hasto*, *himber*, *harena* etc. v. Bothe Vindicc. Ovid. p. 10. E.

est, sed suum ingenium secutus.

114 *sub Ioue*, ὑπὸ Διός, sub imperio Iouis. *subiit*, successit, secuta est. *Auro deterior* ex Hesiod Ἔργ. 127. πολὺ χειρότερον χρυσείῳ. *Deterior ac decolor aetas* haec argentea vt. Aen. VIII, 326. *Auro* et *aere* pro aurea et aenea. *Pretiosior*, innocentior, cum respectu ad metalla. Claudian. 22, 454. *melioris secla metalli*. Argentea *candent*, et aureis *rutili anni* sunt.

116 *Iupiter contraxit*, coarctavit; vernum tempus, quod hactenus *aeternum* fuerat, in quatuor tempora divisit. Virg. G. I, 129. *Iupiter mella decussit foliis*, *riuis currentia vina repressit* etc. *antiqui*, pristini, praeteriti. Virgil. Aen. II, 137. *antiqua patria* de exsule. Noster infra vs. 423. *antiquus alveus*, et sic centies. *Vetus patria* dixit Liv. I, 35. — *in aequales*, mox humidos, mox siccos; calidiores interdum, frigidiores rursus. *Incertos* tales menses dixit Virgil. G. I, 115. *Breue* cum dilectu, quia antea *aeternum*. *Exegit* exigi voluit. *Exigere* autem tempus est, agere, degere, vt centies ap. Cic. Virg. Plin. et alios. Sed Burm. aliter: exaequauit, vt in trutina. Lenzius explicat: Iupiter antiquum ver extendit in quatuor tempestates. Non bene. Non enim *ver*, sed *annum exegisse* dr. neque *exigere* extendere significat. *spatia*, tempora. Suauiter annuas vicissitudines describit XV, 201 sqq.

119 Summum aestum describit. Sed cogitandum est, vixisse poëtam sub calidiore Italiae coelo. — *Candor* solis ita ap. Claudian. I, 219. et *incandescere* Virg. G. III, 479. Plin. Pan. 30, 3. Hiemis frigore *adstringuntur* corpora, vere autem aduentante *soluuntur*. Horat. 1. od. 4, 1. *glacies*, stiria. *adstricta pependit* venuste pro, adstricta est. Etiam III Trist. 10, 21. *pendens glacies*. Sed multo venustius Virgil. G. III, 366. *stiriaque impexis induruit horrida barbis*.

121 *subiere domos*, cum antea in agris et siluis habitassent (A. A. II, 473), vt etiam hodie Californiae incolae. Cf. Fabers Archaeologie To. I. p. 9. *Antris* pro aedibus etiam hodie vtuntur Arabes multi. Et in aliis calidioribus terris tecta sibi parant

Tum primum siccis aër feruoribus vstus
Canduit: et ventis glacies adstricta pependit.
Tum primum subiere domos. Domus antra fuerunt,
Et densi frutices, et vinctae cortice virgae.
Semina tum primum longis Cerealia sulcis
Obruta sunt, pressique iugo gemuere iuuenci.
Tertia post illas successit *aënea* proles,
Saeuior ingeniis, et ad horrida promtior arma;

121. *domos.* In Florent. et priore Hamb. *domus,* quo recepto versum gratiorem effici Heins. putabat. At illa Ouidiana repetitio talem similitudinem non requirit; sufficit eandem esse vocem. G. — 123. *tunc* cod. Berol. ut etiam scribendum esse videtur vs. 119 et 121. Etenim quicquid disputarunt H. Voss. ad Tibull. p. 191 Hand ad Stat. Silv. I. p. 363 et Huschke et Wunderlich ad Tibull. I, 1, 21; verum esse videtur, quod Seruius ad Virg. Aen. V, 513 et X, 445 aliique grammatici monuerunt, *tunc* temporis, *tum* vero ordinis esse particulam. 125. *successit et aenea* cod Cantabrig. *successerat aenea* Argent. et unus Reg. Sed *aeneus* non est trisyllabum. v. Markland. ad Stat. Silv. I, 51. Vulgatam tuitus est jam Pierius ad Virg. Aen. IX, 24.

ex ramis arborum. *Cortex*, intelligitur cortex interior, liber. *vinctae* c. v. Crates; e quibus olim sibi pararunt homines aedificia. Senec. Ep. 90. *quamlibet virgeam cratem texerunt manu.*

123 *longis* vim pingendi habet *pressi*, onerati. Cf. Virgil. G. I, 45. Cic. N. D. II, 63.

125 In hac aetate iusto breuior est, pendetque ab Hesiod. vs. 144 sqq. Erat hoc hominum genus ἐκ μελιᾶν δεινόν τε καὶ ὄμβριμον, *hastis terribile et validum,* amabat Martis opera, habebat que χάλκεα τεύχεα, *aënea armà*, cum nigrum ferrum nondum inuentum esset. Cf. Arat. Phaen. 130. Ergo et nunc *saevior* est ferocior, audacior in bello. *horridum* sollemne epitheton armorum, proeliorum, bellorum, castrorum. Arat. κακόεργον μάχαιρον. Lenzius vero *horrida* interpretatur horrentia, hastas erectas. Senec. Octav. 408 de hac aetate, *tertium solers genus Novas ad artes exstitit; sanctum tamen*. *saeuior* ferocior, audacior in bello. Hesiod. Ἔργ. 145. *arma* inuenit hoc genus hominum. Arat. Phaen. 130. In armorum auctorem grauissime invehitur Tibull. I, 10. *horrida*, saeua.

127 Cf. cum omni h. l. Catull. Epithal. Pelei et Thet. *Durities* etsi prima ferri virtus, nunc tamen inuidiose dr. cum respectu ad hominis *duritiem*. Horat. Epod. 16, 65. Iupiter *ferro durauit secula. in aeuum*, genus hominum, cuius *vena*, sensus et studia, deterior erat. *Vena* non, interprete Lenzio, a corpore humano ad terram, sed ad animum a metallis translata est, quibus et ipsis *venae* tribuuntur. Heins. ad Silium III, 283. *Pudor*, moderatio in omnibus cupiditatibus iusti et aequi caussa, virtus princeps. *Verum* aut *veritas* cum de moribus et vita hominum sermo est, non in verbis cernitur, sed in factis. Et-

Nec scelerata tamen. De duro est ultima *ferro*.
Protinus irrumpit venae peioris in aeuum
Omne nefas; fugêre pudor, verumque, fidesque:
In quorum subiere locum fraudesque, doliqne,
Insidiaeque, et vis, et amor sceleratus habendi.
Vela dabant ventis, nec adhuc bene nouerat illos
Nauita; quaeque diu steterant in montibus altis,

131 Langerm. *Inuidiaeque. dabant* optimi, ut Burm. monet, codd. Berol. cum aliis *dabat*, quod concinnius esse dicit Bothe p. 2. et recte quidem, nisi interpunxeris: *fraudesque doliqne. Insidiaeque e. v. e. a. sc. habendi Vela dabant venti*, *nec* etc. 133. Gronov. ad Plin. H. N. XXXI, 2 et Burm. ad Heroid. XVI, 107 corr. *alni* pro *altis*. v. Gierig. E.

iam Cic. Quinct. 26. *veritatem* et *pudorem* coniungit. Tacit. An. III. 26. *pro modestia ac pudore ambitio et vis incedebat*. *Vero* et *fide* continetur societas humana. *Amor habendi*, πλεονεξία. Aurel. Vict. Caes. III. *studium habendi*. Phaedr. III. prolog. 21. *cura habendi*, vbi vid. Burm. In his *habere* est possidere. Copiose haec Noster persequitur Fast. I, 195 seqq.

132 Querelas acerbas de inuenta nauigatione habes etiam apud Horat. I. Od. 3, 9 — 24. Propert. I, 17, 13 sqq. (ubi v. Burm. Sec.) Plin. H. N. 19 prooem. Senecam Med. vs. 301 seqq. qui et Horat. et Nostrum respexit. *nouerat illos*, scil. rabiem Noti decertantis horriferis aquilonibus, vt loquitur Horat. *quaeque diu* etc. Haec paullo breuius dicta sunt. Quae diu in montibus, iisque altissimis steterat arbor, resecta est, ex eaque *carina*, nauis, facta. Gronouianam coniect. *alni* repudiauerim: partim quia alni non tam montibus gaudent, quam palustribus locis et ripis (Plin. H. N. XVI, 18), partim quia *altis* non minus quam *diu* inseruit insaniae mortalium declarandae. Neque Noster respexisse videtur Virgil. G. I, 136. *insultauere* contemtim, insultauere tamquam aequori victo; ex inepta scilicet Veterum opinione, quasi insolentia sit nauigare. Xerxes *aquis insultans* est apud Lucret. III, 1045. Horat. 1 Od. 3, 24. *Impiae non tangenda rates transiliunt vada*. Tibul. I, 3, 37. *Nondum caeruleas pinus contemserat vndas*. Claudian. R. P. praef. 11. nauta *vagus exsultat pelago*. v. Bentl. ad Horat. I, od. 3, 22. Sine insolentiae notione, pro insilire, *insultare* legitur ap. Tacit. An. II, 8. *Bataui dum insultant aquis*, *artemque natandi ostentant*.

135 Cf. Amorr. III, 8, 35 — 44. Iustin. 43, 1, 3. *Omnia communia et indiuisa omnibus fuerunt*, *veluti vnum cunctis patrimonium esset*. Cf. Virgil. G. I, 126. Explicat Lactant. Inst. V, 5, 7. sic, tam liberales fuisse homines, vt natas sibi fruges non includerent, sed pauperes ad communionem proprii admitterent: *ceu lumina* etc. cf. VI, 350. Τὸν ἥλιον τὸν κοινὸν et τὸν ἀέρα τὸν κοινὸν dixit Menander p. 184. 260. *cautus* et auget auaritiam hominum, et diligentiam mensoris declarat, *longo limite*, vt paullo ante, *longis sulcis*. *signare limite*, diuidere agros, limite, signi loco, inter eos relicto. Praeiuit Virg. d. l. *nec signare quidem aut partiri limite campum*

Fluctibus ignotis insultauere carinae.
Communemque prius, ceu lumina Solis et auras,
Cautus humum longo signauit limite mensor.
Nec tantum segetes alimentaque debita diues
Poscebatur humus; sed itum est in viscēra terrae:
Quasque recondiderat, Stygiisque admouerat, vmbris,
Effodiuntur opes, irritamenta malorum.
Iamque nocens ferrum, ferroque nocentius aurum

134 *ignotis.* Optimus medic. *ignaris,* quo voc. Tacitum saepe vti pro *ignotus* monet Heins. Sed Taciti idiotismi non ad Ouidium transferendi. Tum Gronov. et alii plures *exsultauere.* Aeque bene. Vid. not. Berol. *insulcauere* 135. Vulgo *aurae,* scil. *sunt.* 138. Neapolit. *per viscera,* quod respuendum, quia profunditas magis, quam latitudo metallifodinarum, hic tangitur. Add. not. G. —

fas erat. Variavit hoc Senec. Hipp. 526.

137 *diues humus,* ζείδωρος ἄρουρα. *debita* non sunt, vt Lenzius vult, ad vitam sustentandam necessaria, sed elegantiore sensu, quae terra, cui semina, tamquam depositum, creduntur, hominibus debet. — *ire in viscera, penetrare in viscera terrae, viscera eius extrahere* etiam ap. Plin. H. N. 33, 1. s. 1. II, 63 vbi graves de hac re querelas habes. Senec. Octav. vs. 416. *Sed in parentis viscera intravit suae Deterior aetas; eruit ferrum Graue, aurūmque. Stygiis vmbris,* orco, in quo *vmbrae* s. manes ad stygiam paludem versantur. Hanc veteres in media terra ponebant; intelligit ergo opes altissime latentes. Satis lepide Plin. H. N. II, 63. vbi de hac eadem auaritia queritur, *Si vlli essent,* inquit, *inferi, iam profecto illos auaritiae atque luxuriae cuniculi refodissent.* — Sed egregie de genere humano meriti sunt, qui metalla, quibus aegre caret vita humana, e terris primi eruerunt, eorumque vsum hominibus demonstrarunt; idque ob meritum multi adeo inter Deos relati sunt a grata posteritate. Abusus non tollit vsum. Plin. H. N. XXXIV, 14. ferrum vocat *optimum pessimumque vitae instrumentum,* quod deinde explicat. Neque Natura illas opes tam alte abscondidit. Imo in multis terris ditissimae auri argentique venae propemodum in superficie terrae expositae patent. vid. Goguet vom Ursprunge der Gesetze etc. I, 2, 4. — Caeterum de inuentione metallorum locus elegans est apud Lucret. V, 1240 — 1295.

141 *nocentius,* sacram enim famem iniicit mortalibus. *quod pugnat vtroque,* nummis aureis et ferreis armis. Aliter tamen sensit Pyrrhus. vid. Cic. Offic. 1, 12. *bellum pugnat* poëtice pro, belligerantes pugnant. Solebant autem Veteres praelium inituri *concutere arma,* h. e. hastis aut pilis scuta pulsare, vt tali strepitu terrerentur hostes. Hinc frequenter *crepitus* armorum in descriptionibus pugnarum. vid. Spanhem. ad Callim. h. Del. vs. 136. et Arnaldus in Specim. Animadv. p. 74.

Prodierant; prodit bellum, quod pugnat vtroque;
Sanguineâque manu crepitantia concutit arma.
Viuitur ex rapto: non hospes ab hospite tutus,
Non socer a genero: fratrum quoque gratia rara est.
Imminet exitio vir coniugis, illa mariti:
Lurida terribiles miscent aconita nouercae:
Filius ante diem patrios inquirit in annos.

142. Codd. omnes *prodierat*, excepto uno Gronov. qui *prodierant* tuetur. Wakef. ad Lucret. VI, 119, T. III, p. 251 cur. *prodierunt*, ut justa sit temporum consecutio; quae tamen ex hac etiam ratione turbata esset vs. 139 et 140. Cujus rei si qua est insolentia, exempla dabunt Intpp. ad Grat. Cyn. 45 Burm. ad Val. Fl. VI, 1 ad Phaedr. p. 226 ed. maj. Werfer in Actt. Monacc. T. 1 p. 558 et Cl. Weichert de aliquot verss. Virg. et Val. Fl. inj. suspectis p. 86, E. — 148. Valde hic variant Mss. Multi, *incurrit in annos* aut *occurrit*. Berneg. *concurrit*. Vnus, *desiderat*. Menardi, *incurrit honores*. Genev. *irrupit*. Heins. conj. *patrios male digerit annos*. Apparet, in Cod. antiquissimo, vnde multi alii descripti, veram lectionem euanuisse. Eam deinde librarius quisque suo modo suppleuit. 149. *a caede* unus Heins. cod. *larga caede* corr. Schepper. ap. Fabrum lib. II ep. 71. Perperam.

144 Grauem hanc vitiositatis humanae deplorationem Seneca laudat de Ira II, 8. de Benef. V, 15. N. Q. p. 911. Locus adumbratus ex Hesiod. vs. 182 sqq. Οὐδὲ πατὴρ παίδεσσιν ὁμοίιος, οὐδέ τι παῖδες, Οὐδὲ ξεῖνος ξεινοδόκῳ, καὶ ἑταῖρος ἑταίρῳ Οὐδὲ κασίγνητος φίλος ἔσσεται. Nostrum expressit Senec. Hipp. vs. 553 seqq. sed non satis feliciter. *ex rapto*. Alibi *ex* omittitur in hac formula. *Gratia*, concordia. *Imminet* graue verb. cupide instat. *Lurida aconita*, atra, tristia venena. De *aconito*, herba venenata, vid. infra VII, 415. *luridus* proprie de pallore cadauerum dicitur. vid. Brouckhus. ad Propert. IV, 7, 2. Hinc etiam venena letifera dicuntur *lurida* ab effectu. Ante oculos autem Noster habuit Virgil. G. II, 128. s. vbi *saeuae nouercae miscent herbas, et non innoxia verba*. Claudian. 15, 173. *adhuc ignota nouercis gramina*. Conf. Met. VII, 406 sqq.

148 *Inquirit* etc. quaerit a Mathematicis, s. Chaldaeis astrologis, qui ex natalibus futura praedicebant, (Gellius N. A. I, 9.) annum, quo pater moriturus sit. *ante diem inquirit*, praescire cupit. Silius III, 13. *casus scire futuros ante diem*. Lenzio haec impietas, in hac quidem notatione, non satis magna videtur: itaque his verbis subiicit h. sensum: ipse fit auctor mortis praematurae patri. Id vero verba significare non possunt. Tacit. An. III, 22. *Quaesitum per Chaldaeos in domum Caesaris*, vbi Lipsius et suis et Tertül. verbis monet, quam capitale id sit. Varietas tamen lectionis materiam emendandi largam suppeditat. Forte Ouid. scripsit, *irrumpit in annos*. Cic. Lig. 5. *irrumpere in fletum*, eum interpellare, abrumpere. Tacit. An. IV, 67 *irrumpere quietem* eodem sensu. Tum *ante diem*, scil. fato destinatum, vt A. A. III, 739. Virg. Aen. IV, 697. *Pietas*, amor consanguineorum mutuus. *victa iacet* grauiter dictum,

Victa iacet Pietas, et Virgo caede madentes,
Vltima coelestum, terras Astraea reliquit.
Neue foret terris securior arduus aether;
Gigantes. Adfectasse ferunt regnum coeleste Gigantas,
Altaque congestos struxisse ad sidera montes.
Tum pater omnipotens misso perfregit Olympum
Fulmine, et excussit subiecto Pelion Ossae.

155. Ante Heins. edeb. *subiectum Pelion Ossae*, quod insulsum. Nec melior altera Heins. coniect. *subiectam Pelio Ossam*. Vnus Ambros. pro diuersa lect. *subiecto Pelio Ossam*; quod inuexit Heins. vt adeo Ouid. eundem, quem Virgil. G. I, 280. montium ordinem secutus sit. Sed quoniam non modo ap Homer. atque Propert. II, 1, 19, sed etiam apud Nostrum Amorr. II, 1, 13. montes illi sic collocantur, vt maximo Olympo minor Ossa, et huic minimus Pelion impositus sit; propterea nos non dubitauimus amplecti lect. multorum Mss. ex vetustioribus, quam etiam Barth. ad Statii Theb. X, 846. probat, et a qua tantum in syntaxi aberrant secund. Palat. et vnus Bersm. qui habent *subiecto Pelion Ossa*.

expulsa est. Metaphora petita ab hostibus aut gladiatoribus victis. *Virgo Astraea*, Iustitia, quae etiam simpliciter *Virgo*, et a Caesare Germ. *iustissima virgo* dicitur. Relicta terra, Iouis in coelo resedit. *vltima coelestum*, erat enim etiam hoc in aurei seculi bonis, vt Dii praesentes homines viserent. Fast. I, 247.

FAB. III, 151 — 62. *Gigantomachiam*, quam Noster paucis transmittit, Hesiodus plane neglexit. Quae Homer. Od. λ. 304 — 19. Apollon. I, 484. Virg. G. I, 280 — 83. coll. Aen. VI, 580. Apollod. I, 7, 4. Otum et Ephialtem, Aloi filios, statura corporis prodigiosa, parasse, et, nisi ab Apolline sagittis confixi essent, perfecturos fuisse scribunt, ea Noster hic atque Fast. V, 35 a *Gigantibus* facta esse narrat. Verum *Gigantas*, Γηγενεῖς, *Terrigenas*, quos Terra, indignans Ioui ob Titanas in Tartarum coniectos, ex Tartaro peperit, et quorum nomina Schol. Hesiod. ad Th. 185. Hygin. praef. p. 3. habent, potius in Macedonia saxa atque accensas arbores in coelum iaculatos esse, atque a Coelicolis, Hercule in societatem adscito, interfectos, alii tradunt, vt Eurip. Ion. 206 — 18. Appollod. I, 6. Itaque Ouid. duos diuersos mythos confudit; in quo forte auctores habuit aut Pherecydem et Acusilaum, qui illa attigerant, aut priscos poetas, qui Gigantomachias scripserant. Horat. III od. 4, 49 — 63 mythos illos distinguit. In Claudiani Gigantomachia Gigantes et hos et alios montes iaculantur. Vix dubium autem est, quin Olympus ab Ossa terrae motu reuulsus originem fabulae dederit. Strabo IX p. 658. Gigantes autem fuisse videntur homines viribus valentes, feroces et insolentes tam in Deum, quam in homines; quorum ferociam prisca aetas, sub sensus omnia vocans, sic expressit, vt corpora immania, et multa brachia, in quibus sedes roboris, iis daret, atque montes ad coelum exstructos fingeret.

Neue etc. Sic commode haec annectuntur antecedentibus, *ar-*

Obruta mole suâ cum corpora dira iacerent;
Perfusam multo natorum sanguine Terram
Incaluisse ferunt, calidumque animasse cruorem:
Et, ne nulla suae stirpis monumenta manerent,
In faciem vertisse hominum. Sed et illa propago
Contemtrix Superum, saeuaeque auidissima caedis,
Et violenta fuit: scires e sanguine natos.

157. Heins. ex vno Leid. arridet *merito sanguine*. Immo in *multo* caussa *incalescendi*; et *multus* esse debebat immanium Gigantum cruor. Pro *Terram* vnus Heins. et Berol. *matrem*, quod praefert Burm. vt sic indicetur, Terrae filios fuisse Gigantes. Immo *Terram natorum* eorum originem declarat certam; *matrem* contra eam dubiam relinquit. Sed idem bene fecit, quod vs. seq. pro *immaduisse* ex vno Medic. et Ed. Aldi dedit *incaluisse*, uti etiam corr. Schepper. ap. Tanaq. Fabrum lib. II, ep. 71, quia Ouid. amat tales repetitiones, et quia in *calore* illo vis gignendi. 159. Thuan. et vnus Vossian. *ferae stirpis*, quod Heins. amplexus est.

duus, longe remotus a turbis terrenis, atque etiam difficilis adscensu. Fecerunt autem hoc gigantes impulsu matris, inuidentis coelicolis regnum. *fulmen* Cyclopes Ioui in Titanomachia ministraverant, Apollod. I, 2, 1. eoque pro telis deinde in omnibus pugnis vsus est.

156 *corpora dira*. Erant enim immania monstra, quibus mater staturam ingentem, centenas manus, quinquagena capita, et pro cruribus angues dederat. Fast. V, 35. De forma illa symbolica vid. Heyne in Antiquarischen Aufsätzen To. II p. 58 *mole sua*, montibus a se exstructis. Senec. Thyest. vs. 1084. hi tres montes vocantur *tergemina moles*.

157 Haec fabulae pars adficta propter hominum crudelitatem. Crudeles *sanguine nati* dicebantur. Tibul. I, 2, 39. *animare*, in animans vertere. IV, 618. XIV, 566. Pro *ferae* reuocaui *suae*, in quo indulgentia materna inest et caussa mutationis. Neque, si *ferae* praecessisset, subiici potuisset, *sed et illa* etc. *in faciem hominum*, in homines, aut in formam hominum, quam Gigantes non habuerant. *scires e. s. natos*, VI, 23. *scires a Pallade doctam*. Fast. II, 419. *Marte satos scires*. vid. Drakenb. ad Sil. V, 279.

FAB. IV, 163 — 243. *Lycaon*. Quam impia illa e Gigantum sanguine orta proles fuerit, commode probatur exemplo Lycaonis, regis Arcadiae, qui ipsi Ioui, terras visenti, non modo carnes humanas apposuerat, sed etiam insidias struxerat; quam ob impietatem in lupum conversus est. Cf. Hygin. fab. 176. et Apollodor. Biblioth. III, 8. quo vtroque loco filii Lycaonis, quod hic traditur periculum, in Ioue facere conantur, quam ob caussam ipsi fulmine necantur; pater autem secundum Hygin. in lupum conuertitur, secundum Apollod. autem vna cum filiis concrematur. Cum Apollod. consentit Schol. Lycophr. ad vs. 481. Pausan. Arcad. p. 600. tradit, Lycaonem, Pelasgi filium, Cecropi aequalem, Ioui sacra Lycaea instituisse, in iisque infantem sacrificasse, eamque ob caussam in lupum conuersum esse. Id paullo propius ad hi-

Quae pater vt summâ vidit Saturnius arce,
Lycaon. Ingemit: et, facto nondum vulgata recenti,
Foeda Lycaoniae referens conuiuia mensae,
Ingentes animo et dignas Ioue concipit iras;
Consiliumque vocat. Tenuit mora nulla vocatos.

(165 *repetens* cor. jam Wakef. Silv. Crit. P. V. p. 81, quod firmare possit Ibidis vs. 433. Sed *referens*, quod codd. tuentur, exprimere videtur morem eorum, qui, ubi aliquid secum reputant, id murmure quodam sibi ipsi quasi referunt.) 166. Palatini et alii nonnulli, *Ingentes animos, dignas* etc. Placet Dan. Heins. et Burm. quia *animi* saepe de ira dr. et cum *ira* coniungitur. Melior est vulgata; verbo enim *concipere* fere semper additur *animo* aut *mente.* Vid. 777. II, 77. 640. X, 352. XV, 6. Ita et ap. Virg. et alios. (Capoferr. corr. *Ingentes animos digna Iove concipit ira*, quod placet Bothio Vind. p. 185. Aut Burmanno aut Capoferreo adsentiendum esse monet Burm. Sec. ad Anth. Lat. T. I p. 126.)

storicam veritatem accedit. Etenim etiam marmor Arundel. I, 51. memorat, Lycaonem, Pandioni, Cecropis filio, aequalem, instituisse Ioui sacra, Λυκαῖα dicta, in quibus homines Deo offerentur. Atque haec sacra diu mansisse inter Arcadas, ex antiquo quodam auctore refert Plin. H. N. VIII, 32. Regem iustum fuisse eum Suid. in Λυκάων narrat; atque etiam ex Pausan. apparet, multa eum inter Arcadas ad vitae cultum inuenisse. Fabulam de mutatione in lupum facile nominis etymon parere potuit. De λυκανθρωπία vniverse Herodot. IV, 105. Plin. d. l. disputant. Fabulam in se tenuem Ouidius tractatione reddidit memorabilem, in eaque exornanda multum ingenii ostendit. Poëta non ipsa narrat, quid Lycaon commiserit, sed Iouem Diis conuocatis narrantem inducit: quae inventio multa ornamenta peperit. Sic enim consessus Deorum, Iouisque maiestas describi, atque oratio commota intexi poterat.

163 Coelum vr. *arx mundi, arx coeli, arces igneae.* Vid. Bronckh. ad Propert. III, 3, 53. In *summa arce* domus Iouis fuit II, 306. quae et ipsa *arx* vs. 673. vnde despicit terras. Virg. Aen. I, 223. Apud Homer. Iupiter ἐν ἀκροτάτῃ κορυφῇ Olympi habitat. — *Foedus victus* de carne humana etiam ap. Horat. A. P. 392. θοίναν ἀγρίαν θηρῶν vocat Eurip. Hec. 1071. Vt hic *conuiuia Lycaoniae mensae*, sic apud Lucan. ex imitatione Nostri *conuiuia Ganymedeae mensae*, et apud Nostrum XV. *Thyesteae mensae*, non minus illa foeda, quam Lycaonia. *referens.* quibus? Deos postea conuocat. Num poëta dedit *repetens*, sibi in memoriam reuocans? Plin. III. Ep. 5, 16. Rode omisit in versione. *facto recenti*, vt alibi *re recenti.* — *concipi animo* dicuntur, quae oriuntur in animo, vt ira, furor

167 Cum res grauis agenda esset, Iupiter Deos conuocare (ἀγορὴν καλέσαι) solebat, (Homer. Il. δ, 1. θ, 2. υ, 4. sqq. Virgil. Aen. X, 1. et saepe,) in primis duodecim magnos, qui erant Consiliarii Iouis, et *Consentes* dicebantur. Senec. Nat. Quaest. II, 41. Arnob. c. Gent. III. p. 123. v. Burm. Sec. ad Anth. Lat. T. I p. 1. Nunc

Est via sublimis, coelo manifesta sereno,
Lactea nomen habet; candore notabilis ipso.
Hac iter est Superis ad magni tecta Tonantis,
Regalemque domum. Dextrà laeuàque Deorum
Atria nobilium valuis celebrantur apertis.
Plebs habitant diuersa locis. A fronte potentes
Coelicolae, clarique suos posuere penates.
Hic locus est, quem, si verbis audacia detur,

170. Quidam *tecta Tyranni.* Sed v. Burm. *parentis* Bononiens. nuus Heins. et excerpta Langerm. *summi tecta Tyranni* edidit Viuianus.

antem etiam reliqui Dii, audiendi caussa, confluunt. Itaque non facile discernere licet, vtrum *consilium* an *concilium* legendum sit: nam *consilium* est consessus deliberantium, *concilium* audientium. vid. Ernesti Clav. Cic. v. *consilium*, et Burm. ad h. l. *Vocare consilium* aut *concil.* phrasis solemnis.

169 De circulo illo candido in coelo, quem γαλαξίαν vocarunt Graeci, *lacteam* Latini, mira finxerunt Veteres, ope tuborum opticorum destituti. vid. Macrob. in Somn. Scip. I, 12. 15. Manil. Astron. I, 748.

170 Sequitur topographia coeli. *magnus Tonans* etiam II, 466. Alibi *altitonans. dextra laeuaque* refer, non ad regalem domum, sed ad lacteam. Pro, nobiles habitant, notione speciali et accommodate ad mores Rom. dixit *atria celebrantur* etc. is enim honor Romae nobilibus haberi solebat. *Plebs*, δαίμονες δεύτεροι, i. secundi ordinis. v. Graev. ad Hesiod. Ἔργ. 141. Vt Romae nobiles et plebeii, sic etiam in coelo. Non autem debebat verti *der Poebel.* Ad *plebem* a Nostro in Ib. 81 referuntur Fauni, Satyri, Nymphae, Semidei; sed hi mox vs. 192 s. ab ea distinguuntur, habitant enim in terris. Inter ciues Romanos nonnulli erant *potentes*, valentes gratia et auctoritate, atque *clari* vel natalibus vel rebus gestis. Vid. Corte ad Sallust. Cat. 38, 1. Sed hi Dii *potentes* differuntne a *nobilibus*, eorumque *penates* ab illorum atriis? Ea opinio fuit Rodii, qui Iouem et Iunonem hic intelligi monuit. Sed non ita est. Antea *dextram laeuamque* tantum commemorauerat poëta; iam loca accuratius definit: *Plebs habitant diuersa locis*, diuersis locis (vs. 40.), sed *nobiles* s. *potentes a fronte*, scil. regalis domus. Adeo insueuerat, *penates* de domo dicere, vt poëta nunc etiam ad Deorum ipsorum domos transtulerit, cf. vs. 775. Graec. θέσθαι οἰκίας.

175 Adulatio in Augustum, cuius domus in monte Palatino *Palatium* dicta est. Constructa autem erat ex pluribus aedificiis minoribus in vnius maximi speciem. Et sic comparari cum eo poterat coelestis illa sedes. Non dixit *haud dubitem*, vt Mss. quidem habent, sed reuerentius *timeam. Audaciam* suam excusat, non, vt Lenzius putabat, vt deteriorem Iouis domum palatio Augusti declararet (sordida enim fuisset illa adulatio); sed quia summi Dei domum, quem omni h. l. in maxima maiestate collocat, cum humana et terrena comparat. Eadem comparatio et III Trist. 1, 35 — 38. Iam ap. Homer. Od. δ, 74 Telemachus cum Iouis Olympici aula componit Menelai regiam.

Haud timeam magni dixisse Palatia coeli.
Ergo vbi marmoreo Superi sedere recessu,
Celsior ipse loco, sceptroque innixus eburno,
Terrificam capitis concussit terque quaterque
Caesariem, cum quâ terram, mare, sidera, mouit,
Talibus inde modis ora indignantia soluit:
Non ego pro mundi regno magis anxius illâ
Tempestate fui, quâ centum quisque parabant
Iniicere anguipedum captiuo brachia coelo.
Nam, quamquam ferus hostis erat, tamen illud ab vno

176. Quatuor, *haud dubitem.* 177. Iunian. *theatro.* Monent Heins. et Burm. et alibi talia loca *theatris* comparari, quia Graeci in theatris conuentus habuerint.

177 *Ergo* post digressionem reuocat lectorem ad sententiam abruptam, h. l. ad vs. 166. *Recessus* et *secessus* dicuntur intima aedium conclauia, in quibus negotia arcana tractari solebant. vid. Schwarz. ad Plin. Paneg. 83, 1. Sic et VII, 670. XIV, 261 vbi Circe *pulchro sedet recessu Sublimis solio.* Reges olim vel dextra tenebant *sceptrum* erectum, vel ei *innitebantur.* *Terrificam* — *mouit* expressum est ex nobilissimo loco Hom. Il. α, 529 s. Ἀμβρόσιαι δ᾽ ἄρα χαῖται ἐπεῤῥώσαντο ἄνακτος κρατὸς ἀπ᾽ ἀθανάτοιο· μέγαν δ᾽ ἐλέλιξεν Ὄλυμπον. Ibi Olympum tantum mouet, quia nil nisi annuit capite: sed hic grauiter indignans ita caput concutit, vt *terra, mare, sidera* tremant: quamquam ap. Catul. 63, 203 nutus eandem vim habet: *tellus atque horrida contremuerunt aequora, concussitque micantia sidera mundus.* Alia loco congessit Klotz Epp. Homericis p. 88 sqq. Haec loca sublimitatis laudem merentur, feriuntque animum; licet Noster vim illam adiecto *terque quaterque* fregerit. Magnificam autem illam sententiam transtulit et ad alios, VIII, 780 ad Cererem, II, ex Pont II, 65 ad Augustam adeo, cum *vultus remiserit illos, Qui secum terras imperiumque mouent.* Hic *mouent* est, regunt; sed nostro loco *mouit*, tremefecit, vt Horat. III Od. 1, 8. Iupiter *cuncta supercilio mouens. Concussio* signum indignationis, vt II, 849. *cum qua,* qua concussa. Nota autem grauem sonum, qua omni h. l. verba incedunt, quo etiam asyndeton in *terram* etc. multum confert.

182 Quae sequitur oratio, et iram spirat, et grauitati Iouis conuenit. Majestati Iouis conueniunt illa, quae de regno mundi, de puniendis sceleribus, de nouis incolis terrae dandis, de imperio suo in Deos loquitur. Indignitatem rei commode per comparationem cum Gigantum conatu (quem lector modo cognouit) ostendit; erat enim et hoc crimen laesae maiestatis diuinae. Vt autem ille conatus iustam ministraret mensuram, grauissimis eum verbis describit. *Anxium* illum animum commemorat etiam Hor. III, Od. 4, 49. turma Gigantum *magnum terrorem intulerat, fidens brachiis.* Itaque et hic formula *brachia iniicere* cum delectu ad-

Corpore, et ex vnâ pendebat origine bellum.
Nunc mihi, quà totum Nereus circumtonat orbem,
Perdendum mortale genus. Per flumina iuro
Infera, sub terras Stygio labentia luco,
Cuncta prius tentata: sed immedicabile vulnus

187. Plurimi *circumsonat;* quod et ipsum de mari dr. Leid. Palat. Bersm. *oceanus circumfluit* ex glossa. 188. *Perdendum est* cod. Berol. quod probat Bothe l. c. p. 3, ne duo m concurrant. 189. Leid. et Gronov. *sub terris.* Argent. et alter Leid *sub terra.* 190. *tentata,* pro *tentanda,* ex vno suorum reuocauit Heins. atque ita et Barth. ad Stat. Theb. VII, 208 voluerat. Mox Burm. placebat ex Vatic. Excerpt. *immedicabile membrum,* quia sic Cic. VIII Philip. 5. et quia *vulnus* h. l. durum. Vid. not. G. — *tentanda* tamen defendit Bothe. l. c. p. 3 qui monet: *Generalis haec est sententia et plene distinguendum post verbum luco, siquidem tanti non est illa asseveratio, se omnia prius tentasse, ut propterea per Stygem juret Iupiter; sed aptum juramentum, ubi se perditurum dixit homines; cujus consilii rationem continent verba Cuncta prius tentanda etc., sicut specialia generalibus confirmari solent. cf. infra 735 et II, 44.*

hibita. *anguipedes,* δρακοντόποδες. Trist. IV, 7, 17. *serpentipedes.* — *captiuo,* quod capere conabantur. IX, 133. *rapta,* quam Nessus rapere parabat. XIII, 226. *capta Troia.* Claudian. 28, 243. *captiua pignora* liberi inclusi et mox venturi in hostium potestatem. Incipit *magis anxius;* sequi debebat, *quam nunc;* sed hoc iratus omisit. *Ferus hostis,* ἄγριοι θεοὶ vocantur gigantes. *feri gigantes* Senec. Oedip. 90. *ab vno corpore.* Erat vna cohors, quae coniunctis viribus Superis bellum inferebat.

187 *qua — orbem,* quam late Oceanus terram ambit, quam late terra patet. cf. Heroidd. IX, 14. Fast. V, 82. *Nereus,* Deus marinus, vnus ex antiquissimis. Hesiod. Theog. 233. *circumtonare* bene de strepitu vndarum; mare enim est πολύφλοισβον. Vt h. l. *Nereus circumtonans,* sic Hesiod. Theog. 441. ἐρίκτυπος Neptunus, et apud Homer. h. Mer. 187. Neptunus ἐρισφάραγος.

188 Vnum Styga circumloquitur. *Labentia* dixit, quia *labi* sollemne de fluuiis, quamquam pr. celerem eorum decursum exprimit, qui non conuenit Stygi, pigrae paludi. Forte *sub terris.* Vid. Varr. lect. *immedicabile* etc. Talis sententia vim argumenti habet. *vulnus,* membrum vulnere morbidum. XV, 93. *vulnera mandere,* carnes bestiarum vulneratarum. *ensis,* ferrum medicorum. Graue hoc verbum ira suppeditauit. Etiam Rutil. Itin. I, 311 dixit, notante Burm. *ense recidere malum.* *sincera,* integra, vt XII, 100. Contra Virg. G. IV, 285. *cruor insincerus,* corruptus putredine. Integra autem pars sunt Fauni et reliqua numina in terris; humanum enim genus omne perdendum erat. *trahatur* a vitiata parte, inficiatur. II, 826.

Ense recidendum est, ne pars sincera trahatur.
Sunt mihi Semidei, sunt rustica numina, Nymphae,
Faunique, Satyrique, et monticolae Siluani:
Quos quoniam coeli nondum dignamur honore,
Quas dedimus, certe terras habitare sinamus.
An satis, o Superi, tutos fore creditis illos,
Cum mihi, qui fulmen, qui vos habeoque, regoque,
Struxerit insidias, notus feritate Lycaon?
Confremuere omnes, studiisque ardentibus ausum
Talia deposcunt. Sic, cum manus impia saeuit

191. *recidendum est* recepi ex plurimorum codd. consensu et quoniam ita numeri pleniores esse videntur. Defendit hoc *est* etiam Bothe J. c. E. 197. Sine caussa Heins. malebat, *cui fulmen.* 199. Multi Codd. *contremuere;* sed perperam.

192 *Semidei*, ἡμίθεοι, dicuntur etiam *heroes*, et erant infima dignitate, inferiores etiam numinibus rusticis. vid. Cuperus Observ. III, 16; et Klotz ad Tyrtaeum p. 112. De Nymphis per terram habitantibus vid. Hesiod. Theog. 129. 364. *Satyri* iuuentum Graecorum; *Fauni* in Italia originem habent, postquam *Faunus*, Pici filius, quartus Italiae rex, ob merita in rem rusticam inter Deos relatus erat. Illis tribuebantur pedes caprini, his non. Saepe vero haec numinum genera confunduntur. Vid. omnino Heyne in libro Antiquarische Aufsätze To. II, p. 53 seq. et in Excurs. V ad Aen. VIII p. 125. *Siluanus* alibi non nisi vnus, etiam XIV. 638 in simili catalogo. *habitare*, nempe tuto.

197 Se describit Deum summum. *Fulmen*, insigne summi imperii. *habere*, vt graec. ἔχειν, in potestate sua habere. Referri igitur et ad fulmen et ad Deos potest.

199 Hic commode abrumpit orationem Iouis, et sensus reliquorum Deorum interponit. Etenim haec interpellatio et majestati Iouis et indignitati sceleris admissi augendae inseruit. Vix audiunt Dii insidias Ioui structas, cum omnes commouentur. *Confremere* de vocibus promiscuis concitatae multitudinis. *studium*, impetus animi, quo aliquid vel auersamur, vel appetimus. *deposcunt*, scil ad supplicium; quo sensu proprie *deposcere*. Drakenb. ad Sil. III, 202.

200 *Manus impia*, sexaginta illi, qui C. Cassio, M. et D. Brutis principibus conspirauerant contra vitam Caesaris. Sueton. Caes. 80. Sollemne erat Romanis, Caesarem cum Ioue atque imperium Rom. cum regno Deorum comparare. XV, 858 — 60. Fast. II, 130. Horat. I od. 12, 49 — 60. III od. 5, 1 — 5 Hinc et haec comparatio fluxit, in qua verba bene delecta. *impia*. Virg. G. I, 468 ob idem facinus *impia secula.* — *saeuit exstinguere*, ardet saeuitia exstinguendi. Horat. I Od. 15, 27. *furit te reperire. nomen Roman.* imperium Rom. vt saepe. Auget autem poëta rem in adulationem Augusti, quasi Caesare interfecto metuendum fuerit, ne totum imperium Rom. euerteretur. *Humanum genus* et *totum orbem* nominat, quia om-

Sanguine Caesareo Romanum exstinguere nomen,
Attonitum tantae subito terrore ruinae
Humanum genus est; totusque perhorruit orbis.
Nec tibi grata minus pietas, Auguste, tuorum,
Quam fuit illa Ioui. Qui postquam voce manuque
Murmura compressit; tenuere silentia cuncti.
Substitit vt clamor, pressus grauitate regentis;
Iuppiter hoc iterum sermone silentia rumpit:
Ille quidem poenas (curam hanc dimittite) soluit,
Quod tamen admissum, quae sit vindicta, docebo.
Contigerat nostras infamia temporis aures:

201. Barth. Adv. 58, 10 maluit, *exstinguere numen.* Temere. Aeque infeliciter Burm. coni. *lumen*, propter *exstinguere.* 202. *tantae subito* Burm. ex Mss. dedit pro *tanto subitae*, quod plane eodem redit. 206. *Murmura compr.* Longius aberrat vnus Regius, in quo *Increpuit subito*, et Regius alter cum Argentor. *terruit adstantes.* In Voss. alius post hunc vs. insertus, *Signa dedit subito, tenuere silentia cuncti.* G. — Spurium hunc versum habet Bothe l. c. p. 3 et 4, offensus verbis *murmura* et *clamor*, quoniam ubi murmurant, clamor non esse potest. Sed ut justo argutius est hoc argumentum, ita admodum dura ejus emendatio: *qui p. v. manuque Substitit et clamor, p. p. regentis*: *Iupiter etc. Murmor* de graviore sono Metam. XIV, 537. Offendit quidem versus, sed ultima lima deest huic carmini. Abesse autem nequit, quoniam *voce manuque* requirunt *suppressit* vel *compressit murmura* vel tale quid. Possis etiam ex Ciof. cod. legere: *Suppressit fremitus*; si *murmura* ferre nouis. E. — 210. Heins. mallit, *Cui tamen admisso.* Male. Duo Iupiter docere vult, quale admissum et qualis poena. Spernenda igitur et Gronov. coni. *Quo tamen admisso.*

nes fere gentes parebant imperio Rom., et sic ad omnes pertinebat Caesaris interitus. *Ruinam* Lenzius int. nominis Rom. Potest et ad Caesarem referri; dr. enim non minus de hominum magnorum, quam rerum interitu. Horat. II Od. 17, 8. de sua et Maecenatis morte instante, *ille dies vtramque ducet ruinam.* — *tuorum*, populi Romani Caesaris necem vindicantis. Caeterum Rodius *manum impiam* vertit *eine gottlose Faust*, monetque intelligi conspirationem contra vitam Augusti, quod et alii olim putarunt.

205 — 7 Inest in his verbis aliquid tautologiae; et varie olim lecta sunt. Vid. Var. lect. *pressus*, compressus. Interdum auctor post compositum repetit verb. simplex. vs. 158. *incaluisse, calidumque.*

209 — 13 *Dimittimus* ea, quae eiicimus ex animo, quorum obliuiscimur. *tempus*, peruersitas hominum huius temporis. Ap. Apollod. filiorum Lycaonis impietas monet Iovem, vt in terram delabatur. Sed Noster, qui Deucalionis diluuium cum hoc mytho coniungere voluit, latiorem impietatem commemorauit. *delabi* sollemne de descensu Deorum in terras. *lustrare*, obire circumspiciendi caussa. XII, 527. *sub imagine*, adsumta forma. II, 804. Mercenarii formam Apollod. memorat.

Quam cupiens falsam, summo delabor Olympo;
Et Deus humanâ lustro sub imagine terras.
Longa mora est, quantum noxae sit vbique repertum,
Enumerare: minor fuit ipsa infamia vero.
Maenala transieram, latebris horrenda ferarum,
Et cum Cylleno gelidi pineta Lycei.
Arcados hinc sedes, et inhospita tecta tyranni
Ingredior, traherent cum sera crepuscula noctem.
Signa dedi venisse Deum; vulgusque precari
Coeperat. Irridet primo pia vota Lycaon.
Mox ait, Experiar, Deus hic, discrimine aperto,
An sit mortalis: nec erit dubitabile verum.
Nocte grauem somno nec opinâ perdere morte

215. Heins. putabat praestare *ipso*. Burm. improbat. 217. Heins. vel inuitis libris omnibus scribendum censet *Cyllene*, quia est Graec. Κυλλήνη. Bene. 224. *perdere*. Heins. maluit *prodere*. Illud est grauius et h. l. accommodatius. 225. Pro *veri* Medic. *rerum*, quod placet Heins. qui non sensit, voluisse Nostrum inuidiose repetere ipsa Lycaonis verba. Ille autem dixerat *Experiar*, nec *verum* erit dub. Idem vs. seq. pro *missi* malit *Amyci* aut *Nisi*, quia in Palat. *amici*, in aliis quibusdam *Misi*.

216 Montium horum nomina commemorare voluit, quia illi in Arcadia celeberrimi. *Maenalus* pinubus abundabat, et plenus erat lyncum, vrsorum, aprorum, aliarumque ferarum. Virg. Ecl. X, 14. 15. vid. Spanhem. ad Callim. h. Dian. 89. Neque tamen illud *latebris hor. fer.* nunc ad rem pertinebat. *Lyceus*, pinifer et ipse; nam pinus frequens in Arcadia arbor. *gelidus* frequens montium epitheton, partim ob altitudinem, partim ob arborum vmbram.

218 *Arcados tyranni* per prolepsin dictum, vt innumera alia in hoc carmine. *Arcadia* enim serius ab Arcade, Lycaonis nepote, nomen accepit. Hygin. fab. 176. Idem, quo loco pater poena adfectus, Trapezuntem oppidum condidit. Hygin. d. l. et f.

275. *sedes* vel i. q. tecta vel vicus; vicatim enim habitabant Arcades. *inhospita*, hospites enim noctu trucitare conatur, quod summum nefas. Horat. II. Od. 13, 7. Contra *hospita tellus*, vbi hospites benigne tractantur. Infra III, 637. Alias *inhospita* loca, vbi nemo habitat, neque adeo cuiquam hospitium praebetur. Virg. Aen. IV, 41. Horat. I. od. 22, 6. *traherent cum sera* etc. cum nox iam ingrueret. Ornate poëtae plerumque tempus designant; sed Noster maluit suauiter, eleganter verbo *traherent* posito.

221 *vota*, preces. *dubitabile*, dubium; vox, vt videtur, ab ipso Ouidio signata, vt aliae multae. Occurrit et XIII, 21. *grauem somno*, graui somno oppressum, βεβαρημένον εἰς ὕπνον.

Me parat. Haec illi placet experientia veri.
Nec contentus eo, missi de gente Molossâ
Obsidis vnius ingulum mucrone resoluit:
Atque ita semineces partim feruentibus artus
Mollit aquis, partim subiecto torruit igni.
Quos simul imposuit mensis; ego vindice flammâ
In domino dignos euerti tecta Penates.
Territus ille fugit; nactusque silentia ruris
Exululat, frustraque loqui conatur: ab ipso
Colligit os rabiem, solitaeque cupidine caedis
Vertitur in pecudes: et nunc quoque sanguine gaudet.

231. Sic iam Ciofan. ex vno suo edidit. Ita et Mureti Excerpta, approbantibus Barth. Adv. 31, 3. Gronov. Obs. III, 19. Sed librarios praepos. *in* decepit, vt darent *dominum*, hinc etiam *dignosque*. 232. *ripis* pro *ruris* vnus cod. vnde Heins. cor. *rupis*. Heidelb. *Territus ipse fugit:* sed *ille* saepe eandem vim habet. 234. *caedis*. Probat Burm. ex plurimis *praedae*. Illud grauius et ad facinus Lycaonis modo et tentatum et admissum accommodatius. Mox Heins. ex multis recte *vertitur* recepit, cum *vtitur*, a Ciofano defensum, vulgaretur.

226 *Molossi* in Epiro, apud quos Dodonaei Iouis templum. Plin. H. N. IV, 1. Haec de obside Molosso Ouidius, vt videtur, de suo addidit, sed contra fidem. Nam, vt mittam, illos a Molosso demum, Neoptolemi filio, nominatos esse; quis credat, quod iam Burm. monuit, illa aetate tam longinqua bella esse gesta? Apollodor. narrat, fuisse ἕνα τῶν ἐπιχωρίων παῖδα, cuius carnes Ioui apposuerit tyrannus; alii rursus Nyctimum nominant, ipsius Lycaonis filium, aut Arcada nepotem. vid. Munker. ad Hygin. fab. 176. *Atque ita*, quo facto, postea, vt 677. III, 22 et passim. *semineces*, palpitantes adhuc. *Trementia frusta* dixit Virg. Aen. I, 212. Carnibus aqua mollitis a. elexis post heroicum demum tempus homines vesci coeperunt, cum antea *tostis* duntaxat vterentur.

231 Ordo verborum est hic: *Euerti tecta in penates dignos domino*, euerti tecta et conieci in penates aeque improbos ac dominus. Transmoueri ita praepositiones a poëtis, docet Gronov. Obs. III, 19 *vindex flamma*, fulmen, quo vlcisci Iupiter scelera solet.

233 Etiam in aliis transformatis studium tentandi *loquelam* manet. 637. II, 483. III, 201. 229 sqq. *rabies* βουλιμία, propria est luporum. vid. Burm. ad Phaedr. I, fab. 1, 3. Ea nunc non aliunde arcessenda erat, sed *ab*, ex *ipso* Lycaone colligitur, et *ori*, faucibus, inditur, vnde lupo *improba faux* tribuitur Phaedr. d. l. Antea homines interfecerat, nunc rabiem suam *vertit*, transfert, *in pecudes*, oues inprimis, quae proprie *pecudes*, vnde *latro*, *raptor* et μηλοφόνος dicitur. *Cupidine vertitur* pro vulgari, cupidinem vertit. Hoc plus est, quam, quod alii habent, *vtitur*; indicat enim, eum iam ante crudelem fuis-

In villos abeunt vestes, in crura lacerti;
Fit lupus, et veteris seruat vestigia formae;
Canities eadem est, eadem violentia vultu.
Idem oculi lucent, eadem feritatis imago.
Occidit vna domus: sed non domus vna perire
Digna fuit; quâ terra, patet, fera regnat Erinnys.
In facinus iurasse putes. Dent ocius omnes,
Quas meruere pati (sic stat sententia) poenas.
Dicta Iouis pars voce probant, stimulosque furenti
Adiiciunt; alii partes adsensibus implent.
Est tamen humani generis jactura dolori
Omnibus: et, quae sit terrae mortalibus orbae,
Forma futura, rogant: quis sit laturus in aras

238. Erfurt. vterque, sec. Palat. Heidelberg. et Leid. vnus *vultus*, quod rectius iudicat Heins. (239. *imago est* Berol. et Heidelb. idque rectius, si verum est, quod monet H. Voss. ad Virg. Georg. III, 519, p. 662, amphibrachum in fine Hexametri vitari a poetis. E.) 244. Multi *frementi*. Et saepe haec duo confusa sunt a librariis, quippe similia et scriptura et vi. *Furenti* cum Gebhardo Crep. I, 12. Burm. praetulit maxime, quia Gunther. II. Ligur. 270, vbi h. l. imitatur, ita legit. Ibi enim: *iramque furenti Adiiciunt; stimulosque graues.*

se. Ita *verti* et VIII, 768; XI, 23.

237 *Seruat* illa *vestigia*, vt nitorem Daphne vs. 552. speciem candidam Io vs. 612. *Canities* proprie non nisi hominibus et equis tribuitur. Plin. H. N. XI, 37. Sed h. l. intelligitur color cinereus, quem referunt villi lupini. Hinc πολιοὶ λύκοι, vt apud Homer. Il. κ, 334. vbi Schol. πολιὸς interpretatur τεφρώδης, i. cinereus. *Oculi* lupi etiam in tenebris *lucent.*

241 *fera regnat Erinnys*, homines in furorem et in scelera compellunt. *Erinnys* ἀπὸ τοῦ ἐρινύειν, ab irascendo, dicta. Pausan. VIII. p. 649. *stat sententia*, certo decretum est. Ap. Virg Aen. I, 582 eodem tropo *surgit sententia.*

244 *pars — alii.* etiam solutae orationis scriptores amant. vid. Corte ad Sallust. Catil. 2, 1. *voce*, oratione; alii contra orationem habentibus *assentiuntur*, vt fieri solebat in senatu Romano, vbi triplex assentiendi modus, verbis, nutu et sublata manu, pedibus. vid. Corte ad Sallust. Catil. 50, 4. *stimulos adiicere*, magis etiam irritare, metaphora a bubus ducta. *Furere* et *furor* proprie de iratis. vid Burm. Sed nec illa irritatio, nec formula, qua expressa est, satis digna videtur Iouis maiestate. *partes implent*, addunt se partibus eius adsensu suo. Sed, vt fit, restat scrupulus, quem sibi eximendum Ioui proponunt.

248 Priscis temporibus *tura* nondum adhibebantur in sacris quippe ignota, sed eorum loco *far.* vid. Plin. H. N. XIII, 1. Arnob. c. Gentes lib. VII. p. 231. s. Itaque Ouidius h. l. vt saepe, ex more suae aetatis locutus est, Phrases solemnes sunt *dare* et *ferre tus.* vid. Brisson

Tura? ferisne paret populandas tradere terras?
Talia quaerentes (sibi enim fore cetera curae)
Rex Superûm trepidare vetat, sobolemque priori
Dissimilem populo promittit origine mirâ.
 Iamque erat in totas sparsurus fulmina terras; *Deucalion.*
Sed timuit, ne forte sacer tot ab ignibus aether
Conciperet flammas, longusque ardesceret axis.
Esse quoque in fatis reminiscitur, adfore tempus,
Quo mare, quo tellus, correptaque regia coeli

249. *gentes* pro *terras* ex 4 Mss. dedit Burm. Probauerat et Zinzerling. Promuls. cp. 61 (*terras* tuetur Bothe p. 186, quoniam melius conueniat verbo *populandas.*) 255. *longusque* pro *totusque* recte ex melioribus recepit Heins. (Wakef. ad Lucret. IV, 81. T. II. p. 218 vulgatam non satis grauem esse putans, cor. *corriperet.*)

de Form. I. p. 26. Mox reuocaui *terras;* non enim hic, vt Burm. putabat, de poena sermo est, qua *paret* i. velit humanum genus perdere, sed, quae forma *terrae* futura sit, quaeritur, deletis hominibus. *trepidare,* sollicitos esse.

FAB. V, 253—415. Placuit ergo genus humanum *diluuio* (κατακλυσμῷ) perdere. Hoc describitur. Sed duo, qui caeteris antecellebant pietate, seruantur, *Deucalion,* Promethei et Pandorae filius, et *Pyrrha,* eius coniux, Epimethei filia. Hi lapidibus iussu Themidis iactis genus humanum restituunt. cf. Apollod. I, 7, 2. Hygin. fab. 153. Etiam Apollod. III, 8, 2. et Schol. Eurip. ad Orest. 1646 hoc diluuium post et propter Lycaonis vel filiorum facinus immissum narrant. Noster igitur has fabulas ita coniunxit, vt pro vna haberi possint. Nos tamen seiunximus, vt sunt diuersae loco et tempore. Res autem sic habet. Deucalion a. 1574 ante aeram Christ. tempore Cranai, ex Asia venit in Graeciam, et subiecit sibi Lycoream ad Parnassum, vid. Marmor Arundel. I, init. Huius aetate fluuii Thessaliae, copiosis imbribus aucti, ripas egressi sunt, magnamque Thessaliae et vicinitatis partem vastarunt. Apollod. d. l. et Aristot. Meteor. 1, 14. Deucalion vero, qui effugerat illam cladem, et fortasse in Parnassum se receperat, mox Athenas venit ad Cranaum, Iouique Phyxio ob salutem praestitam templum excitauit. vid. Marmor Arundel. I, 7. Diluuium ergo illud Deucalioneum ad partem tantum Graeciae pertinuit; sed cum Graeci per colonos Phoenicios aliquid accepissent de diluuio Noachico vniuersali, accommodarunt ei Deucalioneum. Itaque et Romani putauerunt, illam inundationem ad Italiam quoque pertinuisse. Plin. H. N. III, 14. Deucalion vero habebatur generis humani restaurator, partim quia dispersos homines collegit, (Iustin. II, 6, 11.) partim quia copiosissimam prolem reliquit. vid. omnino Goguet über den Ursprung der Gesetze etc. To. II. p. 23 s.

sacer, quia coelum sedes Deorum. Etiam Graecis dicitur ἱερὸς αἰθήρ vid. Valken. Diatrib. Eurip. p. 49. *longus,* vt 123 *longi sulci* et 136 *longus limes.*

257 Dogma Stoicorum, sidera

Ardeat, et mundi moles operosa laboret.
Tela reponuntur, manibus fabricata Cyclopum.
Poena placet diuersa, genus mortale sub vndis
Perdere, et ex omni nimbos dimittere coelo.
Protinus Aeoliis Aquilonem claudit in antris,
Et quaecunque fugant inductas flamina nubes:
Emittitque Notum. Madidis Notus euolat alis,

261. Quidam *demittere*. Alterum melius, quia additur *ex omni coelo*. v. Burm. Vnus, *diffundere*.

nutriri humoribus, quibus absumtis totum arsurum mundum. Cic. N. D. II, 46. Senec. Cons. ad Marc. 26. N. Q. III, 13. 28. Minuc. Fel. 34. Lactant. de Ira 23. Commode poëta hoc in suam rem vertit. *correpta*, scil. flammis. *mundi molem* non de solo coelo ceperim cum Gesnero, sed de toto vniuerso. Antea partes mundi nominauerat, nunc ponit vniuersum. Lucret. V, 96. *multosque per annos Sustentata ruet moles et machina mundi.* Sed etiam in *operosa* dissentiunt Interpretes. Gesnerus explicat, coelum, quod in perpetuo motu est. Ego vero malim cum Schirachio, mundum magno artificio fabricatum intelligere. Nam sic etiam Seneca intellexit, qui in Epigr. Catal. Pith. p. 31. hunc nostrum locum imitatus est: *moles pulcherrima coeli Ardebit flammis repente suis.* Et infra XV, 666. *templa operosa* sunt artificiose structa. *laboret*, corruat. Lucret. I, 849. *laborare* et *perire* coniunxit.

259 *Tela,* fulmina, Διὸς βέλη. Hinc Iupiter fulmina ἀκοντίζει, et *iaculatur. diuersa.* Senec. N. Q. III, 28. extr. cf. Claudian. R. P. II. 250.

262 Sequitur locus praeclarus, cuius inuentionem poëticam intelliges, si simplicem cogitaveris narrationem: nimbi delapsi sunt, amnes exundarunt, oceanusque obruit terram. Illa vero mirum in modum animantur, cum *Notus* Deus inducitur, *Iris* nubes alit, *Neptunus* Iouem adiuuat, *Deosque amnium* conuocat etc. Caeterum nec hic locus ad physicas rationes subtiliter exigendus. Ad illas de diluuio disputat Seneca N. Q. III, 27. *Aquilo*, quia pellit nubes, apud poëtas *clarus* et αἰθρηγενέτης. In vna ex insulis *Aeoliis* fuit Aeoli sedes. Is ventos vel in vtre, vt placet Homero Od. μ, 19 sqq. vel, quod plus dignitatis habet, atque etiam a Virg. Aen. I, 52. praelatum est, in vasto *antro* inclusos tenet; cavernae enim subterraneae plenae sunt ventorum. Ipse sedet in cacumine montis, et, prout postulat salus mundi, ventos vel coërcet, vel emittit. Quo poëtae nil aliud significare voluerunt, nisi hoc, et vtilitatem et vim ventorum esse tantam, vt hi quoque curae diuinae subiecti esse videantur; id quod accommodarunt puerilibus ideis antiquissimorum et rudium hominum. H. l. Iupiter ipse imperium exercet in ventos, vt apud Horat. I. od. 15, 5 Nereus. *Induci* proprie dicuntur colores a pictoribus; hinc eleganter transfertur ad *nubes*, vt alibi ad *caliginem* et *noctem*. Horat. I. Sat. 5, 9. *inducere terris vmbras.*

264 *Notus* est Deus, cuius faciem truculentam exhibebant pictores. vid. Spencius Polym. Dial. XIII. atque etiam h. l. satis terribilis apparet. Hunc emit-

Terribilem piceâ tectus caligine vultum.
Barba grauis nimbis; canis fluit vnda capillis:
Fronte sedent nebulae: rorant pennaeque, sinusque.
Vtque manu latâ pendentia nubila pressit;
Fit fragor; hinc densi funduntur ab aethere nimbi.
Nuntia Iunonis varios induta colores,
Concipit Iris aquas, alimentaque nubibus adfert.
Sternuntur segetes, et deplorata coloni
Vota iacent, longique labor perit irritus anni.
Nec coelo contenta suo Iouis ira: sed illum
Caeruleus frater iuuat auxiliaribus vndis.

266. Quidam *ruit*, quod probat Heins. qui tamen mauult, *pluit*. 272. Plurimi *colonis*. Atque ita et Senec. N. Q. III, 27. 274. Heins. malebat *illam*, non improbante Burm.

tit, quia pluuiam concitat, vnde *humidus* et *pluuius* dr. Itaque et in hac descriptione allegorica, eaque excellentissima, omnes eius partes madidae et caliginosae. In eadem obserua etiam grauem verborum sonum. *grauis*, grauata, referta, vt vs. 443. *sedent*, apparent. II, 775. *sedet in ore pallor.* — *Rorant* poëtis ea, vnde aqua, etiam copiosa, defluit. Vs. 339. *sinus*, pectus.

268 *pressit* veluti spongiam ebriam. *lata*, quia Deus; Diis enim magna membra tribuuntur. *pendentia* e rei natura. Virg. G. I, 214. *nubila pendent.*

271 *Iris* tempore pluuio cornibus suis aquas haurire credebatur. vid. Cerda ad Virg. G. 1, 380. *Concipit* exquisitius quam, colligit. Non bene autem hoc Iridis auxilium insertum. Cum enim terra aquis obruenda esset, non debebat Iris inde aquas haurire. *Sternuntur segetes* etc. cf. Homer. Il. ε, 92. Virgil. d. l. 325 et Aen. II. 496. 505. Singula verba delecta sunt ad misericordiam commouendam. Sata vocantur *vota coloni*, quae nunc sunt *deplorata*, quibus succurri nullo remedio potest. Per *longum* annum multos labores exhauserunt coloni, sed, postquam diu exspectarunt largam messem, omnis ille labor *irritus perit.* *labor anni* est etiam Virg. G. II, 514. vbi Heyn. intelligit prouentum ex labore annuo. Etiam Plin. Pan. 81. *agrestium labor* eo sensu, aut certe ipsi agri agricolarum labore culti. ed h. l. ne idem ter dicatur, rectius de labore per annum exhausto capies. Alias *labores boum* aut *mortalium* in similibus descriptionibus commemorantur. Annus pro consilio poëtae mox dicitur *breuis*, mox *longus*, vt h. l. aut *magnus*, Aen. III, 284.

274 *suo*, quod ei contigit in notissima illa mundi diuisione. Eo contentus fuit secundum Apollod. I, 7, 2. Pluuii, ὑετίου, ὀμβρίου, *Iouis* species etiam in nummis occurrit. vid. Spanhem. ad Aristoph. Nubb. v. 370. *frater caeruleus*, Neptunus. Omnia enim, quae in mari sunt, poëtis *caerulea* aut *viridia* dicuntur. In nomine *frater* latet caussa prompti auxilii. *auxiliaribus vndis*, tamquam auxiliaribus copiis. Praeclara idea.

Conuocat hic amnes. Qui postquam tecta tyranni
Intrauere sui, Non est hortamine longo
Nunc, ait, vtendum: vires effundite vestras.
Sic opus est; aperite domos, ac mole remotâ,
Fluminibus vestris totas immittite habenas.
Iusserat. Hi redeunt, ac fontibus ora relaxant,
Et defrenato voluuntur in aequora cursu.
Ipse tridente suo terram percussit: at illa
Intremuit, motuque sinus patefecit aquarum.
Exspatiata ruunt per apertos flumina campos;
Cumque satis arbusta simul, pecudesque, virosque,
Tectaque, cumque suis rapiunt penetralia sacris.
Si qua domus mansit, potuitque resistere tanto
Indeiecta malo; culmen tamen altior huius

(278. *vires dispergite* Cod. Leidens, quod tamen glossa esse videtur.) 280. Vnus *permittite*. Vtrumque recte. 284. *sinus* alter Erfurt. vnus Leidens. et unus Gruteri. Reliqui codd. *vias*. 289. Quidam *indisiecta*, quod probat Burm. ad XII, 109. vbi docet, *disiici*, quae euertantur et destruantur ita, vt in diuersas partes quasi iacta frangantur.

276 *Amnes* sunt Dii, qui habitant in fontibus amnium, qui fontes hanc ob caussam mox vocantur *domus*. Hos *convocat*, vt imperator praetorium, iisque breuiter, more imperatorum, mandata dat. Amnes autem, quoniam se in mare exonerant, *tyrannidi*, imperio, Neptuni subiecti sunt.

278 *Vires*, aquas. *moles*, terra et saxa, quibus coërcetur foramen, vnde fluuius exit. *immittere habenas* passim vsurpatur a poëtis, vbi durior eius vsus videri possit. Virg. Aen. V, 662 de igne, *furit immissis Vulcanus habenis*. Lucret. V, 785. arbores *immissis habenis* per auras crescunt. Est autem *immittere* i. q. admittere, laxare. Virg. Aen. I, 63. ventis *laxas habenas dare*. Idem tropus mox in *defrenato cursu*.

281 *Ora*, foramina fontium, *relaxant*, vt tanto maior vis aquarum prorumpere possit.

283 *Ipse*, vt αὐτὸς, de domino eorum, de quibus sermo, dicitur. *Tridens*, τρίαινα, insigne Neptuni et θαλαττοκρατίας, haud dubie propterea, quod mare tertiam regionem obtinet, etsi alii aliter. vid. Plutarch. de Isid. p. 581. Reisk. Tridente solet et potest Neptunus *percutere terram*, vnde κινητὴς γῆς, σεισίχθων, γαιόχος etc. dicitur. vid. Spanhem. ad Callim. h. Del. 30. 31. *sinus aquarum*, cauernas aquis repletas. Virg. G. IV, 364 vocat *speluncis lacus clausos*.

285 Locus adumbratus ex Virg. Aen. II, 496. *aggeribus ruptis quum spumeus amnis Exiit, oppositasque euicit gurgite moles, Fertur in arua furens cumulo, camposque per omnes Cum stabulis armenta trahit.* — *sacra*, simulacra Penatum, quorum sacraria erant *penetralia*. Vid. Cerda ad Virg. Aen. II, 295. et Heyne Exc. IX. *manere*, μένειν,

Vnda tegit, pressaeque labant sub gurgite turres.
Iamque mare et tellus nullum discrimen habebant.
Omnia pontus erant; deerant quoque litora ponto.
Occupat hic collem: cymbâ sedet alter aduncâ,
Et ducit remos illic, vbi nuper ararat.
Ille supra segetes, aut mersae culmina villae
Nauigat: hic summâ piscem deprendit in vlmo.
Figitur in viridi, si fors tulit, ancora prato:
Aut subiecta terunt curuae vineta carinae.
Et, modo quâ graciles gramen carpsere capellae,

290. *labant* pro *latent* restituit Heins. e Senec. N. Q. III, 27. 294. Gronov. Obs. I, 13. malebat *aratra*, sine caussa, quamuis ingeniose. 299. Burm. offendit ingrati soni repetitio, *graciles gramen*. Itaque pro *gramen* praefert *culmen*, quod vnus Regius habet. Capras enim in rupibus fere pasci, et sic maiorem esse oppositionis vim, vt phocae, quae in fundo maris esse soleant, nunc dicuntur, quae statum suum seruant immota. Liv. 21, 58. *turres*, arces regum beatorumque hominum altiores, aut aedificia in montibus exstructa. Tales turres, quales nos habemus, ignorauit prisca aetas.

292 *Omnia pontus erant.* Laudat Burm. Anthol. lib. II. cap. 40. p. 234. vbi de hoc diluuio, ὕδωρ ὅτε πάντ' ἐγένηθη. *deerant etc.* Haec verba vix ferri possunt; adeo languent post antecedentia. Sed in omni seq. loco accusanda est luxuries ingenii Ouidiani, propter nimiam longitudinem, propter minutias, quas sectatur, et quod nonnulla prope iocosa admixta sunt, quae abhorrent a tantae cladis descriptione. Vere Senec. N. Q. III, 27. vbi h. l. recenset: *Pro magnitudine rei dixit:* Omnia pontus *etc. nisi tantum impetum ingenii et materiae pueriles ineptias reduxisset*: Nat lupus *etc. Non est res satis sobria, lasciuire deuorato orbe terrarum.* Exspatiato *etc. Magnifice hoc, si non curauit, quid oues et lupi faciant. Natari autem in diluuio potest? etc.* Conf. Barth. Adv. LVIII. 10. Primas autem h. l. lineas Horat. I. od. 2, 6 — 12 duxit, qui et ipse iam antiquis Criticis displicuit. Porphyr. ad illum loc. *Leuiter,* inquit, *in re tam atroci et piscium et palumborum meminit.* Iisdem vitiis infra II. fab. 1 incendii descriptio laborat.

295 Iam incipit omne fere rei rusticae partes putide recensere. *summa etc.* ex Horat. d. l. *Piscium et summa genus haesit vlmo.* Ouid. ineptius etiam hoc expressit. *si fors tulit*, forte fortuna, graeca locutio. αἰ τύχοι. vid. Muret. Varr. lectt. XVI, 9. et Morus ad Longin. XIV. Sensus: Tam alta erat vnda, vt ancora eiecta vix figi posset, aut, *si fors tulit*, si forte figi potuit, figebatur in *prata.* Sine caussa Schirachium offendebat τὸ *viride.* Quamquam enim pratum aqua tectum non poterat cerni *viride*, lector tamen id cogitare potest; et si neges, vim h. l. ei inesse, putes ornatus caussa additum, vt sit ex eodem genere, ex quo *fului* leones, *graciles* capellae et alia. *terunt vineta* nil nisi nauigant supra vineta. Male Rodius: *jetzt haften an Weinbergen Kiele.*

299 In *graciles gramen* Burm. ingratus sonus offendit. Sed ita

Nunc ibi deformes ponunt sua corpora phocae.
Mirantur sub aquâ lucos, vrbesque, domosque
Nereïdes: siluasquè tenent delphines, et altis
Incursant ramis agitataque robora pulsant.
Nat lupus inter oues: fuluos vehit vnda leones:
Vnda vehit tigres: nec vires fulminis apro,
Crura nec ablato prosunt velocia ceruo.
Quaesitisque diu terris, vbi sidere detur,
In mare lassatis volucris vaga decidit alis.
Obruerat tumulos immensa licentia ponti,
Pulsabantque noui montana cacumina fluctus.

in culmine montis ponant sua corpora. 300. Bernegg. *pignora*, quod et ipsum placet Burm. sic enim dici foetus, et *ponere* esse verb. proprium de partu. 303. Medic. *annosa* pro, *agitata*, quod probat Burm. cum arbores frequentius agitari dicantur, quando vento concutiuntur, aut manu hominis. Sed hoc haud dubie nihili est. 307. *Sidere* Medic. reliqui, *sistere*. Illud recepit Heins. tum, pro *possit*, *detur* ex primo Medic. vno Palat. et Bonon.

innumera loca mutanda essent. V, 390 *humus humida*. X, 3. *voce vocatur*. XIII, 734. *aliquo quoque*. Cic. Mil. 25. *viri vires*. Senect. 21. *praeclara rara*. (Alii in his elegantiam quandam deprehendere sibi visi sunt, vt in illo Heroid. 1, 3. *Troia iacet*. v. Vulpius ad Tibull. I, 1, 7. p. 7 E.) — *carpere gramen*, vt Virg. G. III, 295 *carpere herbam*. *Phocae*, vituli aut boues marini. Vocantur *deformes*, et apud Virg. G. IV, 395. *turpes*, ob faciem foedam, quamquam nec odor eorum gratus est. vid. Homer. Od. δ, 442. *ponunt sua corpora*, recumbunt, vt X, 128. XIV, 427. alias *latus submittere*. *Nereides*, nymphae marinae, Nerei et Doridis filiae, de quibus vid. Hesiod. Theog. 240. sqq. *agitata* Burm. explicat, concussa vi aquarum. Male. Aqua enim stagnans non *agitat* arbores. Et quid hoc ad rem, delphinos pulsasse arbores iam ab aquis agitatas? Immo sensus, pulsant arbores sic, vt agitentur, magna vi pulsant. Vid. ad vs. 32. Noster VI, 248. *laniata pectora plangens*. plangens sic, ut laniarentur. X, 591. *refert oblata*, retro dat, vt offerantur. Liv. II, 5. *frumenti aceruos sedisse in vadis illitos limo*, ita vt illinerentur limo.

304 *Nat lupus* etc. quasi hoc mirum esset, lupum mortuum non deuorasse oues. Ineptus etiam sarcasmus est in illo, *non prosunt vires* et *crura*. *vires fulminis*, vires terribiles, quibus aper omnia vastat. Phaedr. I. fab. 21, 5. *fulminei dentes* apri. *Ablato* dupliciter capi potest; etenim *auferri* drr. et qui abripiuntur vi aquarum, et qui celeri se subtrahunt fuga, vt Sil. VI, 257. *ablato instantem eludere equo*, vbi v. Intt. *sidere*, *considere*, *insidere* pr. de auibus in terram se demittentibus. *vaga* poëtis drr. omnia, quae crebro mouentur. Ita et *vagus nauta*.

309 *immensa licentia ponti*, pontus, qui totum terrarum orbem occupauerat. *noua*, quae inusitate sunt in suo genere, *fluctus noui*, nunquam antea in cacuminibus montium visi. — *ie-*

Maxima pars vndâ rapitur: quibus vnda pepercit,
Illos longa domant inopi ieiunia victu.
Separat Aönios Actaeis Phocis ab aruis,
Terra ferax, dum terra fuit; sed tempore in illo
Pars maris, et latus subitarum campus aquarum.
Mons ibi verticibus petit arduus astra duobus,
Nomine Parnasus, superatque cacumine nubes.
Hic vbi Deucalion (nam cetera texerat aequor)
Cum consorte tori paruâ rate vectus adhaesit;

313. Delrius ad Senec. Herc. Fur. vs. 1161. legit, *Ionios Oetaeis.* vid. not. G. — Micyll. pro *aruis* malebat *agris*, vt ad vtrumque ad *Aönios* et *Achaeis* referri possit. Gierig etiam contra metrum correxerat: *Oetaeis ab iugis.* E. — 317. Sic lat. scribendum esse, non *Parnassus*, etsi Graeci Παρνασσὸς, monet Brouckh. ad Propert. II, 23, 13. (Dissentiunt tamen de huius vocis scriptura VV. DD. v. Passow. ad Pers. Sat. I. Perizon. ad Aelian. V. H. VIII, 11. Heins. ad Virg. ecl. X, 11. et ad Georg. II, 18. Drakenb. ad Liv. XL, 16, 1. Spanhem. ad Callim. Del. v. 93.)

iunia longa, fames, *domant*, absumunt, *inopi victu*, inopia victus, victu destitutos. *domare* interdum i. q. interficere, vs. 447. interdum minus est, IX, 74. H. I. de morte lenta.

313 *Actea arua*, Attica, olim *Acte* dicta. vid. Stephan. in Ἀκτή. *Aonia*, Boeotia, ab *Aoniis* sic dicta, qui ante Cadmi aduentum illam terram tenebant. vid. ad III, 8. Iam *separat — aruis* foret, Phocis interiecta est inter Boeotiam et Atticam; quod est falsissimum. Imo Boeotia separat Phocidem ab Attica. Confugiunt ergo rursus ad hypallagen. At quis talem hypallagen ferat! Quis non rideat poëtam, qui Batauos inter Westphalos, et Saxones inferiores collocet? Sine dubio ab Ouidii manu fluxit *Oetaeis ab aruis.* Nam Phocis sita est inter Oetam montem et Boeotiam. Etiam Ib. 349. pro *Oetaeo* quidam habent *Actaeo.* — *dum terra f.* Valent talia ad commiserationem faciendam. Cum iam vs. 291 s. lectoribus inculcasset, omnia pontum fuisse, idem non debebat nunc bis, et vs. 318 semel repeti.

317 *Parnasus*, mons Phocidis, *duobus verticibus* (vnde δικόρυφος, *biceps* et *biuertex* dicitur), quorum alter Apollini, alter Baccho sacer erat. Lucan. V, 72. Ob altitudinem, qua *superat nubes*, fere semper niue obsitus est. Schol. Apollon. ad II, 713. et Etymol. M. in Παρνασσὸς tradunt, quoniam ἡ λάρναξ, i. nauis Deucalionis parua, hic adhaeserit, inde montem dictum esse Λαρνασσὸς, vnde paullatim factum sit Παρν. Nugae! Nec audiendi sunt alii, qui Deucalionem deferunt, vel ad Aetnam, vt Hygin., vel cum Seruio ad Athon.

319 *consors tori*, ὁμολεκτρὶς, alibi etiam *socia tori* aut *thalami*. *Adhaerere* nunc omnino appellere, cum pr. de nauibus dicatur, quae ad scopulos aut in loca vadosa deferuntur, nec inde auelli possunt. Etiam Senec. N. Q. III, 27. de diluuio, *Editissimis quibusque adhaerebant reliquiae generis humani.* — *parua ratis* illa Graecis λάρναξ,

Corycidas Nymphas, et numina montis adorant,
Fatidicamque Themin, quae nunc oracla tenebat.
Non illo melior quisquam, nec amantior aequi
Vir fuit, aut illâ metuentior vlla Deorum.
Iuppiter vt liquidis stagnare paludibus orbem,
Et superesse videt de tot modo millibus vnum,
Et superesse videt de tot modo millibus vnam,
Innocuos ambos, cultores numinis ambos:
Nubila disiecit; nimbisque Aquilone remotis,
Et coelo terras ostendit, et aethera terris.

320. Vulg. *adorat.* vid. not. G. 321. *nunc* ex vno Cantabr. cod. recepit Burm. Malim tamen cum codd. *tunc.* E. 323. Vulg. *reuerentior.* 327. Burm. mauult bis, *ambo*, ne omnes voces h. us. in *s.* desinant. Et dixerunt Veteres in Accusat. *ambo, duo.* 328. Vnus Leid. *deducir*, quare Burm. mauult, *diducit*, vt opp. τῷ *conducit* vs. 572.

rude nauigium. *Corycides* aut *Coryciae* Nymphae, Plisti, Delphorum fluuii, filiae, Corycium in Parnaso antrum inhabitabant. Apollon. Rh. II, 713. Pausan. Phoc. p. 811. 877 s. Strabo lib. IX. γνωριμώτατον καὶ κάλλιστον τὸ Κωρύκιον Νυμφῶν ἄντρον. Ab hoc diuersum Corycium antrum in Cilicia. vid. Barnes. ad Eurip. Bacch. vs. 559. Has, et reliqua *numina*, quibus mons sacer, adorant. Notanda etiam h. l. est syntaxis, Deucalion cum coniuge *adhaesit*, et, *adorant*. Solet enim Noster pluralem ponere, vbi de duobus per praepositionem *cum* iunctis agit. v. Burm.

321 *Themis*, Aetheris et Telluris filia, iustitiae praeses, tum *oracla tenebat*, responsa dabat petentibus, oraculis praeerat, vnde *fatidica*, χρηστήριος dicitur. Apollod. lib. 1. p. 15. χρησμῳδούσης τότε Θέμιδος. Lucan. V, 81. *Cum regna Themis, tripodasque teneret.* — *nunc*, tempore Deucalionis. Loquuntur poëtae de rebus praeteritis, vt de praesentibus. Burm. Prima oraculo Delphico praeerat Tellus, postea Themis, tandem Apollo. Pausan. Phoc. p. 809. Schol. Eurip. ad Orest. vs. 163.

322 Recte mores eorum notati; hi enim ipsis caussa erant salutis. Iustitia et metus Deorum omnes virtutes complectuntur. Quae de singulis hic praedicantur, ea de ambobus intelligenda. Cf. vs. 327. A Luciano de Dea Syria, Deucalion laudatur ob εὐβουλίαν et εὐσέβειαν. *metuens Deorum* descriptio hominis religiosi. vid. Heins. qui copiose hanc locutionem illustrat. Infra V, 100. *aequi cultor, timidusque Deorum.* Liv. XXII. 3. *non moto Patrum majestatis, sed ne Deorum quidem satis metuens. Metus* saepe de religione, vid. Cerda ad Virg. Aen. VII, 60.

324 *stagnare*, stagnum, mare esse. Totus terrarum orbis tectus erat *paludibus*, aquis, et sic stagno aut mari similis erat. *stagnum* pro mari nouasse Virgilius Heynio videtur ad Aen. I, 125. ex λίμνη ap. Homer. *Et superesse* etc. Hoc melius, quam si vno tantum versu dixisset, duos tantum superfuisse. Ita enim clades vtrique sexui illata

Nec maris ira manet; positoque tricuspide telo
Mulcet aquas rector pelagi; supraque profundum
Exstantem, atque humeros innato murice tectum,
Caeruleum Tritona vocat, conchaeque sonaci
Inspirare iubet, fluctusque et flumina signo
Iam reuocare dato. Caua buccina sumitur illi
Tortilis, in latum quae turbine crescit ab imo;
Buccina, quae medio concepit vt aëra ponto,

333. Vulgo *sonanti*, vnus, *tonanti*; solent haec inter se permutari et confundi. vid. Barth. ad Claudian. Nupt. Honor. et Mar. vs. 133. Etiam Apuleius Metam. IV Tritoni tribuit *sonacem* concham.

fortius sentitur. Similis repetitio VIII, 628 s. Horat. I Sat. 6, 45 s. Ap. Apollod. et pauci alii seruantur in montibus. *Innocuus* i. q. antea *amans aequi*, iustus. Mox ingeniose *Et coelo — terris*.

330 Hic quoque Dei interventu res geritur et aquae, spectantur vt milites. *tricuspide telo*, tridente. Valer. Flac. I, 642 *trifida hasta*. Anthol. IV. cap. XI. Epigr. 64. τριβελὲς δόρυ. Apud Lycophr. vs. 96. terram percutit τριωνύχῳ δορί. *mulcet*, coërcet aquas. Virgil. Aen. I, 57. Aeolus *mollit animos* ventorum. Eidem Iupiter dedit *mulcere fluctus*, ib. vs. 66.

333 Receptui canit *Triton*, Neptuni filius et tubicen, qui buccinae loco *concham* habet, et quidem *tortilem*, *in latum* etc. h. e. quae ab imo acuta, paullatim fit latior, veluti se in gyrum torquendo. *turbo* enim, quidquid, coni instar, ab imo acutum, et in summo latius est. Tales conchae etiam hodie vocantur *Tritonshörner*, iisdem et olim Indi buccinarum loco vtebantur. vid. Müllerus ad Linnei Systema Nat. To. VI. p. 102. et 515. Ipse Triton ita natare solebat, vt inferior corporis pars, quae piscem referebat, sub aqua lateret, superior autem *supra profundum exstaret*. *Humeri* tecti erant *innato murice*. Cum *murex* genus conchae sit, cuius ex sanguine purpura conficeretur, nonnulli ex h. l. purpureum nobis Tritona finxerunt. Etiam Rode: *die Schultern in angebornen Purpur gehüllt*; quod repugnat descriptionibus reliquorum auctorum, qui eum satis deformem pingunt. vid. Virg. Aen. X, 209. vbi ei *hispida frons laterum tenus* tribuitur, i. interprete Heynio, ipse hispidus est a fronte vsque ad latera, s. medium corpus. Rectius igitur de conchis accipitur, quibus superior corporis pars obsita; qualis etiam in monumentis et gemmis apparet. Vid. Lipperti Dactyl. I, 64. 72. 76. Nostrum imitatus est Claudian. Nupt. Honor. v. 150. vbi ei tribuuntur *viuo squalentia murice terga*. Infra IV, 724. belluae marinae *terga cauis super obsita conchis*, qualia saepe cernuntur balaenarum terga. Pausan. Boeot. p. 754. narrat, veri Tritonis, quem ipse viderit, corpus horrescere tenui squama, φολίδι λεπτῇ. Sed loc. classic. vnde alii hauserunt, est ap. Apollon. IV, 1610 sqq.

335 *Caua tortilis*. Duo epitheta vni nomini addita, quod non magnopere probatur. *concepit aëra*, inflata est; quemadmodum vela *concipiunt* ventos, pennae auium auras. *vt*, quando,

Litora voce replet sub vtroque iacentia Phoebo.
Tum quoque, vt ora Dei madida rorantia barbâ
Contigit, et cecinit iussos inflata receptus,
Omnibus audita est telluris et aequoris vndis:
Et quibus est vndis audita, coërcuit omnes:
Iam mare litus habet: plenos capit alueus amnes:
Flumina subsidunt: colles exire videntur:
Surgit humus: crescunt loca decrescentibus vndis.
Postque diem longam nudata cacumina siluae
Ostendunt, limumque tenent in fronde relictum.
Redditus orbis erat. Quem postquam vidit inanem,
Et desolatas agere alta silentia terras,
Deucalion, lacrimis ita Pyrrham adfatur obortis:

338. Pro *iacentia* duo, *latentia*, vnde Burm. coni. *patentia*, quod bene dicatur de terris antea aqua tectis. Sed v. not. 343. Scepper. coni. *planos*, sed vid. not. 344. Heins. malebat *Flumina subsidunt*, contra Poëtae consilium. 348. *apertum* plurimi codd. sed *inanem* praetulerunt ob sequens *desolatas*.

Generaliter loquitur, nam seq. *Tum quoque*. Hoc non animaduertit ipse Burm. alioquin non commendasset lect. *patentia*. *voce*, sonitu. *Vox*, vt φωνὴ, omnia sonus. vid. Burm. De buccina etiam Virg. Aen. VII, 519. *sub vtroque* etc. litora orientalia et occidentalia.

339 *madida* etc. graphice additum, quorum barba rorabat. Vtrumque dicitur, *canere receptui*, et *receptum* aut *receptus*. *coercuit*, in suum locum redire coëgit.

343—47 Hic locus laudem meretur a breuitate, quae rei celeritatem bene exprimit. Ei etiam accommodata orationis forma, quae breuibus membris constat. *plenos capit* etc. Aquae ita decreuerant, vt aluei iam *plenos*, integros, fluuios ripis suis continere possent. Scepperi coniecturam, *planos*, recte improbat Burm. sed nec ipsius interpretatio h. l. conuenit: „redacta intra ripas flumina, tamen plena fuerunt, non exsiccata.“ *Flumina* omnino aquae. *videntur*, cernuntur. *Surgere* eleganter dtr. quae, subsidentibus iis, quibus adhuc tecta fuerant, conspici incipiunt. Vid. nos ad Plin. VI Ep. 16, 14. Bene etiam *crescunt*, plura et ampliora in conspectum prodeunt. Silius XV, 215 de eo, qui propius accedit ad vrbem, *admoto crescebant culmina gressu*. Contra ap. Claudian. 53, 189. *Totaque decrescit refugo Trinacria visu*. — *frondem* Rode non debebat de foliis capere; erant enim *nudata cacumina*, sed de ramis.

348 *Redditus*, restitutus erat in pristinam formam. Pomp. Mela I, 9, 32. *Nilus se sibi reddidit*, rursus alueum suum sequitur. *obortis*, prorumpentibus. *oboriri* enim dicuntur, quae prorumpunt, superueniunt.

O soror, o coniux, o femina sola superstes,
Quam commune mihi genus, et patruelis origo,
Deinde torus iunxit; nunc ipsa pericula iungunt:
Terrarum, quascunque vident occasus et ortus,
Nos duo turba sumus. Possedit cetera pontus.
Nunc quoque adhuc vitae non est fiducia nostrae
Certa satis: terrent etiamnum nubila mentem.
Quid tibi, si sine me fatis erepta fuisses,
Nunc animi, miseranda, foret? quo sola timorem
Ferre modo posses? quo consolante doleres?
Namque ego, crede mihi, si te modo pontus haberet,
Te sequerer, coniux: et me quoque pontus haberet.
O vtinam possim populos reparare paternis

(358. *Quis tibi nunc animus* multi codd. sed alterum tuetur Heins. *fatis exempta* cod. Berol., quod elegantius esse monet Bothe Vind. Ov. p. 6. 361. *si te quoque* plurimi codd. prob. H. Vossio in Bothii Vind. p. 169.) 363. Alii *formare*, *recreare*, *renouare*; quae Burm. omnia a glossatoribus nata existimat. (*possem* cod. Heidelb. Berol. et plurimi reliquorum, quod recte praefert Bothe p. 185. melius conuenit rei, quae fieri nequit (ἀδυνάτῳ). E.)

351 Adfectus horum hominum non poëta describit, sed, quod melius, Deucalionem in sinus coniugis effundentem fingit. Cum nihil acceptius sit homini hominum societate, primum iactura sui generis grauissime eius animum commouere debebat. Tum, si cui ex omni societate non nisi vnus supersit socius, is ei quasi Deus videbitur, praesertim si arctissimis ille sanguinis ei et amoris vinculis sit iunctus. Ex his et aliis quibusdam composita oratio. *Iapeti* filii fuere *Prometheus* et *Epimetheus*. Prometheo ex *Pandora* (quam Triclin. ad Pindar. Olymp. IX. facit Epimethei coniugem) natus est *Deucalion*. Epimethei filia fuit *Pyrrha*. Sic intell. quo sensu *sororis* vocab. h. l. capiendum sit. Ipse mox commentatur in haec nomina, quod tamen, in tanto quidem dolore, iusto argutius videtur. *Iungunt* non est, vt Ciofan. putabat, cariorem reddunt, sed, sociam faciunt. *Nos duo turba sumus.* Infra VIII, 636. *Tota domus duo sunt.* Propert. I. Eleg. 11, 23. *Tu mihi sola domus.* Expressit Nostrum Senec. Troad. 510. *Turba, quae sumus super, Tumulus, puer, captiua.* — *possedit*, deuorauit; vel potius obruit et adhuc obrutos tenet; vt saepe praeterita adhibentur.

358 In hoc et seq. vs. tenerrimus atque amantissimus sensus. *Quid animi*, bona locutio, vt docet Heins. quem animum habitura esses, quid sensura. *fatis*, diluuio fatali. *quo cons. doleres*, quis te dolentem consolatione erigeret? *Si te pontus h.* ex Virg. Aen. VI, 362. *nunc me fluctus habet.* Nempe locus *habet* eum, qui ibi mortuus iacet aut natat. Claudian. VIII, 93. *Hunc Alpes, hunc pontus habet.* Horat. I. Od. 28, 9.

363 Votum perquam aptum huic tali tempori, atque Prome-

Artibus; atque animas formatae infundere terrae!
Nunc genus in nobis restat mortale duobus,
(Sic visum Superis) hominumque exempla manemus.
Dixerat, et flebant. Placuit coeleste precari
Numen, et auxilium per sacras quaerere sortes.
Nulla mora est; adeunt pariter Cephisidas vndas,
Vt nondum liquidas, sic iam vada nota secantes.
Inde vbi libatos irrorauere liquores
Vestibus et capiti; flectunt vestigia sanctae

370. Vulgo *Et nondum – sed iam.* Verum *vt* praefert Thuan. *sic* vnus Medic. vnde lectionem nostram composuit Heins., quae etiam Caposerreo et Gronov. placuerat.

thei filio proprium. *infundere.* Virg. Aen. VI, 726. *infusa per artus Mens.* — *Sic visum Superis* gemitus sollemnis in rebus aduersis. *exempla,* copiae, vt vulgo dicimus.

367 *flebant.* Hoc vnum poterat Pyrrha mulier. Miseris vnicum perfugium. *coeleste numen.* Sed haec de Themidis oraculo consulto propria Nostro sunt. Apud Apollod. a Ioue Phyxio, cui sacra fecerant, lapides iacere iubentur. Similiter ap. Hygin. *per sacras sortes,* per oraculum. Oracula enim olim per *sortes,* ψήφους, θριάς, edebantur. Cic. Div. II, 55. Schol. Callim. ad h. Apoll. 45. *Cephisus* Lilaea profluens Phocidem et Boeotiam irrigat. Pausan. Phoc. p. 882. Ab Homero h. Apoll. 240. vocatur καλλιρέεθρος, ob aquam limpidam. Nunc autem *nondum liquidus,* limpidus, erat, multum adhuc limi secum ferebat, sed tamen *iam vada nota secabat,* alueum suum rursus sequebatur. *Vt — sic* amat Noster pro, *quidem — sed.* Cf. vs. 404. XIV, 509., *Vadum,* omnis locus, per quem aqua vadit, aut in quo aqua continetur, fons, puteus, fluuius, mare, aut, vt h. l. alueus. v. Gronov. Obs. I, 19. *secantes,* sequentes, quod Mss. quidam ex glossa habent. *secare viam,* τέμνειν ὁδὸν, ἀέρα, θάλασσαν, sollemnes poëtarum locutiones, metaphora ab aratro petita. *nota,* consueta. *nota* dicuntur, in quibus solet aliquis versari, currere etc. Infra III, 239. *nota iuga.* Horat. 1 od. 2, 10. *nota sedes* columbarum. Martial. IV, 415. *notis fugientia flumina ripis.* Caeterum ad hoc flumen olim erat Themidis oraculum. Plin. H. N. XXXI, 11. Hinc aqua Cephisi *fatidica.* Lucan. III, 175.

371 Non solum sacra facturi, (Liv. I, 45.) sed etiam templum ingressuri, (Hippocrat. de Morbo sacro c. 4. p. 329.) lustrare se, περιῤῥαίνεσθαι, solebant, ne impuri accederent ad Deos. Fieri autem haec lustratio solebat cum aliis rebus, tum aqua, quae *ros* et δρόσος (vid. Valken. ad Eurip. Hipp. p. 180.) dicebatur, inprimis aqua viua s. fluuiali (Virg. Aen. II, 719. IV, 635.) quia fontibus et fluuiis sanctitas quaedam inesse credebatur. Neque vero manus tantum lauabant, (Fast. IV, 778.) et *caput,* (infra VII, 189.) sed etiam *vestes.* (Homer. Od. δ, 759. et Tibul. II. 1, 13. *pura cum veste venite.*) *Libatos,*

Ad delubra Deae: quorum fastigia turpi
Squalebant musco; stabantque sine ignibus arae.
Vt templi tetigere gradus; procumbit vterque
Pronus humi, gelidoque pauens dedit oscula saxo.
Atque ita, Si precibus, dixerunt, numina iustis
Victa remollescunt, si flectitur ira Deorum;
Dic, Themi, quâ generis damnum reparabile nostri
Arte sit: et mersis fer opem, mitissima, rebus.
Mota Dea est; sortemque dedit: Discedite templo;
Et velate caput; cinctasque resoluite vestes:

374. Libri veteres constanter *Pallebant musco.* Sed alterum retinuit Heins. 382. Duo Heinsii et vnus Moreti *cinctasque recingite,* quod adblanditur Burm. vt ex more Ouidiano dictum. At non sic Ouid. verba repetit. Gebhard. I Crep. 2. malebat, *cunctas-*

manu leuiter haustos. Virgil. Aen. VI, 230 *rore leui spargens socios.* Rode: *sie kosten von seinem Wasser!*

373 Templis magnificentiae caussa addebantur *fastigia* et *gradus.* De *fastigiis* vid. ad II, 3. Exornari admodum solebant, sed nunc *squalebant musco.* Intelligitur autem *muscus marinus,* fucus, βρύον θαλάσσιον. vid. Brodaeus ad Theophr. Plant. p. 411. Senec. Hippol. 1044. tauri e mari prodeuntis pectus *musco tenaci viret. squalere,* omnino obductum esse. Virg. G. IV, 91. *maculae squalentes auro.* Sed Gesner. ad Quinctil. I, 2, 18 defendit *Pallebant,* quia *pallere* reconditiorem significationem habet, vt situm indicet, quem corpora contrahunt a quiete, humore admisso. Non male; praesertim cum tot Codd. auctoritas accedat. Atque *pallor* etiam plantis variis tribuitur. Virg. Ecl. III, 39. *edera pallens.* Cul. 142. *viridi pallore corymbos.* Et haec duo saepe confusa sunt. Virg. Aen. VIII, 197. *ora pallida tabo,* vbi vnus *squallida,* vt Noster II, 760 dixit *squalentia tabo.* Conf. Bothe ad h. l. p. 5. Iam cum templa plerumque in loco edito, κρηπίδωμα dicto, aedificarentur, quo melius conspici possent, *gradus* etiam iis addebantur, qui vel totum templum ambibant, vel ianuis solis adhaerebant, in iisque sedere plebs solebat. Vid. Winkelmanni Anmerkungen über die Baukunst der Alten p. 45. Deucalionis tamen tempore talia ornamenta nondum erant templis; et oraculum illud forte in antro sedem habebat.

377 *Atque ita* nunc esse vouentis formulam, contendit Burm. ad VII, 510. Fallitur. Potest hic quoque, vt vs. 228 accipi, quo facto, tum. *Si* etc. Talis conditio plerumque precibus praemittitur, vt 545. VII, 615. Virg. Aen. II, 689. In his *si* est, quoniam. *mersis rebus,* miseriae nostrae, forte cum respectu ad diluuium. Virg. Aen. XI, 335 *rebus succurrite fessis.* Tibul. II, 3, 21. *trepidis petere oracula rebus.* Noster I Trist. 4, 55. *rebus succurrite lapsis.*

382 Veteres cum rem sacram peragerent, *caput* totum, praeter os, *velamine* quodam, aut amictu operiebant, ne forte res mali ominis eos turbaret. Virg. Aen. III, 405 sqq. ibique Heyn. et

Ossaque post tergum magnae iactate parentis.
Obstupuere diu: rumpitque silentia voce
P rrha prior, iussisque Deae parere recusat:
Detque sibi veniam pauido rogat ore: pauetque
Laedere iactatis maternas ossibus vmbras.
Interea repetunt caecis obscura latebris
Verba datae sortis secum, inter seque volutant.
Inde Promethides placidis Epimethida dictis
Mulcet; et, Aut fallax, ait, est sollertia nobis,
Aut pia sunt, nullumque nefas oracula suadent.
Magna parens terra est: lapides in corpore terrae
Ossa reor dici: iacere hos post terga iubemur.
Coniugis augurio quamquam Titania mota est;

que recingite; *cunctas* enim in codd. quibusdam. 386. Gronov. cum Capoferreo suadebat *cauetque*, quia modo praecessit *pauido*. Mihi vero hoc non satis graue videtur pro re proposita; itaque malim aut cum Vossian. *timetque*, aut cum Arondel. *timido ore*, quod posterius et Heins. placebat; qui cor. *timido rogat ore, paventi*, quod probat H. Voss. l. c. p. 169. 388. Duo *obscuris caeca*. 392. Iac. a Cruce verba *pia - suadent* signis parentheseos includenda censet; quod et Lenzio placet. Mihi altera interpunctio melior videtur, ex qua Deucalion verbis *Aut fallax-suadent* Pyrrham attentam reddit, et pauoris nullam esse caussam monet; tum sententiam ipsam proponit. Hoc multo conuenientius est sermonibus hominum.

Ernesti Clav. Cic. in *velatus*. Iidemque *vestes cinctas resoluebant*, zona soluta, quia in sacris nihil religatum esse debebat.

383 Cf. oraculum Tarquiniis et Bruto datum, Liv. I, 56. vnde Nostrum hanc sortem sumsisse putat Muret. Varr. Lectt. X, 11. Male, quia Ouid. hoc oraculum non finxit, sed a Graecis traditum accepit. Sed melius est, quod idem ibidem monet, lapides etiam Tragicis dici γῆς ὀστέα.

385 *Pyrrha prior*, qua muliebrem religionem in primis tale oraculum offendere debebat. Deucalion contra mox *sollertia* insignior reperitur. Laedere cineres et ossa maiorum summum scelus. Phocylid. vs. 95 sqq. Horat. A. P. 471. *caecis, obscura latebris*, obscura ob ambiguitatem, quae non facile perspici poterant. Senec. Oedip. 92. *Sphinga caecis verba nectentem modis*. Cic. Div. II, 54. de auctore librorum Sibyllinorum, *adhibuit etiam latebram obscuritatis*. Alibi *ambages* de oraculis. Sed apud Safftium oraculum repetunt *in einer finstern Höhle*, et apud Rodium, *vnter ihrem finstern Obdache*. *Volutare*, vt *agitare*, de deliberante et cogitante. Virgil. Ecl. IX, 37.

391 *Mulcere*, animum addere, solatio erigere. Quae valent ad confirmandum animum, ea *placida* poëtis drr. *sollertia* cernitur in indagando vero. Lucret. V, 1355. *sollertius est multo genus omne virile*. Pontanus *nobis* male de vtroque capiebat.

390 *Augurium*, interpretatio

Spes tamen in dubio est; adeo coelestibus ambo
Diffidunt monitis. Sed quid tentare nocebit?
Discedunt, velantque caput, tunicasque recingunt;
Et iussos lapides sua post vestigia mittunt.
Saxa (quis hoc credat, nisi sit pro teste vetustas?)
Ponere duritiem coepere suumque rigorem,
Mollirique morâ, mollitaque ducere formam.
Mox, vbi creuerunt, naturaque mitior illis
Contigit, vt quaedam, sic non manifesta, videri
Forma potest hominis; sed vti de marmore coepto
Non exacta satis, rudibusque simillima signis.
Quae tamen ex illis aliquo pars humida succo,
Et terrena fuit, versa est in corporis vsum.
Quod solidum est, flectique nequit, mutatur in ossa:
Quod modo vena fuit, sub eodem nomine mansit,
Inque breui spatio, Superorum numine, saxa
Missa viri manibus faciem traxere virilem:

398. Heins. ex Florent. primo Palat. et aliis quatuor *Descendunt.* Ego vero reuocaui *discedunt;* etenim de industria poëta hic repetit ipsa Themidis verba vs. 381 s. G. — 412. Waddelus Animadv. Crit. p. 98, 99. cor. *in corporis udum*, quoniam etiam *ossa* et *venae* in corporis usum inseruiant. Sed non apta hoc loco vox *udum.* vide etiam notas. E. — *virilem* dedit Heins. ex vno suo et vno Mediol. pro *virorum.* *ibid. traxere*; Vnus Heins. *sumpsere.* Alii *cepere*: quae omnia eodem redeunt.

oraculi. Sic et ap. Cic. ad Div. VI, 6. *monitis*, oraculis. nam *monere* proprie de diuinationibus, vid. Heins. ad XIII, 216.

400 *Vetustas* grauis testis veteribus. Fast. IV, 203. Quinctil. Inst. XII, 4, 2. monet, poëtarum figmenta *vetustatis fide tuta* esse. Inde pendet omnis mythologia. Locus sequens loquacitatis vitio rursus laborat. Saxa ponunt duritiem, molliuntur, mollita ducunt formam, crescunt, fiunt mitiora, denuo accipiunt formam, sed obscuram tantum, nec adhuc manifestam, nec exactam etc. Remota illa loquacitate, comparatio cum *marmore coepta* probabilis est. *mora*, diuturnitate. vid. Freinshem. Ind. Flor. h. v. Mox vs. 421 sic est *morando. ducere formam*, vt *ducere colorem* et alia. *rudia signa* possunt esse nondum elaborata satis. Sed ne idem ter dicat, non male rudis antiquitatis signa intelliges.

408 *corpus* nunc caro, vt IV, 443. et *in corp. vsum*, in corpus. Sic VIII, 246. *serrae vsus.* Virg. G. II, 466. *vsus oliui.* Horat. III, od. 1, 42. *purpurarum vsus*, vbi Iani hoc comparat cum Graec. χρῆμα.

411 *numine*, vi et potentia. Idque efficacius, quam aliorum *munere. Faciem trahere.* Paullo ante *formam ducere* et 421 *faciem capere.* Ita autem *trahere figuram* III, 399. *ruborem* ibid.

Ossaque post tergum magnae iactate parentis.
Obstupuere diu: rumpitque silentia voce
Pyrrha prior, iussisque Deae parere recusat:
Detque sibi veniam pauido rogat ore: pauetque
Laedere iactatis maternas ossibus vmbras.
Interea repetunt caecis obscura latebris
Verba datae sortis secum, inter seque volutant.
Inde Promethides placidis Epimethida dictis
Mulcet; et, Aut fallax, ait, est sollertia nobis,
Aut pia sunt, nullumque nefas oracula suadent.
Magna parens terra est: lapides in corpore terrae
Ossa reor dici: iacere hos post terga iubemur.
Coniugis augurio quamquam Titania mota est;

que recingite; *cunctas* enim in codd. quibusdam. 386. Gronov. cum Capoferreo suadebat *cauetque*, quia modo praecessit *pauido*. Mihi vero hoc non satis graue videtur pro re proposita; itaque malim aut cum Vossian. *timetque*, aut cum Arondel. *timido ore*, quod posterius et Heins. placebat; qui cor. *timido rogat ore, paventi*, quod probat H. Voss. l. c. p. 169. 388. Duo *obscuris coeca*. 392. Iac. a Cruce verba *pia - suadent* signis parentheseos includenda censet; quod et Lenzio placet. Mihi altera interpunctio melior videtur, ex qua Deucalion verbis *Aut fallax-suadent* Pyrrham attentam reddit, et pauoris nullam esse caussam monet; tum sententiam ipsam proponit. Hoc multo conuenientius est sermonibus hominum.

Ernesti Clav. Cic. in *velatus*. Iidemque *vestes cinctas resoluebant*, zona soluta, quia in sacris nihil religatum esse debebat.

383 Cf. oraculum Tarquiniis et Bruto datum, Liv. I, 56. vnde Nostrum hanc sortem sumsisse putat Muret. Varr. Lectt. X, 11. Male, quia Ouid. hoc oraculum non finxit, sed a Graecis traditum accepit. Sed melius est, quod idem ibidem monet, lapides etiam Tragicis dici γῆς ὀστέα.

385 *Pyrrha prior*, qua muliebrem religionem in primis tale oraculum offendere debebat. Deucalion contra mox *sollertia* insignior reperitur. Laedere cineres et ossa maiorum summum scelus. Phocylid. vs. 95 sqq. Horat. A. P. 471. *caecis, obscura latebris*, obscura ob ambiguitatem, quae non facile perspici poterant. Senec. Oedip. 92. *Sphinga caecis verba nectentem modis*. Cic. Div. II, 54. de auctore librorum Sibyllinorum, *adhibuit etiam latebram obscuritatis*. Alibi *ambages* de oraculis. Sed apud Safftium oraculum repetunt *in einer finstern Höhle*, et apud Rodium, *unter ihrem finstern Obdache*. *Volutare*, vt *agitare*, de deliberante et cogitante. Virgil. Ecl. IX, 37.

391 *Mulcere*, animum addere, solatio erigere. Quae valent ad confirmandum animum, ea *placida* poëtis drr. *sollertia* cernitur in indagando vero. Lucret. V, 1355. *sollertius est multo genus omne virile*. Pontanus *nobis* male de vtroque capiebat.

395 *Augurium*, interpretatio

Spes tamen in dubio est; adeo coelestibus ambo
Diffidunt monitis. Sed quid tentare nocebit?
Discedunt, velantque caput, tunicasque recingunt;
Et iussos lapides sua post vestigia mittunt.
Saxa (quis hoc credat, nisi sit pro teste vetustas?)
Ponere duritiem coepere suumque rigorem,
Mollirique morâ, mollitaque ducere formam.
Mox, vbi creuerunt, naturaque mitior illis
Contigit, vt quaedam, sic non manifesta, videri
Forma potest hominis; sed vti de marmore coepto
Non exacta satis, rudibusque simillima signis.
Quae tamen ex illis aliquo pars humida succo,
Et terrena fuit, versa est in corporis vsum.
Quod solidum est, flectique nequit, mutatur in ossa:
Quod modo vena fuit, sub eodem nomine mansit,
Inque breui spatio, Superorum numine, saxa
Missa viri manibus faciem traxere virilem:

398. Heins. ex Florent. primo Palat. et aliis quatuor *Descendunt.* Ego vero reuocaui *discedunt;* etenim de industria poëta hic repetit ipsa Themidis verba vs. 381 s. G. — 412. Waddelus Animadv. Crit. p. 98, 99. cor. *in corporis udum*, quoniam etiam *ossa* et *venae* in corporis usum inseruiant. Sed non apta hoc loco vox *udum.* vide etiam notas. E. — *virilem* dedit Heins. ex vno suo et vno Mediol. pro *virorum.* *ibid.* *traxere*; Vnus Heins. *sumpsere.* Alii *cepere*: quae omnia eodem redeunt.

oraculi. Sic et ap. Cic. ad Div. VI, 6. *monitis*, oraculis. nam *monere* proprie de diuinationibus, vid. Heins. ad XIII, 216.

400 *Vetustas* grauis testis veteribus. Fast. IV, 203. Quinctil. Inst. XII, 4, 2. monet, poëtarum figmenta *vetustatis fide tuta* esse. Inde pendet omnis mythologia. Locus sequens loquacitatis vitio rursus laborat. Saxa ponunt duritiem, molliuntur, mollita ducunt formam, crescunt, fiunt mitiora, denuo accipiunt formam, sed obscuram tantum, nec adhuc manifestam, nec exactam etc. Remota illa loquacitate, comparatio cum *marmore coepta* probabilis est. *mora*, diuturnitate. vid. Freinshem. Ind. Flor. h. v. Mox vs. 421 sic est *morando.* *ducere formam*, vt *ducere colorem* et alia. *rudia signa* possunt esse nondum elaborata satis. Sed ne idem ter dicat, non male rudis antiquitatis signa intelliges.

408 *corpus* nunc caro, vt IV, 443. et *in corp. vsum*, in corpus. Sic VIII, 246. *serrae vsus.* Virg. G. II, 466. *vsus oliui.* Horat. III, od. 1, 42. *purpurarum vsus*, vbi Iani hoc comparat cum Graec. χρῆμα.

411 *numine*, vi et potentia. Idque efficacius, quam aliorum munere. *Faciem trahere.* Paullo ante *formam ducere* et 421 *faciem capere.* Ita autem *trahere figuram* III, 399. *ruborem* ibid.

Et de femineo reparata est femina iactu.
Inde genus durum sumus, experiensque laborum:
Et documenta damus, quâ simus origine nati.
Python. Cetera diuersis tellus animalia formis
Sponte suâ peperit; postquam vetus humor ab igne
Percaluit Solis, coenumque, vdaeque paludes
Intumuere aestu; fecundaque semina rerum,
Viuaci nutrita solo, ceu matris in aluo
Creuerunt, faciemque aliquam cepere morando.

418. Multi *Incaluit*. Medic. *praecaluit*. G.

482. *colorem* II, 236. *calorem* XI, 305.

414 *Inde genus durum*, habet a Virgil. G. I, 63. Si Graecos audimus, ipsum vocab. λαὸς a nomine λάας, lapis, fluxit. vid. Munker. ad Hygin. fab. 153. Hic lusus etymologicus originem huic fab. dedisse videtur, quam alii ex opinione illa ortam putant, priscos homines e saxis et arboribus natos. Homer. Od. τ, 163 vbi v. Clark. Virg. Aen. VIII, 315. *experiens laborum*, πολυτλήμων, qui multos labores suscipere et tolerare potest.

Fab. VI, 416—451 Humanum igitur genus e lapidibus restitutum erat; caetera animantia e limo, solis aestu calefacto, paullatim procreabantur, in quibus *Python*, serpens magna et terribilis, quam *Apollo* sagittis confecit, in eiusque rei memoriam ludos *Pythios* instituit. Cf. Homer. h. Apoll. vs. 300. Callimach. h. Apoll. 100. in Del. 91. Apollod. Biblioth. lib. I, 4, 1. Hygin. fab. 140. Fabulam iam Veteres varie interpretati sunt. Macrob. Saturn. 1, 17. censet, Apollinem in prima infantia bellnam confecisse. Alii. vt Ephorus apud Strab. lib. IX. putant, Pythonem fuisse tyrannum, χαλεπὸν ἄνδρα, ἐπικληθέντα δε Δράκοντα. Caeterum cum hoc Pythone Rufinum comparat Claudian. Praef. in Rufin.

416—437 De origine animalium e limo, in quo rursus sequitur sententiam eam, quae ab Aegyptiis ad Graecos peruenerat. vid. Diod. Sic. To. I. p. 11. His enim persuasum erat, in principio rerum omnia animantium genera sic, vt hic describitur, e limo prorepsisse; postea vero terram, cum induruisset, non amplius suffecisse gignendis maioribus animalibus. Habuisse autem eam olim hanc vim probabant inde, quod post inundationem Nili, ex limo calefacto gignatur incredibilis murium multitudo, de quibus cf. Macrob. Saturn. VII, 16. et Pomp. Mel. I, 9, 3. Etiam Aristot. H. A. V, 19. placet, nasci animalia ex aqua et solis calore, vento adiuuante. Talem procreationem describit Lucret. V, 793—815. quem loc. cum hoc nostro conferas. Neque mirum est, cupide Nostrum haec arripuisse, iisque immoratum esse, ad Pythonis originem expediendam, quem alii tantum terrigenam vocant.

Sponte sua, sine semine animali, nec intercedente opera Dei aut hominis alicuius. *diuersis animalia formis*, diuersa animalium genera, quorum discrimen *forma* maxime fit conspicuum. *vetus humor*, aqua ab eluuione in locis depressis relicta. *ab* causam exprimit, per quam fit aliquid vt mox 431. IV, 282 *satos* a

Sic vbi deseruit madidos septemfluus agros
Nilus, et antiquo sua flumina reddidit alueo,
Aetherioque recens exarsit sidere limus;
Plurima cultores versis animalia glebis
Inueniunt, et in his quaedam modo coepta, sub ipsum
Nascendi spatium; quaedam imperfecta, suisque
Trunca vident numeris: et eodem in corpore saepe
Altera pars viuit; rudis est pars altera tellus.
Quippe vbi temperiem sumsere humorque calorque;

422. Citat Lutatius ad Stat. Theb. IV, 705. 426. Pro *coepta* quidam codd. *nata*, prob. Raph. Regio. Capoferr., qui *coepta* et *imperfecta* eodem redire putabat, cor. *creta*, cuius glossema sit *nata*.

imbri. Intumuere, veluti mulieres gravidae. Eadem comparatio VII, 125 et Lucret. V, 805 sqq. *crescebant vteri terrae radicibus apti.* — *semina rerum*, prima animalium stamina. *viuax* h. l. quod vitam dat, *belebend.* Raro ita occurrit. Terra autem humore quodam lacti simili foetus illos alebat ex mente Lucret. d. l. Cf. Lactant. Inst. II, 11. *faciem aliquam*, formam expressam animalis cuiusdam. *Hominis faciem sumere* est VII, 125.

422 Nilus *septemfluus*, V, 187 *septemplex*, et Virg. Aen. VI, 801 *septemgeminus*. *antiquo*, quem ante inundationem sequebatur. vid. supra ad vs. 116. Pomp. Mela I, 9, 3. *vbi Nilus se sibi reddidit. Aetherium sidus*, sol in aethere suspensus. Eurip. Electr. 465. ἀστρων αἰθέριοι χοροί. *limus*, quem Nilus ex Aethiopia secum fert. vid. Seneca Nat. Quaest. IV, 2. et Vermischte Beyträge zur physical. Erdbeschr. Brandenburg 1773. p. 64—83. Disputant autem Intt. vnde pendeant verba *sub ipsum nasc. spat.* Referenda sunt ad verb. *inueniunt*; sic nulla difficultas. *suis trunca numeris*, quibus deest numerus earum partium, quae perfectum et absolutum animal efficiunt. Haec vbi adsunt, res est *omnibus numeris absoluta.* Etenim *numeri* sunt partes, quarum numerus requiritur, vt res aliqua perfecta sit. Ernesti Clav. Cic. h. v. Cf. infra VII, 126. Pomp. Mela d. l. *Per humentes campos quaedam nondum perfecta animalia, sed tum demum accipientia spiritum, et ex parte iam formata, ex parte adhuc terrena visuntur.* Lucret. V, 838. *Orba pedum partim, manuum viduata vicissim, Multa sine ore etiam* etc. Totum autem somnium inde est: Cum ranae in paludibus ouula deponere soleant, quae deinde calore et humore excluduntur, error inde natus est, ranas nasci ex limo (XV, 375.), idemque error mox traductus ad alia animalia.

430 Laudat hos versus et suo modo explicat Lactant. Inst. diu. II, 9, 15 sqq. Cum his duobus Aegyptiorum principiis comparare Valken. Diatrib. in Eurip. p. 54. iubet Anaxagorea de Aethere et Terra, quippe ex eodem fonte ducta. *Discordi concordia*

Concipiunt: et ab his oriuntur cuncta duobus:
Cumque sit ignis aquae pugnax; vapor humidus omnes
Res creat, et discors concordia foetibus apta est.
Ergo vbi diluuio tellus lutulenta recenti
Solibus aetheriis, altoque recanduit aestu;
Edidit innumeras species; partimque figuras
Retulit antiquas; partim noua monstra creauit.
Illa quidem nollet, sed te quoque, maxime Python,
Tum genuit: populisque nouis, incognita serpens,

432. Bothe p. 5 pro *humidus* cor. *uvidus*, quoniam statim antecesserit *humor*. Perperam. E. 435. Burm. ex vno Sprotii *almo* receperat, quia *almum* quodcunque alit et auget. Caeteri constanter *altoque*, quod nos (cum Wakef. ad Lucret. II, 119. T. I. p. 210.) reuocauimus, quia melius conuenit *solibus aetheriis*. 439. *incognita* habent Berneg. Neap. et decem alii. Caeteri, *incognite*. G. — Simili modo vs. 441 ex cod. Neapol. et Medic. sec. *hanc* pro *hunc* cum Fabro Agonist. II, 24 dederunt Intpp.; quamquam vulgata verbis *maxime Python* defendi possit. Pro *et* autem Bothe l. c. cor. *sed;* nisi *et* pro *et quidem* accipere malis. E.

mundum constare, multi philosophi et poëtae censuerunt. Cf. Horat. Epist. 1, 12, 19. Manil. 1, 141, vbi *discordia concors*. Empedocles, praeter quatuor elementa materialia, statuit duo operantia, *Φιλίαν* et *νεῖκος*, *concordiam* et *discordiam*. Diog. Laërt. in Emped. *temperiem sumere*, temperari. *ab his*, horum interuentu. *vapor* non est *der Dampf*, vt Rode vertit, sed calor, vt III, 152 et alibi. *foetibus*, animalibus procreandis.

435 *altus*, sole in alto coelo effectus. *Recanduit*. Vid. ad XII, 12. Plin. pan. 30. Aegyptus alto *puluere incanduit*, vbi v. Schwarz. *species* et *figuras*, animalia. vid. ad vs. 1. *retulit*, iterum creauit. *monstra*, *τέρατα*, dicuntur, vt omnes res inauditae et mirae, ita etiam ferae terribiles. Lucret. d. l. *Multaque tum Tellus etiam portenta creare conata est*. Etiam ap. Horat. I. od. 2, 6. *noua monstra*.

438 *nollet*. Nempe sine sua voluntate, elementis ita operantibus, hoc portentum pepererat. *Pythonem hunc* Homer. h. Apoll. vs. 302. vocat ζατρεφέα, μεγάλην, τέρας ἄγριον, Apollon. Rh. autem II, 706. δελφύνην πελώριον, quod Spanhem. in δελφίνην mutandum censet ex Tzetz. ad Lycophr. p. 43. Inde Apollo dictus creditur δελφίνιος. Femininum *incognita* praetulit Burm. quia Schol. Apollon. ad II, 706. tradit, hanc *dracaenam* dictam esse δελφύνην genere feminino. *de monte*, Parnasum montem tenebat, ibique vel oracula edebat, vel secundum Apollodor. oraculum custodiebat: nam dracones saepe custodes locorum erant. vid. ad III, 31. Et tripodes in nummis multi circumuoluti draconibus conspiciuntur, quia draco aptum ad auguria animal. vid. Spanhem. ad Callimachi h. Del. 91. *Tantum spatii*. Ap. Callim. vs. 93. Parnasum implicat nouem orbibus, et ap. Statium Theb. I, 565

Terror eras: tantum spatii de monte tenebas.
Hanc Deus arcitenens, et nunquam talibus armis
Ante, nisi in damis capreisque fugacibus, vsus,
Mille grauem telis, exhausta pene pharetrâ,
Perdidit, effuso per vulnera nigra veneno.
Neue operis famam possit delere vetustas,
Instituit sacros celebri certamine ludos,
Pythia, de domitae serpentis nomine dictos.
His iuuenum quicumque manu, pedibusue, rotâue
Vicerat, aesculeae capiebat frondis honorem.

443. Male Heins. et Zinzerling. praeferebant *graui*, quod Pontan. et Burm. improbarunt. 449. *aesculeae.* Quatuor *Herculeae*, quod probatur in libro l'histoire Critique de la République des Lettres tom. I. p. 159, sed improbat Cuper. v. Burm.

interfectus occupat spatium centum iugerum. *De monte* maluit, quàm *montis*, vt concursus duorum Genitiuorum vitaretur.

441 *Arcitenens*, Apollo τοξοφόρος, τοξότης, praeses sagittariorum et auctor artis sagittandi. vid. Macrob. VI, 5. Inter Latinos Naeuius primus hoc nomine vsus. *in damis*, in damas. Sed Apollo feras figens apud alios scriptores non occurrit. Quoniam *et ante numquam* molestum est, propterea Heyne ad Tibul. Obs. IV, 1, 39 suadet *non vmquam. grauem*, grauatam, onustam, plenam. vid. Freinshem. ad Flor. III, 5, 18. Et omnino *grauis*, qui gestat aliquid. XIV, 628. *iaculo grauis dextera. mille telis.* Statio V, 532 dicitur *arundineam centeno vulnere silvam* vexisse. *nigra*, vel quia serpentes ipsi poëtis *nigri* drr. vel quia inde nigrum venenum profluebat. Ita Virg. Aen. IX, 700 *atrum vulnus.*

445 Antiquissimis temporibus rerum memorabilium memoria ludis institutis seruari solebat. Hos ludos Diomedes primus instituisse in honorem Apollinis credebatur. vid. Pausan. Corinth. p. 186. Per breue tempus nono quoque anno celebrati, renouati sunt ab Amphictyonibus a. 3. Olymp. 48. et quarto quoque anno habiti. Pausan. Phoc. p. 813. Celebrabantur autem non procul ab vrbe Crissa, quae inde Pytho, postea Delphi dicta est. *sacri*, quoniam in honorem Dei celebrantur. *celebri certamine*, in quibus totius fere Graeciae confluxus. Hi ludi a *domito Pythone* Pythia dicebantur. Apud Clement. Alex. Coh. ad Graec. p. 41. vocantur πανήγυρις ὄφεως.

448 *manu*, pugilatu, πυγμῇ. et lucta, πάλῃ. *pedibus*, cursu, δρόμῳ. *rota*, quadrigis et bigis, adde *carminibus* et *instrumentis musicis.* vid. Pausan. p. 813. s. et adde Potteri Archaeol. graec. To. I. p. 985. s. edit. Ramb. Saltatione quadam Apollinis pugna cum Pythone, et instrumentis musicis huius sibilus exprimebatur. Strabo IX. p. 645. s. *Iuuenes*, athletae. *Pedum certamen* etiam XII, 304. *honor*, vt τιμὴ, praemium. Sed illa praemia perquam erant honorifica. *aesculea frons*, corona *aesculea. Aesculus* Ioui sacra, Plin. H. N. XII, 1, et, vt glan-

Nondum laurus erat; longoque decentia crine
Tempora cingebat de qualibet arbore Phoebus.
Daphne. Primus amor Phoebi Daphne Peneïa; quem non
Fors ignara dedit, sed saeua Cupidinis ira.
Delius hunc nuper, victà serpente superbus,

difera, antiquis hominibus memorabilis.

450 *Laurus*, qua postea coronabantur victores Pythici (Pindar. Pyth. od. 8, 28. Aelian. V. H. III, 1. p. 200.), *nondum* in rerum natura *erat*. Sic munit sibi viam ad sequentem fabulam. Aelian. V. H. d. l. narrat quidem, Apollinem, Pythone occiso, sumsisse coronam lauream, sed vid. Perizon. ad d. l. Nempe Apollo, Pythone occiso, fugit in Tempe, ibique nouem annos latuit. Tum vero expiatus rediit Delphos et oraculum occupauit. Interea Daphne mutatur in laurum, qua lustratus deinde est. — *Longo crine* insignis erat Apollo, vnde *Intonsus*, ἀκερσεκόμης, ἀκειρεκόμης, atque etiam in monumentis crinem promissum habet. *decentia*. Horat. I, od. 32, 12. *nigro crine decorus*.

FAB. VII, 452—567 Apollo amat Daphnen, nympham formosissimam; quae cum fugeret instantis eius amplexus, a patre, cuius opem implorabat, in laurum conuérsa est. Hinc laurum suam fecit Apollo arborem, eique dedit nomen δάφνη. Cf. Hygin. fab. 203. Fabulam inde natam putabant nonnulli, quod Apollo docuerit homines plantare laurum, vid. Euseb. Praeparat. Euang. II, 1. Potius videtur lusus poëticus esse. Poëtae enim, cum nomina quaedam puellis Nymphisue cum plantis communia essent, facile eo deduci potuerunt, vt illas in has mutatas fingerent, Daphnen in laurum (δάφνην), Myrrham in myrrham arborem etc. Ridiculus vero est Iac. a Cruce, qui per Apollinem Augustum, per Daphnen Liuiam intelligit, quae, tamquam laurus, sterilis fuerit. A Diodoro Epaita hanc fab. tractatam esse, narrauit Parthenius in Eroticis cp. 15. Noster, qui rebus amatoriis delectabatur, hic indulsit ingenio, multa petulanter scripsit, plura etiam haud dubie ipse inuenit. Traditum acceperat, Apollinem amantem non esse redamatum a Nympha. Id exornauit inuentione illa, quam 452—502 inuenimus, qua hic mythus triplici vinculo superiori adnectitur.

Amor duplici sensu; nam et amatam significat, et amorem, quem Cupido *dedit*, irritauit. *Peneïa*, Penei, Thessaliae fluuii, (de quo ad vs. 569,) filia. Alii vero, vt Schol. Homer. ad Il. α, 14. Daphnen faciunt Ladonis filiam, qui est Arcadiae fluuius, vid. ad vs. 701. Noster melius; Apollo enim, Pythone interfecto, in Tempe latuit, per quae *Peneus* labitur. *Fors ignara*, caeca, ignota, *ein blinder Zufall*. Et *fors dedit* formula solemnis de iis, quae casu, forte fortuna, eueniunt, vid. Heins. *saeua*, πικρή, refertur ad vlciscendi studium.

454 *superbus* proprie de victoribus. vid. Heyn. ad Virg. Aen. I, 21. Hunc ipsum Apollinem, victoria hac superbientem, Apollinis Vaticani statua referre creditur. Winkelmanni Hist. Art. p. 392. *adducto — neruo*, arcum tendentem. Sed haec et talia solent poëtae, tenuitatis vitandae caussa, ornate efferre. *Adduci* pr. dr. arcus,

Viderat adducto flectentem cornua neruo:
Quidque tibi, lasciue puer, cum fortibus armis?
Dixerat: ista decent humeros gestamina nostros;
Qui dare certa ferae, dare vulnera possumus hosti:
Qui modo, pestifero tot iugera ventre prementem,
Strauimus innumeris, tumidum Pythona, sagittis.
Tu face nescio quos esto contentus amores
Irritare tuâ: nec laudes adsere nostras.
Filius huic Veneris: Figat tuus omnia, Phoebe,
Te meus arcus, ait: quantoque animalia cedunt
Cuncta tibi, tanto minor est tua gloria nostrâ.
Dixit: et eliso percussis äëre pennis

(456. *Cum talibus armis* margo Gryphii et Bresmanni, forte e coniectura.) 462. Pro *irritare* plerique Viuiani et alii quidam *inflammare*. Heins. dubitat, vtrum verius. Immo *irritare* multo aptius consilio huius loci. (*Nec nostras adsere laudes* cod. Berol.)

cum tenditur. Quae sequitur oratio, attemperata est superbiae victoris; magnifice de se loquitur, contemtim de aemulo. *fortia arma*, grauia, quae non nisi a fortibus viris tractantur, vt arcus. Sed et Cupido est τοξευτὴρ, vt vocatur a Colutho vs. 29. Respexit autem hunc totum loc. Senec. Hippol. 277. sqq. *Iste lasciuus puer — tela quam certo moderatur arcu* etc.

457 *gestamen*, arcus, quatenus gestatur. Amat Noster substantiua in *amen* desinentia. *humeros nostros* plenius quam, *me*, quia arcus ex humeris suspenduntur. *nostros* dixit dignitatis caussa. ἴφθιμοι ὦμοι, fortes humeri, tribuuntur Apollini apud Hom. h. Apol. 7. Dat *certa vulnera* is, cuius sagitta nunquam aberrat a scopo. Sed et Cupido *certa tenera tela demittit manu*, Senec. Herc. Oet. vs. 540. et ex pusillis eius humeris pendet πανδαμάτειρα φαρέτρη; quod Apollo ipse mox et sentiet et fatebitur vs. 519. *tumidum*, scil. veneno. cf. III, 33. 1 Trist. II, 24.

461 Haec ita respondent superioribus, vt in singulis fere verbis sit oppositio. *Facibus* saepe armatus Cupido. Moschus Id. I, 23. βαιὰ λαμπὰς ἐοῖσα τὸν ἅλιον αὐτὸν ἀναίθει, *paruula fax Solem ipsum perurit*. *nescio quos*, contemtim. *irritare*, excitare. Et alibi occurrit, *irritare flammas, amores* etc. vid. Burm. *nec l. adsere n.* refertur ad *contentus esto*. *Laudes* vel insignia honorifica, vel ipsa gloria. Ad haec fidenter satis et breuiter puer maiorem sibi gloriam adserit.

466 Volatus celer describitur. *Elidere aëra* i. q. alibi *findere*, *secare* aëra. Proprie *percutitur* aër pennis, vt X, 159, sed h. l. alae *percutiuntur*, i. mouentur. *Arces* montium apud poëtas sunt vertices eorum. Senec. Oed. 227. *gemina Parnasi arx*. Graeci, ἄκρον Παρνάσσου et saepe τὰ ἄκρα τῶν ὀρῶν. Cupido autem, et vt se subtrahat Apollini, et vt ex alto eum feriat, petit Parnasum. E vertice montis etiam Apollo iaculatur VI, 217. Sequitur loc. classic. de telis Cu-

Impiger vmbrosâ Parnasi constitit arce:
Eque sagittiferâ promsit duo tela pharetrâ
Diuersorum operum. Fugat hoc, facit illud amorem.
Quod facit, auratum est, et cuspide fulget acutâ:
Quod fugat, obtusum est, et habet sub arundine plumbum.
Hoc Deus in Nympha Peneide fixit; at illo
Laesit Apollineas traiecta per ossa medullas.
Protinus alter amat; fugit altera nomen amantis,
Siluarum latebris, captiuarumque ferarum
Exuuiis gaudens, inuptaeque aemula Phoebes.
Vitta coërcebat positos sine lege capillos.
Multi illam petiere: illa auersata petentes,
Impatiens expersque viri, nemorum auia lustrat.

pidinis. *diuersorum operum*, quorum vis diuersa.

473 Vulnerat Cupido non modo *iecur*, quod sedes putabatur esse et domicilium amoris, sed etiam *medullas*, quia amor est ignis per ossa serpens. vid. II, 410. Virg. Aen. VIII, 388 s. Senec. Hipp. 282.

475 Venandi studium inter amoris remedia refertur Rem. Am. 199. Hinc Diana *innupta*; hinc puellae connubia auersantes venatui operam dabant. II, 412 sqq. Sed hoc, Daphne fit venatrix, poëtice elocutus est, h. e. signis venantium commemorandis. *siluarum latebrae*, ferarum latebrae in siluis. *gaudens*, τερπομένη, amans, aut ornata exuuiis. Virg. Aen. I, 275. Romulus *lupae tegmine laetus*. *Exuuiis* ferarum tegere humeros solebant Nymphae; Dianam comitantes. Apollon. Rh. IV, 1348. *Vitta coerceri* h. e. constringi solebant cultu simplici virginum comae, ne diffunderentur. vid. Turneb. Aduers. 23, 5. Dicebantur *vittae virgineae*, (Virg. Aen. II, 168) a quibus diuersae matronales. *positos sine lege*, incompositos, non cincinnatos. *sine lege*, ἄτακτα, ἀκόσμως. Anacr. od. 29, 7. Claudian. 35, 14.) *libertatem comarum* vocat, quam Diana *iniecta tantum corona frenet*. Eam libertatem illustrat Spanhem. ad Callim. p. 660. *ponere* et *componere* proprie de ornatu capillorum.

479 *Impatiens viri*, reformidans consuetudinem viri, neque nubens. Fast. VI, 288. Cum duae nupsissent, *De tribus impatiens restitit vna viri*. *Expertes virûm puellae* etiam ap. Horat. III, od. 14, 11 ex emendat. Cuningh. Inde autem laurus quoque *casta* dr. a Tibul. III, 4, 23. *nemorum auia* pro, *nemora auia*, forma loquendi graeca, quam non solum poëtae latini, sed etiam prosaici scriptores imitati sunt. Iustin. 41, 1, 11. *vt non immensa tantum ac profunda camporum, verum etiam praerupta collium, montiumque ardua occupauerint*, vbi vid. Gronov. et Bueneman. ad Lactant. Inst. diu. VII, 3, 25. E poëtis exempla congessit Heins. ad h. l. *auia* autem sunt remota et deserta, qualia amant securitatis causa ferae.

Nec quid Hymen, quid Amor, quid sint connubia, curat.
Saepe pater dixit: Generum mihi, filia, debes.
Saepe pater dixit: Debes mihi, nata, nepotes.
Illa, velut crimen, taedas exosa iugales,
Pulchra verecundo suffunditur ora rubore;
Inque patris blandis haerens ceruice lacertis,
Da mihi perpetuà, genitor carissime, dixit,
Virginitate frui: dedit hoc pater ante Dianae.
Ille quidem obsequitur: sed te decor iste, quod optas,
Esse vetat; votoque tuo tua forma repugnat.
Phoebus amat; visaeque cupit connubia Daphnes:
Quaeque cupit, sperat: suaque illum oracula fallunt.
Vtque leues stipulae demtis adolentur aristis;

484. Vulgo *suffundens*, quod Burm. mouet multis exemplis defendi. Recte; sed non credibile est, auctorem h. l. tot participia cumulasse. 485. Cod. Patricii Iunii *pendens cernice*. Aeque bene. (492. *abolebunt* praefert Wakef. ad Lucret. V, 798. T. III, p. 156, quia *adolere* sit crescere, augere. Sed vid. notas.)

481—86. Multum venustatis et ἤθους in hoc patris cum filia colloquio. Sine suauitate hac res eadem vs. 659. *suffundi* pr. de rubore ora notante. *Haerere*, vt *pendere*, de amplexibus.

486 Ipsa haec sunt verba Dianae ad Iouem apud Callim. h. Dian. 6. Δός μοι παρθενίην αἰώνιον, ἄππα, φυλάσσειν. *Da mihi* sollemne in precationibus. VIII, 351. Horat. I. Ep. 16, 61. *Da mihi fallere, da iustum sanctumque videri.* — Mox adspergit poëta aliquid, vnde lector exitum rei diuinare possit. Facit hoc Noster saepe cum aliis, praeeunte Homero, v. c. Il. β. 36—40. *decor*, pulchritudo, sed illud significantius est; exprimit enim simul gratiam quandam, vnde etiam Veneri et Gratiis *decor* tribuitur. Mox v. 627. nympha *decens*.

490 *Connubia*, concubitus, vt XI, 226. Ita *coniugium* XIV, 298. Virg. Aen. III, 475. et γάμος. Vid. Schrader. ad Musaeum p. 123 s. Similiter vs. 657 *coniux* de concubina, et *vxor* Horat. III od. 27, 73. Male Rode: *begehrt dich zur Gattinn.* *sua oracula*, quae tamen habebantur certissima. Eurip. Electr. vs. 399. Terent. Andr. IV, 2, 15. Vnde *certus Apollo* Horat. I od. 7, 28. Sed amor excoecat, vt hominem, ita et Apollinem.

492 Eadem similitudine amoris vehementia illustratur VI, 456. *aristae* olim cum exigua tantum calami parte *demi*, resecari, detonderi, solebant a messoribus, *stipulae* autem adoleri solebant ab agricolis, vt vitia agri excoquerentur. Virg. G. I, 85 sqq. Lucret. V, 1246. 7. *leuis* sollenne epitheton stipularum. *ado-*

Vt facibus sepes ardent, quas forte viator
Vel nimis admouit, vel iam sub luce reliquit;
Sic Deus in flammas abiit: sic pectore toto
Vritur, et sterilem sperando nutrit amorem.
Spectat inornatos collo pendere capillos;
Et, Quid? si comantur, ait. Videt igne micantes,
Sideribus similes, oculos. Videt oscula; quae non
Est vidisse satis. Laudat digitosque, manusque,
Brachiaque, et nudos mediâ plus parte lacertos.
Si qua latent, meliora putat. Fugit ocior aurâ
Illa leui: neque ad haec reuocantis verba resistit;

493. *forte.* Heins. suadet *nocte*, vt τῷ *sub luce* respondeat. Approbat Burm. 498. sq. Schepper. leg. *igne micare.* Francius, *Videt igne micante Sideribus similes oculos.* Heins. coni. *sideribus similesque.* Burm. placet, quod in vno Leid. est, *sideribusque oculos similes.*

lere non tantum in sacris locum habet, vt Heins. putat, sed interdum, quanquam paullo rarius, omnino est cremare. vid. Heyn. ad Virg. Aen. 1, 704. *Abolentur*, quod cum eodem Heinsio praefert Burm. hic nullo modo ferri potest, quia similitudinis huius ratio aperte flagitat verbum, cui vis *vrendi* insit.

493 Veteres iter saepenumero faciebant noctu; ne igitur a via aberrarent, vtebantur facibus peculiaribus e ligno querno, γάβρια Graece dictis, quas viatores vel negligentes (quod indicat h. l. τὸ *forte*) vel petulantes interdum admonebant sepibus, aut etiam ardentes sub luce abiiciebant, vnde saepe incendia. Cf. Fast. IV, 167. et vid. Casaub. ad Sueton. Caes. 31.

496 *sterilis amor* eleganter, cui non respondetur, qui non gignit alium. Qui in amore tam infelix est, Graecis ἀναφρόδιτος, Latinis *inuenustus* (Terent. Andr. I, 5, 10) dicitur.

498 *Quid? si com.* suauiter! Oculi *igne micantes* in praecipua parte pulchritudinis. Anacr. od. 28, 18. vbi oculi ἀληθῶς ἀπὸ πυρός. Et tales oculi cum *sideribus* comparari solent. Amorr. III, 3, 9.

501 Nymphae Dianam comitantes manus et brachia ad humeros vsque *nuda* habebant. Philostrat. Icon. p. 868. Et sic Dianae etiam effigies expressa cernitur in monumentis. vid. Sponii Miscell. p. 312.

502 Quinctil. Inst. Orat. VIII, 3, 47. vbi monet, etiam sensum bonum interdum peruerti ab impuris hominibus, exempli loco haec ipsa verba laudat, et pro *si qua* habet *quaeque*. Sed illud elegantius. Vid. ad Plin. I. Ep. 1. Noster Amorr. III, 2, 35. *Suspicor ex istis et caetera posse placere, Quae bene sub tenui condita veste latent.* — *ad haec*, his auditis. III, 245. sic et *sub* IV, 522.

503 Seq. oratione probat poeta, quod II, 846. monet, non bene conuenire, nec vna in sede morari maiestatem et amorem. Dum enim insano amore incitati iuuenis mores notat, ridendum tradit sapientiae Deum, qui antea contemtim de Cupidinis telis et amore locutus erat. Itaque neq

Nympha, precor, Penêi, mane: non insequor hostis.
Nympha, mane. Sic agna lupum, sic cerua leonem,
Sic aquilam pennâ fugiunt trepidante columbae;
Hostes quaeque suos. Amor est mihi caussa sequendi.
Me miserum! ne prona cadas, indignaue laedi
Crura secent sentes; et sim tibi caussa doloris.
Aspera, quâ properas, loca sunt. Moderatius, oro,
Curre, fugamque inhibe; moderatius insequar ipse.
Cui placeas, inquire tamen. Non incola montis,
Non ego sum pastor: non hîc armenta, gregesue
Horridus obseruo. Nescis, temeraria, nescis
Quem fugias: ideoque fugis. Mihi Delphica tellus,

504. *Penei* pro *Peneia*, quod plurimi. Vide de illa forma Heins. ad h. l. et Bentl. ad Horat. I Od. 26, 9. 509. *secent* pro *notent* Ciofan. ex duobus protulit. Habuerunt et decem ex melioribus, quos Heins. contulit, vnde ille recepit. (Sed *notent* produbitat eum vs. 533 cum cane leporem persequente comparare. Sed etiam Homerus multa Diis indigna finxit, vt Il. α, 540 sqq. vs. 586 sqq. Id multo magis in hoc Metamorphoseon opere excusari debet. Ingenium quidem Ouidii in his quoque agnosces. Commode etiam multa ex mythologia, quae ad Apollinem pertinent, admiscuit. — *Sic agna* etc. Expressisse videtur Horat. 1. od. 23, 9. *Atqui non ego te, tigris vt aspera, Gaetulusue leo, frangere persequor.* — *pennae*, alae, eleganter dicuntur *trepidare*, cum prae metu celeriter mouentur. Cf. V, 605. VII, 382. Florus III, 10, 17 *trepidantia* adeo *carpenta* dixit. Exquisitius Virg. Aen. V, 505. *timuit pennis ales.* — *proni* cadunt currentes, *supini*, qui interficiuntur. *indigna laedi*, quae non merentur laedi. Plerumque *indignum* absolute ponit Noster, suppresso verbo, vt 631. Vid. Corte ad Sallust. Cat. 51, 27. Horat. I od. 17, 28. *scindat immeritam vestem.* — *secent.* Virg. Ecl. X, 49. *tibi ne teneras glacies secet aspera plantas.* Ita *secare* et G. III, 444. Sed et *notent*, quod h. l. nonnulli habent, defendi potest ex Tibul. IV, 3, 10. *hamatis crura notare rubis*, vbi v. Heyne.

512 *tamen*, precantis est, tandem, quaeso. Iam incipit, more procorum, dignitatem suam et virtutes iactare. Cf. vs. 595. IX. init. Et habemus hic locum class. de artibus Apollinis. Eas vero ornate circumlocutus est. Pastores introducuntur *horridi* et *squalidi*, αὐχμηροί, αὐχμήεντες, vt Pan. apud Hom. h. Pan. 6. neque id alias in vitium vertitur, sed opp. vnguento nitidis. *Sordida rura* dixit Virg. Ecl. II, 28. *obseruo*, custodio.

515 *Claros*, oppidum Ioniae, iuxta Colophonem, Apollinis templo et oraculo nobilissimum. vid. Strabo XIV. p. 442. Pausan. VII. p. 405. Inde Apollo *Clarius*,

Et Claros, et Tenedos, Pataraeaque regia seruit;
Iuppiter est genitor. Per me, quod eritque fuitque,
Estque, patet: per me concordant carmina neruis.
Certa quidem nostra est: nostrâ tamen vna sagittâ
Certior, in vacuo quae vulnera pectore fecit.
Inuentum medicina meum est, Opiferque per orbem
Dicor; et herbarum subiecta potentia nobis.
Hei mihi, quod nullis amor est medicabilis herbis:
Nec prosunt domino, quae prosunt omnibus, artes!

hat Bothe p. 5, ne versus quinquies illato s sibilet et similiter incipientia verba *secant sentes* offendant.)

cuius effigies in nummis conspicitur apud Patinum Numism. Imp. p. 400. *Tenedos*, insula maris Aegaei, agro Troiano vicina, vbi templum Apollinis Sminthei ditissimum. Strabo VII. Cf. Virgil. Aen. II, 21. *Patara*, vrbs Lyciae, in qua Apollo hiemem transigebat, et per sex menses hibernos responsa dabat, Herodot. I, 182. Serv. ad Virg. Aen. IV, 143. Hinc Apollo *Patareus* Horat. 3, od. 4, 64. *seruit*, colit sacris faciendis et oraculis consulendis.

517 Artes, quarum ἔφορος erat, vt loquitur Schol. ined. Homer. apud Valken. de Cod. Hom. p. 94. *τοξικὴ, ἰατρικὴ, μουσικὴ, μαντική*. vid. Callim. h. Apol. 42 sqq. Virgil. Aen. XII, 393. Et apud Lucian. in ψηφισμ. p. 716. Indignantur Dii, quod hic vnus tot artes exerceat. — *per me, quod eritque* etc. Vates sum longe certissimus. Expressit autem Homer. Il. α. 70, vbi Calchas scire dicitur, *τά τ' ἐόντα, τά τ' ἐσσόμενα, πρό τ' ἐόντα*, quem locum etiam transtulit Virg. G. IV, 392. Vaticinandi artem edoctus erat Apollo a Ioue, cuius vates etiam dicebatur, praeeratque oraculis.

518 Musica excello et instrumentali et vocali. Musica ars apud Veteres in summo honore erat, ita vt inuentio praestantissimorum instrumentorum ad Deos referretur. Plutarch. de Musica p. 1136. Apollinis instrumenta erant *cithara*, quam ipse inuenit, (Bion. Id. 3, 8.) et quam cum cantu pulsat, et *lyra*, quam accepit a Mercurio. Homer. h. in Merc. *nerui*, *νευρά*, fides. Concentum vocis et fidium varie expressit. Cf. V, 340. XI, 5.

519 *Certa sagitta*, ineuitabilis: vnde *metuendus certa Phoebus sagitta*. Horat. 1. od. 12, 22. Sic et *certus arcus*, *certa manus* tribuitur peritis iaculatoribus. Contra *incerta securis* Virg. Aen. II, 224. — *tamen vna* etc. vid. ad vs. 456. et 458. Cf. Anacr. od. 45, vbi Mars sentit vim horum telorum. *vacuo*, scil. ab amore; Daphne enim primus eius amor, vs. 452.

521 *Inuentum* etc. Cf. Callim. d. l. *Opifer*, *σωτὴρ*, *ἰατρός*, *παίων*. vid. Valken. ad Eurip. Hipp. vs. 1372. Primi autem medici erant chirurgi, omnisque eorum scientia erat, nosse vim herbarum. Celsus praef. Itaque addit, *et herbarum* etc. *potentia*, vis, efficacia. Virgil. Aen. XII, 396. *scire potestates herbarum*. et VII, 19. *potentes herbae*. *Fortes herbae* infra XV, 534. *quod nullis* etc. Eadem sententia Heroidd.

Plura locuturum timido Peneïa cursu
Fugit; cumque ipso verba imperfecta reliquit:
Tum quoque visa decens. Nudabant corpora venti,
Obuiaque aduersas vibrabant flamina vestes;
Et leuis impexos retro dabat aura capillos:
Auctaque forma fugâ est. Sed enim non sustinet vltra
Perdere blanditias iuuenis Deus: vtque mouebat
Ipse Amor, admisso sequitur vestigia passu.
Vt canis in vacuo leporem cum Gallicus aruo
Vidit; et hic praedam pedibus petit, ille salutem:

525. Vulgo *rapido cursu.* Alterum plerique Vett. tuentur. Etiam IV, 100. *timido pede fugit.* 528. Palat. *sinuabant*, quod Burm. elegantius iudicat. Ita sane II, 875. sed poëta potuit eandem rem variare. Eidem etiam, vt magis poëticum, e Regio placebat *aduersam vestem.* (529. Voss. in Both. Vind. p. 169 ex plurimis codd. mauult *impulsos* pro *impexos.* 530. Bothe p. 5 e cod. Berol. et Heidelb. praefert *Aucta fugâ forma est*, ne in verbo grauiore et in a longum exeunte sit elisio.) 532. Burm. non spernit ex vno Heins. *sequitur per deuia.*

V, 149. Effinxit autem Tibul. II, 3, 13, 14. de Apolline amante: *Nec potuit curas sanare salubrius herbis. Quidquid erat medicae, vicerat, artis, amor.* Propert. II, 1, 59. — *dominus* artis, qui eam exercet. XIII, 138. Similiter fere κοίρανος τέχνης Anacr. Od. 28, 3.

525 *Timido cursu* aut *pede fugit*, qui prae metu celeriter currit; metus enim dat celeritatem. Sic *et ipsum* post se relinquit, et *verba imperfecta*, orationem eius nondum absolutam.

527 Magna laus, si quem omnia decent. VIII, 25. X, 590. Sequitur aliud exemplum phantasiae Ouidianae. Venantes veste breui supra genu succinctae erant. Virg. Aen. 1, 320. vid. Spanhem. ad Callim. h. Dian. 11, 212. Hanc venti *vibrabant*; quo verbo exquisito pinguntur varii motus vestis, cum nunc sursum agitaretur, nunc expanderetur, nunc retro flueret. Pari venustate II, 875. *tremulae sinuantur flamine vestes.* Cf. et XI, 470. Fast. III, 585. Verba *obuia* et *aduersas* plenitudinis caussa non male addita; sed minus probanda cumulatio verborum *venti*, *flamina*, *aura*.

530 *sed enim*, at vero. *Iuuenis.* Apollo enim ἀεὶ νέος, et sic etiam in monumentis antiquis repraesentatur. Schol. Stat. 1 Theb. 694. caussam reddit hanc, *quod ipse sit sol. Sol autem ignis est, qui nunquam senescit.* Caeterum in hoc nomine inest h. l. caussa furoris, quo insequitur nympham. *mouebat*, incitabat. *non sustinere* eleganter dicimur, ad quae perficienda non satis vel animi vel voluntatis habemus. *admisso*, celeri. Proprie equus dicitur *admitti*, cum frenis laxatis incitatur ad cursum.

533 Sequitur locus a phantasia singularis, et longe praestantissimus, cuius tamen laus non debetur ingenio Ouidiano, nam totus expressus est e Virgil. Aen. XII, 749 seqq. quemadmodum

Alter inhaesuro similis, iam iamque tenere
Sperat, et extento stringit vestigia rostro:
Alter in ambiguo est, an sit deprensus, et ipsis
Morsibus eripitur, tangentiaque ora relinquit:
Sic Deus, et virgo est: hic spe celer, illa timore.
Qui tamen insequitur, pennis adiutus Amoris
Ocior est, requiemque negat, tergoque fugaci
Imminet, et crinem sparsum ceruicibus adflat.
Viribus absumtis expalluit illa: citaeque
Victa labore fugae, spectans Peneïdas vndas,
Fer, pater, inquit, opem; si flumina numen habetis
Quâ nimium placui, tellus, aut hisce, vel istam,
Quae facit, vt laedar, mutando perde figuram.

541. Elegantior Burm. videtur lect. Medic. *Ocior it.* Heins. ex Langerm. a m. pr. dedit *fugaci* pro *fugacis*. Bene. (Sed *fugacis* tuetur Bothe p. 5, quia etiam ad *ceruicibus* referendum sit.) 546. 47. Duo Codd. quibus accedit Berol., hos duos versus praeponunt superiori. Veterrimus Palat. priorem non agnoscit, vnus Gronov. neutrum habet. Heinsio aut tollendi ambo videbantur, aut ordine inuerso legendi: *Quae facis, vt laedar, Tellus, aut hisce, vel istam, Qua nimium placui, mutando* etc. Burm. suadet, vel *Ah nimium placui!* vel *Cur nimium p.* Denique *vt laedar* mutari vult in *vt lauder*, quia et alibi *laudata forma*: et in quatuor Mss. e glossa esse *vt placeam.* Sed ita bis idem dixisset, nec exhausisset vim calamitatis suae. (Spurios etiam habet hos versus Schrader Emendatt. c. 10; quamuis defenderit Withof. Prae-

Virgil. sua ex Apollon. Rh. II, 278. petiit. cf. Statius Theb. V, 165 sqq. et Noster infra VII, 781—86. qui loc. vtique cum hoc conferendus. *Gallici* canes, *vertagi* dicti, a celeritate inprimis laudabantur, et leporibus potissimum persequendis adhibebantur. Gratian. Cyneg. vs. 203. *in vacuo*, vbi nil moratur eius celeritatem. *Vacua* loca, non consita arbustis. IV, 713. Supra 285. *aperti campi.* Virg. Aen. XII, 771 *purus campus*, καθαρὸς χῶρος. *Inhaerere*, scil. dentibus, de mordente. Virgil. d. l. *Viuidus Vmber Haeret hians, iam iamque tenet, similisque tenenti Increpuit malis, morsuque elusus inani est.* — De decoro nostri loci dictum ad vs. 503.

540 Quem amor celerem reddit, eum Cupido veluti adiuuat alis suis. *Imminere tergo* etiam ap. historicos, sed h. l. cum vi de eo, qui prono corpore ita instat, vt fugientis tergum halitu suo adflet. Similiter V, 616. Expressit Claudian. 28, 279. *flatu propiore sequentum premor.*

545 *numen*, vim et potestatem diuinam: neque *si* nunc dubitantis est, sed saepe ponitur pro, *cum* vid. Brouckh. ad Propert. III. Eleg. 23, 19. Infra XIII, 49. *si Di sunt*, et supra 377.

546 s. Seidenstnecker *Qua* explicat *in qua*, *super qua*, atque haec *qua nimium placui* addita putat, quia Peneia iam deuorari a terra cupit. Etiam Rode: *wo ich allzuviel gefiel.* Melius ta-

Vix prece finitâ, torpor grauis adligat artus;
Mollia cinguntur tenui praecordia libro;
In frondem crines, in ramos brachia crescunt;
Pes, modo tam velox, pigris radicibus haeret;
Ora cacumen obit; remanet nitor vnus in illâ.
Hanc quoque Phoebus amat: positâque in stipite dextrâ
Sentit adhuc trepidare nouo sub cortice pectus.
Complexusque suis ramos, vt membra, lacertis,
Oscula dat ligno: refugit tamen oscula lignum.
Cui Deus, At coniux quoniam mea non potes esse;

met. Cruc. Crit. p. 112 et 113; qui cor. *Cui nimium placui, vel eum tu siste, vel* etc. Cod. Heidelb. cum aliis *tellus, ait,* unde Bothe p. 186. *Fer, pater, inquit, opem, si, Flumina,* numen habetis. *Qua nimium placui! — Tellus, ait, hisce* etc.; vt *qua* sit ea parte, ea re, qua nimium placui. E.) 548. Olim, *occupat.* Sed *adligat* Heins. adoptauit ex primo Basil. Langiano et altero Regio. Ipse tamen mauult *aggelat.* (555. *suos ramos* cor. Bothe p. 6. i. qui iam in sua potestate erant.)

men, si fieri commode posset, qua referretur ad *figuram*, vt II, 474. *Adimam tibi nempe figuram, Qua tibi, quaque places nostro, importuna, marito.* Et Perizon. ad Sanct. Min. p. 543 s. exemplis idoneis docuit, ita interdum abrumpi constructionem, vt diuellantur, pluribus verbis interpositis, quae cohaereant. Id quod in iis maxime vocibus locum habet, virtus adeo videri possit, quae, vt haec, in summa mentis perturbatione proferuntur. Sed quoniam plures Mss. hic plura omittunt, quoniam mirum est, Nympham post patrem illico et Tellurem inuocare, neque adeo apparet, vter eam mutauerit, quoniam denique in Argum. Lactantii vnus pater inuocatur, propterea malim hos duos versus ita contrahere: *Qua nimium placui, mutando perde figuram,* reliquis deletis. Quoniam miseri saepe optant, vt *terra hiscat* (Heroidd. VI, 144. Fast. III, 609. Silius IV, 332.), etiam hic hoc votum infarcire aliquis potuit. Similiter 700 s. verbis quibusdam deletis, Interpretes merito duos versus in vnum conflarunt. Alias emendd. v. in Variet. lect. De verbo *laedere* v. ad 608.

548 *Grauis* ab effectu, qui *alligat*, rigidos et immobiles reddit artus. Eodem sensu XI, 244. *Alligare artus* de torpore, tremore, pauore passim. V. Heins. *Librum* autem hic melius posuit, quam duriorem corticem. Mutationis notio variata verbis *crescere, haerere, obire.* Postremum sic et VII, 775. IX, 290. *pigris,* immobilibus, ab homine sumtum. *nitida laurus* etiam XIV, 720. Plin. V. Ep. 6, 4. Atque etiam puellis *nitor* tribuitur, i. pulchritudo. XI, 371. Hoc suum decus Daphne seruat mutata, vt ad 237 admonitum.

554 *trepidare,* palpare, micare, de motu cordis. Cf. VIII, 606.

557 *Coniux.* V. ad 490. *arbor mea* ex more, quo Dii arbores quasdam in tutela sua habebant. Cf. 710. *Lauram habebant*

Arbor eris certe, dixit, mea. Semper habebunt
Te coma, te citharae, te nostrae, Laure, pharetrae.
Tu ducibus Latiis aderis, cum laeta triumphum
Vox canet, et longas visent Capitolia pompas.
Postibus Augustis eadem fidissima custos
Ante fores stabis, mediamque tuebere quercum.
Vtque meum intonsis caput est iuuenile capillis;

560. *Latiis* pro *laetis* debemus Heinsii ingenio. 561. Heins. ex duobus suis, Scaligeri ac Iureti excerptis et Graeuii Cod. *longae pompae.* Nec displicet ei *ducent pompas* cum Barberiniano. Francof. *longâ pompâ*, non improbante Burm.

lauro ornata erant, omnia; quae Apollinis essent, tripus, templum, vates, victores Pythici. Ipse in monumentis cernitur vel redimitus corona laurea, vel gestans dextra ramum laureum. Vnde Apollo δαφνηφόρος. vid. Spanhem. ad Callim. h. Del. 91.

560 Vaticinatur Apollo in honorem Romanorum atque Augusti. h. e. poëta adulatur ciuibus suis atque Augusto. Laurus apud Romanos insigne erat et victoriae, (vnde *laurus* pro ipsa victoria ponitur,) et triumphi; namque post impetratam victoriam imperatorum fasces, militumque lanceae et pila lauro ornabantur. Inde porro a tempore Caesaris imperatores triumphantes coronam lauream capite gerebant, ramumque laureum manu tenebant. vid. Plin. H. N. XV, 30. vbi etiam caussae commemorantur huius tanti honoris lauro habiti. *Latiis*, Latinis. vid. Heins. *aderis*, eorum capita et manus ornabis. Ita *adesse* X, 142 de cupressu. — Currum triumphantis anteibant captiui et res bello captae; sequebantur milites, hinc *longae pompae.* Milites magna et *laeta voce canebant*, Iö triumphe! Vrbem ingressi petebant per viam sacram *Capitolium*, vt ibi hostias mactarent, Iouique Capitolino vota persoluerent. vid. IV. Trist. II, 51. s. Horat. Epod. 9. Tibull. II, 5. Ioseph. B. Iud. VII, 18. *Capitolia visent pompas* magis poëticum mihi videbatur, quam alterum, *pompae visent Capitolia*; itaque illud reuocaui. Plin. pan. 16, 3. *Accipiet Capitolium non mimicos currus, sed imperatorem* etc.

562 Supra fores Palatii ciuica e *quercu* corona suspensa erat, et ad vtrumque latus *laurus* stabat, triumphalis arbor. Fast. IV, 953. III Trist. 1, 35—48. vbi plures eius honoris caussae. Eandem arborem et Graeci ante fores collocabant. Hesych. in Κώμυθα. Plin. H. N. 15, 30 s. 39. *Laurus vel gratissima domibus, ianitrix Caesarum Pontificumque: sola et domos exornat, et ante limina excubat.* Vt ibi *excubare*, sic hic *custos*. *Tueri* exquisitius quam habere. Iam arboris naturam ex mytho ingeniose repetit. Folia dici solent comae arborum; sed nunc illa exquisitius poëta circumlocutus est, *frondis honores*, vt Martial. IX Epigr. 62 ex h. l. *Perpetuos sperare licet tibi frondis honores.* Auct. Carm. de Phoenice vs. 10. *Lucus perpetuae frondis honore virens.* Praeiuerat Virg. G. II, 404. — *Facotis ramis.* V. ad II, 485. *Paean*, Apollo, a graeco παίω, i. θεραπεύω, sano. Schol. Aristoph. ad Plut. 636. *annuere*, κατανεύειν, signum adsensus.

Tu quoque perpetuos semper gere frondis honores.
Finierat Paean. Factis modo laurea ramis
Adnuit: vtque caput, visa est agitasse cacumen.
Est nemus Haemoniae, praerupta quod vndique claudit Io.
Silua: vocant Tempe, per quae Penëus, ab imo
Effusus Pindo, spumosis voluitur vndis;
Deiectuque graui tenues agitantia fumos

570. *spumosis.* Viuiani, *sinuosis.* 571. *agitantia.* Regius et Neapol. *imitantia.*

FAB. VIII, 568 — 750. *Io* amatur a *Ioue*, et vi ab eo compressa mutatur, *Iunone* superveniente, in *vaccam*, quam illa *Argo* custodiendam tradit. Hoc *Mercurii* manu interfecto, Iuno Ioi Erinnyn immittit, qua per totum terrarum orbem agitata tandem ad Nilum venit, vbi in Deam transit *Epaphumque* parit. Fabulam, Asclepiade, Acusilao, Hesiodo ducibus, narrarunt Apollod. II, 1, 3. Hygin. fab. 145. Valer. Flac. Argon. IV, 353 sqq. Noster Epp. XIV, 85 sqq. Etiam Aeschylus Prom. 563 — 892. induxit Io, quamquam nonnulla ex fatis eius, vt consilio suo responderent, nouauit. Idem argumentum in solio Amyclaei expressum erat, Pausan. III, 18. et in clypeo Turni, qui genus ab Inacho ducebat, Virg. Aen. VII, 789. Atque etiam hodie in gemmis conspicitur. Vid. Lipperti Dactyl. II, 1, 18. Quoniam *Io* in Argiuorum dialecto, notante Eustath. ad Perieg. 92. lunam significabat, lunae autem symbolum femina capite cornuto fuit, inde fabulae initia ducta esse videntur, aucta deinde additamentis quibusdam. Et cum Graeci res Aegyptias cum suis permiscerent, Io et Epaphus Isidi et Apidi assimilari coeperunt. Vid. Heyne in Antiquar. Aufsaetzen To. I. p. 41 et ad Apollod. d. l.

568 — 84. Hic transitus, quo *fluuiorum conuentus* fingitur, pars est et superioris et sequentis fabulae. Locum hunc *Haemoniae* (Thessaliae, ab Haemone rege, Thessali patre, Strabo IX p. 449) vt amoenissimum describunt Plin. H. N. IV, 8. et Aelian. V. H. III, 1. Sed cum Ouidio melius consentit Liuius 44, 6. Is *saltum* vocat, et 36, 10. *fauces saltus*, Aelian. conuallem inter Olympum et Ossam non admodum latam. In ea varia *nemora* aestate suauissima. Hinc Noster *nemus*, et Mela II, 3, *sacro nemore nobilia Tempe.* — *vndique*, dextra laeuaque. *silua praerupta*, silua in montibus praeruptis; nam quae montibus conueniunt, ea et siluis in montibus poëtae tribuunt. Horat. II Sat. 6, 91. *Praerupti nemoris dorso.* Etiam Liv. *rupes vtrimque ita abscissae sunt, vt despici vix sine vertigine quadam simul oculorum animique possit.* Aliter Plin.

Peneus, fluuius Thessaliae nobilissimus, in quem reliqui illius terrae fluuii influebant. Aelian. d. l. Callim. h. Del. 110. Is secundum Aelian. non *spumosis vndis* per Tempe voluitur, sed otiose et leniter, in modum olei. Verum et Liuius, *Terret et sonitus et altitudo per mediam vallem fluentis Penei amnis.* Is. Vossius ad Melam II, 3, 176 et

Nubila conducit, summasque adspergine siluas
Impluit; et sonitu plus quam vicina fatigat.
Haec domus, haec sedes, haec sunt penetralia magni
Amnis: in hoc, residens facto de cautibus antro,
Vndis iura dabat, Nymphisque colentibus vndas.
Conueniunt illuc popularia flumina primum;
Nescia gratentur, consolenturne parentem,
Populifer Spercheos, et irrequietus Enipeus,
Apidanusque senex, lenisque Amphrysos, et Aeas;

580. *Eridanusque* omnes fere codd.; sed *Apidanusque* tuentur Intpp., excepto Ciofano, qui prius probat.

4, 38 aut verba *ab imo Pindo* corrupta esse, aut Peneα ex alto per meatus latentes cadere, priusquam in conspectum erumpat, putabat. Male. *Deiectus* non fuit ad fontem, sed vbi amnis fauces illas intrabat. *conducit*, excitat. Virg. *colligere nubes*. *agitantia*, ex se propellentia. *fumos*, particulas aquae, quarum tenuitas imitatur fumum. *summasque — impluit*, cacumina arborum adstantium, pluuiae decidentis instar, adspergit. Respexit haec Sidon. II Ep. 2. *arborum comis, quae margini insistunt, superiectae adsperginis fragor impluit.* Idem Carm. 22, 132. de torrente, *ipsis adspergine tectis Impluit.* De v. *impluere* et cognatis v. Heins. *sonitu — fatigat*, adeo strepit, vt strepitus ad fatigationem aurium non modo per viciniam, sed etiam remotiores regiones audiatur. Ita V. Trist. I, 62. *fatigare saxa voce.*

574 Antrum, ex quo fluuius erumpit, poëtis dicitur regia fluvii, et sedes Nympharum. In eo porro antro fingunt thalamos, penetralia, et reliquas regiarum partes. Sed Penei sedes ad *deiectum* illum collocatur. Cur autem poëta hic tot vocabb. cumulauerit, atque adeo anaphora abusus sit, non reperio. Num miratur, talem deiectum placere magno Amni? *magni*, μέγα χεῦμα ei tribuit Callimach. h. Del. 110. et interdum κατ' ἐξοχὴν dicitur *fluuius*. *iura dare*, imperare. *Nymphis*, Penei filiabus. Cf. Theocrit. Id. 1, 66. Callim. d. l. vs. 109. Ex his memorabilis Cyrene. Virg. G. IV, 321.

577 *Popularia*, quae sunt eiusdem terrae, nempe Thessalicae. *Conueniunt* Is. Vossius ad Pomp. Mel. II, 3 extr. accipit pro, ingrediuntur, ideoque reprehendit poëtam, quia et Spercheos et Amphrysos et Aeas alio exonerentur. Sed *conuenire* hic non esse influere, ostendit, quod sequitur, *Moxque amnes alii.* Imo conueniunt Dii, praesides fluuiorum, in antro Penei vel gratulandi, vel consolandi caussa.

579 *Spercheos*, fluuius rapidissimus, qui subter Oetam montem in sinum Maliacum exoneratur, et cuius ripae *populis* consitae fuisse videntur, sicut Penei lauris. *Enipeus* ex monte Othry Thessaliae profluit. Virg. Georg. IV, 368. vocatur *altus Enipeus.* — *Apidanus*, accepto ad Pharsalos Enipeo, in Peneum illabitur. Vocatur *senex* (Infra II, 243. *Peneos senex*), quod Intt. accipiunt pro leniter fluente; ca-

Moxque amnes alii, qui, quâ tulit impetus illos,
In mare deducunt fessas erroribus vndas.
Inachus vnus abest; imoque reconditus antro
Fletibus auget aquas; natamque miserrimus Iö
Luget, vt amissam. Nescit, vitâne fruatur,
An sit apud manes; sed quam non inuenit vsquam,
Esse putat nusquam; atque animo peiora veretur.
Viderat a patrio redeuntem Iuppiter Iö
Flumine; et, O virgo Ioue digna, tuoque beatum

585. Heins. cum vno Medic. legendum putat *nec scit.*

que interpret. etiam in vno Vatic. Cod. adscripta est. Sic Senec. Med. 314. *senex Bootes,* qui tarde mouetur. Sed vbi Apidanus irrequietum Enipeum accepit, satis rapide currit. Lucan. VI, 373. Malim ergo *senem* nunc vetustum, antiquum interpretari, i. antiquissimis temporibus notum, et nomine insignitum. Dionys. Geogr. 417. ὠγύγιος Λάδων, vbi Eustath. ὠγύγιον δὲ λέγει, διὰ τὴν περὶ αὐτοῦ ἀρχαιολογίαν. Callim. h. Iov. 40. παλαιότατον ὕδωρ. et h. Del. 71. γέρων Φεναιός. Accedit, quod Veteres fluuios non minus quam Oceanum sub *senis* effigie repraesentabant. Hinc mox 645. *senior Inachus.* — *Amphrysos* eam Thessaliae partem perfluebat, quae Phthiotis dicebatur. *Aeas,* qui Plinio H. N. III, 23. *Aous* dicitur, fluuius paruus et purissimus, Epiro profluens et per Thessaliam in Ionium mare se immittens.

582 Qui diuersis locis in mare influunt. Sed ornate hoc extulit. *Impetus,* vis, rapiditas, tribuitur fluminibus, mari, ventis, coelo. vid. Burm. ad Phaedr. III. prol. 59. *Errores,* ambages fluuiorum tortuosae, aut omnino cursus. *fessas vndas,* vt *fessae* longa via aut tempestate *naues* Virg. Aen. I, 168. *Auras spatio lassas* dixit Plin. V. Ep. 6, 14.

583 *Inachus,* Argiuorum fluvius, hodie *Naio,* decurrens vel ex Artemisio, Arcadiae monte, Pausan. Arcad. p. 611. vel e Lyrceo, itidem monte Arcadiae. Strabo VIII. p. 370. Is. Vossius ad Mel. d. l. putat, confundi Argiuorum Inachum cum Inacho Epiri, qui ex Laemo profluens in Ionium mare se exonerat. Falso, nam poëta eum inter *amnes alios,* a popularibus diuersos, refert. Eius filiam Io faciebant etiam Castor in Chronicis, Aeschyl. cum aliis Tragicis atque Hygin. Sed Apollodor. aliique Iaso, alii denique Pirene natam perhibent. Vid. Munker. ad Hygin. d. l. vbi triplex Ius stemma. *Fletibus aug. aq.* iocose dictum videri possit. Sed occurrunt alibi similia. In clypeo Turni *amnem fundebat.* Infra XI, 47. *flumina lacrimis increscunt suis.* Homer. Il. ι, 14. δακρυχέων ὥστε κρήνη μελάνυδρος. Sequentia *Nescit* — *veretur* castigatior scriptor forte resecuisset.

588 Secundum Valer. Flac. Iupiter *saepe descendit ad ignes Ius,* eorumque furtorum conscia antra habebat. Aliter rursus et copiosius rem narrat Aeschyl. 652 sqq. initio facto a visis nocturnis. Noster Ioui tribuit orationem insidiosam, cuius tamen fraudem sensit Nympha, et insunt quaedam ambigue dicta.

Nescio quem factura toro; pete, dixerat, vmbras
Altorum nemorum, (et nemorum monstrauerat vmbras)
Dum calet, et medio Sol est altissimus orbe.
Quodsi sola times latebras intrare ferarum;
Praeside tuta Deo nemorum secreta subibis:
Nec de plebe Deo, sed qui coelestia magnâ
Sceptra manu teneo; sed qui vaga fulmina mitto.
Ne fuge me; fugiebat enim. Iam pascua Lernae,
Consitaque arboribus Lyrceia reliquerat arua;
Cum Deus inductâ latas caligine terras
Occuluit, tenuitque fugam, rapuitque pudorem.
Interea medios Iuno despexit in agros:
Et noctis faciem nebulas fecisse volucres

591. Heins. displicebat *altorum*, quia *altissimus* proxime seq. Itaque suadebat vel *Eia horum*, vel *densorum* aut *solorum nemorum*. Sed Burm. cum Bothio p. 186. recte tuetur *altorum*, quia passim *altae siluae* occurrunt. 598. *Lyrcaea* auctoritate pri. Vatic. mutauimus in *Lyrceia*, quod etiam Graev. et Heins. restitui volebant. Valer. Flac. IV, 355. *Lyrceia tellus.* Mons est *Lyrceus*, et inde *Lyrceius* atque *Lyrcius.*

592 Non omnino respuenda videtur coniectura Burm. *Sol est acerrimus*, vehementissimi caloris, vt Horat. 1 Sat. VI. 125. *sol acrior*, et apud Archiloch. sol ὀξύς. Ita enim caussa redditur, cur nemorum vmbra petenda sit. Et ab aestu solis frequenter poëtae designant meridiem. Virg. G. IV, 401. *Medios cum Sol accenderit aestus*, et vs. 426. *medium sol igneus orbem Hauserat.* (Sed grauem solis calorem etiam indicant verba *medio altissimus coelo.* E.) De *plebe* Deorum dictum ad 173. Se commendat, vt supra Apollo. *sed — sed.* Haec anaphora sic etiam V, 17 s. 507 s.

595 *magna manus*, et omnino magna membra heroibus et Diis, Ioui in primis, a poëtis tribui solent. vid. Burm. ad Eleg. ad Liv. Aug. v. 224.

597 *Lerna* maxime memorabilis vel palus, vel fluuius Argiae, cui adiacebant ampla *pascua.* Aeschyl. Prometh. vs. 657. πρὸς Λέρνης βαθὺν λειμῶνα (pratum in valle depressiore) ποίμνας βουστάσεις τε πατρός. *Lyrceus*, mons vel Arcadiae, vel, vt Stephan. vult, Argolidis. Terra *magna* et *maxima*, πελώρη, passim. Sed Nostro in primis placuere *latae terrae*, γαῖα εὐρύστερνος. *Tenere*, retinere, hinc impedire.

602 *noctis faciem*, noctem. *sub nitido die*, Nostris, *bey hellem Tage.* vid. Heyn. ad Virg. Aen. 1, 431. Etiam VIII, 1. *nitidus dies* opp. tenebris. Curtius III, 3, 8. *dies illustris. remitti*, exhalari. Plin. H. N. XVII, 4. *Terra optima, quae tenues exhalat nebulas.* Cf. Lucret. V. 464. Respexit Ouid. forte Virg. G. II, 217. *Quae tenuem exhalat nebulam, fumosque volucres*

Sub nitido mirata die; non fluminis illas
Esse, nec humenti sentit tellure remitti;
Atque suus coniux, vbi sit, circumspicit; vt quae
Deprensi toties iam nosset furta mariti.
Quem postquam coelo non reperit; Aut ego fallor,
Aut ego laedor, ait. Delapsaque ab aethere summo
Constitit in terris; nebulasque recedere iussit.
Coniugis aduentum praesenserat, inque nitentem
Inachidos vultus mutauerat ille iuuencam.
Bos quoque formosa est. Speciem Saturnia vaccae,
Quamquam inuita, probat: nec non et cuius, et vnde,
Quoue sit armento, veri quasi nescia, quaerit.
Iuppiter e terrâ genitam mentitur, vt auctor
Desinat inquiri. Petit hanc Saturnia munus.
Quid faciat? crudele, suos addicere amores:

605. Burm. offendit vocula *atque*, maluult *jamque*, et vs. seq. praefert vulg. *bene nosset*, quam Heins. posthabuit, motus melioribus Codd. 611. *ille*. Leidens. *ante*.

Et bibit humorem, et, cum vult, ex se ipsa remittit. Furtum, vt κλέμμα, omne clandestinum; sed in primis amores clandestini et illiciti maritorum dicuntur *furta*: hinc *furtiuus vir*, adulter. III. Pont. 3, 56. Safftius vertit: *auf Diebstahl betroffen*.

608 *Laedere* varie in re amatoria dr. Omnino est fallere aut violare alterum quocumque modo in amore. V. Heynii Obs. ad Tibul. I, 2, 89. *nebulas recedere iussit*. Etiam Iuno nubibus imperat, quin adeo fulmen interdum mittit. Caeterum hinc Valer. Flac. d. l. fabulam suavissime, sed breuius Ouidio narrat.

610 *nitere* proprie et eleganter dicuntur pecora pinguia, et bene habita. Opp. *horrida* et *strigosa*. Sed simul candoris notio inest. Hinc 652 *niuea* et 743 *formae candor*. Etiam ap. Apollod. mutatur in album vaccam. Ipse Iupiter II, 852 *niuei* tauri formam sumit, eidemque candidae victimae probabantur. Apud Aeschyl. Io, vt in theatrum induci posset, retinuit formam humanam, sed faciem habet deformatam, caputque cornibus dedecoratum. Est βούκερως παρθένος. *Inachidos vultus*, Inachis. *Inachidos cornua* simili periphrasi apud Propert. I. 3, 20.

612 *Speciem — quaerit*. Multum ἦθος inest. Ap. Valer. Flac. vaccam *plausu fouet et pectora mulcet*. — *e terra genitam*. Multi olim homines feraeque γηγενεῖς. *Petit munus*. Valer. Fl. *Ipsa ego dilectae pecudi iam pascua digna Praecipuosque legam fontes*.

617 *Addicere* nil aliud est nisi donare, tradere, vt recte explicat Gloss. Ms. Flor. Vellei. II, 25, 4. *addixit Dianae agros Sulla*. Horat. Epod. 17, 11. *addictum feris*. Nempe *addici* proprie de debitoribus dicebatur, qui, cum non soluendo essent, creditoribus tradebantur. Hinc om-

Non dare, suspectum. Pudor est, qui suadeat illinc:
Hinc dissuadet amor. Victus pudor esset amore:
Sed, leue si munus sociae generisque torique
Vacca negaretur; poterat non vacca videri.
Pellice donatâ, non protinus exuit omnem
Diua metum, timuitque Iouem, et fuit anxia furti;
Donec Arestoridae seruandam tradidit Argo.
Centum luminibus cinctum caput Argus habebat;
Inde suis vicibus capiebant bina quietem;
Caetera seruabant, atque in statione manebant.
Constiterat quocunque modo; spectabat ad Iö:
Ante oculos Iö, quamuis auersus, habebat.
Luce sinit pasci: cum Sol tellure sub altâ est,

nino est vel in seruitutem, vel potestati alicuius tradi. v. Graevius ad Cic. Quinct. 18. et Salmas. de Vsur. p. 360.

624 De *Argo*, eiusque genealogia vid. Eustath. ad Hom. Il. β, p. 138. Schol. Euripid. ad Phoen. vs. 1123. ibique Valkenar. Iupiter ex Niobe genuit Argum, cuius pronepos Arestor, pater Argi nostri. Aeusilao et Aeschyl. 570 erat γηγενὴς, i. cuius origo ignota. Alii non hunc centoculum, sed alium Argum, qui nauem Argo fabricauit, Arestoris filium faciunt. vid. Gronov. Diatrib. Stat. p. 553 ed. H. et Burm. ad h. l. Huius nostri Argi effigies expressa erat in clypeo Hippomedontis, Eurip. d. l. et in pharetra Herculis, Quint. Smyrn. X, 190.

625 *Centum*, omnino multa; Aeschyl. Prometh. 674. πυκνοῖς ὄσσοις δεδορκώς et 571 ὁ μυριωπὸς βούτας, quod Schuetz tropice putat posse *omnia obseruantem* significare. Ab Eurip. Phoen. 1120 et aliis vr. πανόπτης, cuius nominis caussam Schol. Hom. Il. β, 103 reddit hanc, quia κατὰ παντὸς τοῦ σώματος εἶχεν ὀφθαλμούς. Planto Aul. III, 6, 19. *oculeus*, et Nemesian. Cyneg. 31. *stellatus oculis custos virginis*. Vetustissimi scriptores ei dabant tantum tres aut quatuor oculos. vid. Schol. Eurip. d. l.

626 Alii omnes Argi oculos, alii nonnullos tantum fecerunt vigiles. Quint. Smyrn. X, 191. ὀφθαλμοῖσιν ἀμοιβαδὸν ὑπνώεσκε. *in statione manebant*, tamquam milites. Etiam *suis vicibus* e re castrensi petitum, vbi milites *vicibus* stationes et alia munia obeunt. Virg. Aen. IX, 164. *variant vices*, et 222 *seruant vices*. Ergo *seruare* h. l. *Wache halten*. Claudian. 21, 313. *Centum excubiis vnam seruat iuvencam*.

630 Erat Argus saeuus custos, ἄκρατος ὀργὴν Aeschyl. 682. Cf. Valer. Flac. De duritie eius nihil Noster, sed tristem lus sortem apte ad commisserationem faciendam per partes describit. *alta*, profunda, vt millies. Contra *coelum profundum* Virg. G. IV, 222. est altum. Vir doctus in Biblioth. Tigur. p. 85. putat, tellurem *altam* dici respectu Solis, qui post occasum sub tellure currat, eamque in *alto* ha-

Claudit, et indigno circumdat vincula collo.
Frondibus arboreis, et amarâ pascitur herbâ:
Proque toro, terrae, non semper gramen habenti,
Incubat infelix; limosaque flumina potat.
Illa etiam supplex Argo cum brachia vellet
Tendere; non habuit, quae brachia tenderet Argo:
Conatoque queri mugitus edidit ore;
Pertimuitque sonos, propriâque exterrita voce est.
Venit et ad ripas, vbi ludere saepe solebat,
Inachidas ripas; nouaque vt conspexit in vndâ
Cornua, pertimuit, seque exsternata refugit.
Naïdes ignorant, ignorat et Inachus ipse,
Quae sit: at illa patrem sequitur, sequiturque sorores:
Et patitur tangi, seque admirantibus offert.
Decerptas senior porrexerat Inachus herbas;
Illa manus lambit, patriisque dat oscula palmis;
Nec retinet lacrimas: et, si modo verba sequantur,

632. *arbuteis* dedit Heins. ex Bernegger. caeteri *arboreis.* Idem mauult *vescitur*, quia *pasci* praecessit. 637. *Conatoque* habent primus Palat. Vrbin. et vnus Heins. Caeteri *Conataque.* 639. Olim vulg. *Venit et ad patrias*, non male. Heins. putabat: *Venerat vt ripas* et vs. seq. *Inachis ad ripas.* 647. *verba supersint* cod. Berol. aliique; prob. Bothio p. 6.

beat. Non adsentior. *indignum*, quod talem sortem non meruerat, vt vs. 508. *Frondibus* veteres pascere solebant boues. vid. Casaub. ad Athen. I, 19. Notant, Nostrum expressisse Caluum, qui in Io dixerat: *Ah virgo infelix! herbis pasceris amaris.* — *Foliis vesci amaris* dixit Horat. II. Sat. 3, 114. Pro *arbuteis* recepi *arboreis*, quod agnoscunt omnes praeter vnum, vnde Heins. illud inuexit. Non enim nunc quaeritur, quale pabuli genus fuerit, sed ornatus tantum caussa adiectum est epitheton. Valer. Fl. *Heu, quoties saxo posuit latus! quos ore lacus, quae pabula carpsit!* *flumina*, e fluminibus, aut *flumina* sunt aquae.

640 Heroidd. XIV, 93. Io *se miratur in vmbra.* Amorr. I, 3, 21. *exterrita cornibus Io. se refugit*, fugit a forma, quam conspexerat. Cf. III, 198 sqq. Phantasia poëtae sibi ipsa in talibus placuit; itaque iis immoratur et in seqq. *Naides*, sorores, reliquae Inachi filiae. *admiramur* omnia, quae animum nostrum percutiunt. *senior Inachus.* vid. ad vs. 580.

647 *Sequi* eleganter drr. quae facile cedunt voluntati alterius. De verbis legitur etiam XI, 326. Virg. Aen. XII, 912. *Litera* etc. Regius putabat, figuram intelligi, quam boum vngula exprimat. Quomodo inde pater filiam agnouisset? Immo mens, quae in vacca remanserat, docebat eam literas I et O pede ducere.

Oret opem; nomenque suum, casusque loquatur.
Litera pro verbis, quam pes in puluere duxit,
Corporis indicium mutati triste peregit.
Me miserum! exclamat pater Inachus; inque gementis.
Cornibus, et niueae pendens ceruice iuuencae,
Me miserum! ingeminat. Tune es quaesita per omnes,
Nata, mihi terras? tu non inuenta repertâ
Luctus eras leuior. Retices, nec mutua nostris
Dicta refers: alto tantum suspiria ducis
Pectore; quodque vnum potes, ad mea verba remugis.
At tibi ego ignarus thalamos taedasque parabam;
Spesque fuit generi mihi prima, secunda nepotum.
De grege nunc tibi vir, nunc de grege natus habendus.
Nec finire licet tantos mihi morte dolores;
Sed nocet esse Deum; praeclusaque ianua leti
Aeternum nostros luctus extendit in aeuum,
Talia moerenti stellatus submouet Argus,

654. Vulgata, quam Heins. ex ingenio mutauit, erat: *Tu non inuenta reperta es.* 656. *ducis.* Heins. ex vno Medic. vno Basil. vno suo, *prodis.* 662. Heins. malebat, *Deo.*

654 Tu cum nondum inventa esses, leuiorem mihi luctum creabas, quam nunc, postquam reperta es. Sic recte Heins. locum et constituit, et exposuit. Ante eum nugabantur Intt. in definiendo discrimine verb. *reperire et inuenire.* Mox reuocaui *ducis* e Mss. longe plurimis. Virg. Aen. II, 288. *grauiter gemitus imo de pectore ducens.* Et sic passim.
658 *Ignarus,* talem de sortem manere. vid. ad III, 3. *generi* etc. vid. vs. 481. 2. *vir* etiam de tauro, vt Virg. Ecl. VII, 7. de capro. *maritus* ap. Horat. 1. od. 17, 7. Abusus est ingenio.
662 *ianua leti*, caussa et via mortis. Praeiuit Lucret. 1, 1105. *haec rebus erit pars ianua leti.* Noster III. Trist. 2, 30. *interitus fores,* Virg. Aen. II, 661. *patet isti ianua leto*, i. ad talem mortem ab hoste accipiendam facilis est via, vid. Cerda ad h. l. Sed Inacho *praeclusa erat ianua leti.* Caeterum mors, tamquam vnicum in malis remedium, Tragicis graecis dicebatur ἰατρὸς, παιάν. vid. Valken. ad Eurip. Hipp. 1372. Cf. Senec. Agam. 579 sqq.
664 *stellatus*, distinctus oculis, tamquam coelum stellis. V, 641. *variis stellatus corpora guttis.* Virgil. Aen. IV, 261. *stellatus iaspide ensis.* — *submouet.* Valer. *in scopulos et monstris*

Ereptamque patri diuersa in pascua natam
Abstrahit. Ipse procul montis sublime cacumen
Occupat: vnde sedens partes speculetur in omnes.
Nec Superûm rector mala tanta Phoronidos vltra
Ferre potest; natumque vocat, quem lucida partu
Pleïas enixa est; letoque det, imperat, Argum.
Parua mora est, alas pedibus, virgamque potenti
Somniferam sumsisse manu, tegimenque capillis.
Haec vbi disposuit, patriâ Ioue natus ab arce
Desilit in terras. Illic tegimenque remouit,
Et posuit pennas: tantummodo virga retenta est.
Hac agit, vt pastor, per deuia rura capellas,

Mercurius ad Argum.

667. *speculetur* pro *speculatur* in vno Medic. a prima manu reperit Heins. Ita consilium indicatur, cur montem occupauerit. G. — 671. *potente* multi codd. haud improb. Burm. Sed adiectiua in *ns* desinentia semper in ablatiuo in *i* exeunt; participia autem, si proprie adhibentur, in e, sin adiectiue, in i et e desinunt. E.

horrida lustra abigit. partes, regiones. *speculetur*, proprie locutus est; nam mons, vnde quis prospectat, *specula* dicitur.

668—723 Iupiter mittit Mercurium ad Argum trucidandum; quo facto Mercurius in Aegyptum profugisse, ibique leges et literas docuisse traditur. Cic. N. D. III, 22. Ab eo facinore Graecis dictus est Ἀργειφόντης.

668 A *Phoroneo* originem ducebat et Inachus II et Iasus II. vid. Munker. ad Hygin. fab. 145. *Natum vocat*, non modo, quia minister est, vt omnium Deorum, ita Iouis in primis, vnde διάκτορος dictus (Hemsterh. ad Lucian. To. I p. 489), sed etiam quia calliditate, qua pollebat Mercurius (Horat. I od. 10, 7—16), nunc opus erat. Idem Iouis amoribus inseruit etiam II, 836 sqq. Cf. cum loco seq. Hom. Od. ε, 43 sqq. Virg. Aen. IV, 238 sqq. Statius Theb. I, 303. *Pleias*, Maia, Atlantis filia, vna ex Pleiadibus, quae sunt septem stellae in dorso tauri. *lucida*, quippe sidus.

671 *Parua mora est*, Homer. οὐδ' ἀπίθησε. *parua*, i. breuis. Lucan. IV, 476 *parua nox*. *alas*. Inde dicitur *ales*, Horat. 1. od. 2, 42. et *alipes* infra IV, 756. *Alae* Mercurii dicuntur *talaria*, πέδιλα, et erant aureae Virg. d. l. 240. Sed et capite alas gerit, et *nunc pedibus, nunc fronte volat*. Sidon. Carm. 7. *Virga*, caduceus Mercurii, duobus serpentibus circumplicatus, quem ei pro lyra dederat Apollo. Homer. h. Merc. 526. Erat *aurea*, vnde Mercurius χρυσόῤῥαπις. Hom. Od. κ, 277. Erat proprie pacis insigne (εἰρήνης ὅπλον. Orph. h. 27, 7.), sed eadem cum multa alia efficere, tum *somnum* excitare poterat. Virgil. Aen. IV, 240. vbi locus classic. de Mercurio eiusque virga Hinc vocatur *somnifera* (ὑπνοδώτις ap. Orph. hymn. 56, 8.), et Mercur. ipse ἡγήτωρ ὀνείρων et ὕπνου προστάτης. Athen. lib. I. cap. 14. Hanc virgam sumit *potenti*

Dum venit, abductas: et structis cantat auenis.
Voce nouâ captus custos Iunonius, At tu,
Quisquis es, hoc poteras mecum considere saxo,
Argus ait: neque enim pecori fecundior vllo
Herba loco est: aptamque vides pastoribus vmbram.
Sedit Atlantiades, et euntem multa loquendo
Detinuit sermone diem: iunctisque canendo
Vincere arundinibus seruantia lumina tentat.

677. *abductas* recte dedit Heins. de suo pro *adductas*. Multi codd. *dum vehit* vel *veit;* vnde Heins. cor. *dumque agit*. 681. *gratamque* Iunii Cod. et vnus Bonon. pro varia lectione. 684. Vnus Medic. *lumina certat*. Id elegans videtur Burm. et accommodatius τῷ *vincere*.

manu, vid. ad vs. 595. et Mercurius semper apparet κρατύς. *tegimen* pileus alatus, qui *petasus* et *galerus* dicitur. Sententiam, parauit se ad iter, ita elocutus est, vt omnem Mercurii habitum describeret. *disposuit*, quodque suo loco applicuit. *patria ab arce*. V. ad 163.

677 *Agit* ante se, virga pro baculo pastorali vtens, *capellas*, quas e vicinis agris *abduxerat*. *dum venit*, accedit ad Argum. — *structae auenae*, fistula pastoritia, quae etiam *arundo*, *calamus*, *stipula* dici solet, de cuius *structura* vid. ad vs. 711. Apud Aeschyl. 577 Argus quoque fistulam habet. Sed Ouid. rem ita finxit, vt aliam fab. commode intexere posset.

678 *Voce noua*, sono *nouae*, recens inuentae fistulae; vel sono inaudito. De formula solemni, *quisquis es*, qua peregrinos et ignotos alloquuntur Latini, vid. Burm. *poteras*, vt ap. Virg. Ecl. I, 80. *Hic tamen hanc mecum poteras requiescere noctem*, vbi cod. Zwiccav. aliique, vt h. l. vulgo, *poteris*. Sed illud elegantius, atque ita et VIII, 47. 63. Solent autem in bucolicis pastores cantaturi se inuitare ad *considendum*, in quo sequuntur loca herbosa et vmbram. Proprie *fecundus* locus herbis, sed h. l. ipsa herba *fecunda*, frequens et bona. *aptam* bene se habet. Epp. XIII, 11. *Ventus erat nautis aptus, non aptus amanti*. Quod duo Codd. habent *gratam*, et a Burm. exemplis confirmatur, fluxit ex interpr. *Atlantiades* pro *Atlantides*, vt notat Priscian.

682 *et euntem — diem*. Locus hic valde torsit ingenia Intt. Quoniam amoenis confabulationibus tempus fallitur, et breuius quasi redditur, dum nobis vix sentientibus praeterlabitur, propterea negat Burm. sanum esse h. l. Ipse ergo ductu vnius Cod. in quo *demuit* exaratum exstat, legit, *diminuit*. *Diminuere* autem tempus dixisse etiam Cic. Orat. III, 49. et hoc idem esse quod *frangere diem*, et *partem solido demere de die*, apud Horat. Si quis tamen tueri malit verb. *detinuit*, versu seq. *diem* posse in *ducem*, i. Argum, qui ducebat Iö, mutari, tunc *euntem* esse, ire volentem. Neutra emendatio nobis satisfacit. Non probo *euntem ducem;* nam is ipse rogauerat Mercurium, vt vellet sibi tempus fallere confabulando. Cur igitur nunc abire properat, vbi ille vix initium fecit confabulandi? Et duo de

Ille tamen pugnat molles euincere somnos;
Et, quamuis sopor est oculorum parte receptus,
Parte tamen vigilat. Quaerit quoque, (namque reperta
Fistula nuper erat) quà sit ratione reperta.
Tum Deus, Arcadiae gelidis sub montibus, inquit, *Syrinx.*
Inter Hamadryadas celeberrima Nonacrinas
Naïas vna fuit: Nymphae Syringa vocabant.
Non semel et Satyros eluserat illa sequentes,
Et quoscunque Deos vmbrosaue silua, feraxüe
Rus habet. Ortygiam studiis, ipsâque colebat

689. *sub montibus* pro *in montibus* ex vno Leidensi et altero Heins. recepit Burm. quem vide late disputantem de hoc vsu praepos. *sub.*

custode bouis insolens mihi videtur; visum est etiam Heynio Obs. ad Tibul. I, 10, 10. Nec placet verb. *diminuit* propter *euntem*, i. vergentem ad occasum. Apud Cic. quidem *diminuere tempus* paullo aliter dicitur; multoque minus trahi huc possunt phrases illae Horatianae. Gebhard. Crep. I, 9. explicat, consumsit confabulando et transegit diem iam ad occasum vergentem. Et videtur *detinere* ita dici posse. IV ex Pont. 10, 67. *Detinui tempus, curasque fefelli*, vbi v. Heins. Sic cepit etiam Rode: *plaudert viel und verbringt den flüchtigen Tag mit Gesprächen.* Molesta tamen redundantia est in *multa loquendo sermone.* Seidenstuecker denique hunc sensum subiicit: diem, qui alias multa loquendo festinare solet, *sermone*, inter loquendum, vi sua, diuina suspendit, tardiorem aut longiorem fecit. — *vincere.* Silius VII, 204. *Donec composuit luctantia lumina somnus.*

685 *pugnat euincere*, pugnat, vt euincat. V, 349. *pugnat resurgere*, 354. *remoliri luctatur.*

molles, dulces, suaues. Etiam Graecis μαλακὸς ὕπνος.

689 Commode intexit fabulam de *Syringe* nympha, quae cum fugeret amorem Panis, in calamos mutata est, vnde Pan sibi struxit fistulam. *sub montibus* versari dicuntur, qui in montibus, aut circa eos commorantur. Etiam *sub vallibus*, *sub amne*, *sub oris* in vsu. vid. Burm.

690 *Hamadryades*, nymphae, quae ἅμα ταῖς δρυσὶ, cum quercubus aliisque arboribus (nam δρῦς olim omnis arbor. Schol. Hom. ad Il. α, 86) et nasci et interire credebantur. Schol. Apollon. Rh. ad vs. 478. Plutarch. de Orac. def. p. 415. *Nonacrinas*, quae in Nonacrino monte versantur. *Nonacris*, oppidum et mons Arcadiae, non procul a Ladone fluuio. Plin. H. N. II, 103. *Syringa*, et *Syrinx* et *Syringa* in vsu. vid. Munker. ad Lactant. Argum. h. fab.

692. *Eludere* eleganter dicuntur, qui cursu celeri et per anfractus elabuntur. VIII, 687. Phaedr. 1. fab. 12, 9. *cursu leui Canes elusit.*

694 *Ortygiam*, Dianam, quae

Virginitate Deam. Ritu quoque cincta Dianae
Falleret, et credi posset Latonia; si non
Corneus huic arcus, si non foret aureus illi.
Sic quoque fallebat. Redeuntem colle Lyceo
Pan videt hanc, pinuque caput praecinctus acutâ,
Talia verba refert. Restabat verba referre;
Et precibus spretis fugisse per auia Nympham;
Donec arenosi placidum Ladonis ad amnem

700. Post *refert* inepte olim haec verba inserta legebantur, *Tibi nubere Nympha volentis Votis cede Dei.* 702. Heins. et ex vno Medic. et vno Strozz. maault *placitum*, quod et Mar. Accurs. voluerat. Alii suaserunt *rapidum*. Sed *placidum* praeter alios tuetur H. Voss. in Both. Vind. p. 169.

secundum Homer. h. Apoll. 16. in insula Ortygia nata credebatur, quemadmodum Apollo in Delo. Alii vero volunt, Delum, in qua Latona et Dianam et Apollinem enixa sit, alio nomine Ortygiam esse dictam. vid. Spanhem. ad Callim. h. Apoll. 59. et Del. 255. *studiis*, venatione. *studia* enim vitae genus, quod quis sibi delegit, quo trahitur. cf. V, 267. Male igitur Rode: *mit Eifer. colebat*, imitabatur, in quo genus cultus. *fallebat*. In eo multum laudis. V. ad III, 182. *ipsaque*, atque adeo. Supra vs. 476. *innuptae aemula Phoebes — ritu Dianae*, supra genu cincta erat. vid. Spanhem. ad Callim. h. Dian. 11, 212. *aureus*. Dianae erant παγχρύσεα τόξα. Homer. h. 2. in Dian. 5. Virgil. Aen. XI, 652. Magna autem in his Nymphae commendatio. Claudian. 35, 39 de Proserpina, *potuit videri Pallas, si clypeum, si ferret spicula.*

699 *Pan*, Arcadius Deus, *Lyceum* in primis et Maenalum, Arcadiae montes, incolere credebatur. Theocrit. Id. 1, 123. Virg. G. 1, 16. Horat. IV. od. 12. Ibi habebat antra, in quibus a venatione fessus recubare solebat. Callim. h. Dian. 87 s. Sacra ei erat *pinus*, πίτυς, similem ob caussam, ob quam laurus Apollini. Pitys enim et ipsa olim puella fuerat, quam amaverat Pan. vid. Brouckh. ad Propert. I, 18, 20. Itaque caput praecingere solebat *pinu*, h. e. frondibus pineis, corona pinea, quod et Fauni facere solebant. Heroidd. V, 137. Vocatur *acuta*, etiam A. A. II, 424. a forma. Ita et infra *cupressus acuta*. Est autem *pinus* (qua ipse *Lyceus* abundabat, vs. 217.) h. l. siluestris, *Kiefer*, satius nobis dicitur *Pinichenbaum. praecinctus*. XIV, 638. *Panes cornua praecincti pinu*. XI, 9. *praesuta foliis*. Horat. I od. 7, 7. *praeponere*. Valer. Fl. III, 436. *praetexere*. Claudian. 35, 325. *praevelare*.

700 Cum Mercurius dixisset, *Talia verba refert*, iam succubuerant somno oculi Argi, itaque finem narrandi facere potuisset poëta, sed ne ignoraret lector reliquam fabulam, eam poëta ex sua persona adspergit. Ingeniose tali commento vsus est, quia incredibile videri poterat, vna cum finita fab. oculos succubuisse. *Ladon* fluuius Arcadiae, in Alpheum influens. Abundabat aquis, nec vlli cedebat pulchritudine, Callim. h. Iov. 18. Pausan. Arcad. p. 651.

Venerit; hic illi cursum impedientibus vndis,
Vt se mutarent, liquidas orasse sorores;
Panaque, cum prensam sibi iam Syringa putaret,
Corpore pro Nymphae calamos tenuisse palustres;
Dumque ibi suspirat, motos in arundine ventos
Effecisse sonum tenuem, similemque querenti:
Arte nouâ, vocisque Deum dulcedine captum,
Hoc mihi concilium tecum, dixisse, manebit:
Atque ita disparibus calamis compagine cerae

706. Burm. ex vno Medic. *cannas tenuisse*, quia Apulei. V Metam. *Deam Cannam* vocat, et quia vs. 711. *calamis* sequitur. Nempe Heins. et Burm. persuasum erat, non licere bono scriptori intra paucorum versuum ambitum idem voc. bis ponere; hinc permulta Ouidii loca tentarunt, quae manu medica non indigebant. Ouidium illam legem non curasse, attendenti facile apparet. Vide modo 569 et 72. 638 et 41. 753 et 56. VIII, 10 et 16. 16—19. 34 et 37. 81 et 83. 108 et 111. Nec igitur erat, cur h. l. porro pro *tenuisse* mallet *tetigisse*, aut vs. 712. pro eodem cum Gry-

Dionys. Perieg. 417. Vocatur h. l. *placidus*, sed V. Fast. 89. *rapax*, et II Fast. 274. ei tribuuntur *citae aquae*. Itaque Intt. varie hunc dissensum componere conati sunt. Verum epitheta, quibus poëtae singulos fluuios et montes exornant, non vrgenda sunt, nec natura eorum inde demonstranda, nisi accedat geographorum auctoritas. Itaque fieri potest, vt sui obliti, eidem fluuio diuersis locis diuersas virtutes tribuant. vid. Burm. ad Valer. Flac. V, 180.

704 *Liquidae sorores*, nymphae in Ladone habitantes. Similiter Inachus vocatur *liquidus parens* Heroidd. XIV, 89. Propert. II, 25, 34. *Acheloi liquor luget.* — *Calamos* reuocaui, quod omnes, praeter vnum, Codd. habent, non modo quia Syrinx a Serv. ad Virg. Ecl. II, 32 in *calamum* mutata legitur, sed etiam propter Plin. H. N. 16, 36 s. 66. *Calamus alius totus concauus, quem syringiam vocant, vtilissimus fistulis, quoniam nihil ei est cartilaginis atque carnis.* Lactant. in Argum. *in arundines conuersa est*; — *sonum tenuem*, qualem habet fistula, vnde ipsa λεπταλέα, et *tenuis* dicitur.

710 *Hoc mihi — manebit*. Hic cantus me semper tibi conciliabit, huius soni caussa semper vtar tua consuetudine, ex te faciam fistulam, qua crebro vtar otii fallendi caussa. Et solebat Pan semper hoc instrumento musico delectari. *Concilium* ita dici, probat ad h. l. Heins. Ipsa foedera et amicitiae vocantur *concilia*. Caeterum fistula fuit triplex, μονοκάλαμος, quam inuenit Mercurius, Homer. hymn. 1. Merc. 509. πολυκάλαμος, cuius auctor Silenus. Illam denique, quae cera glutinatur, cuius inuentio h. l. et Virg. Ecl. II, 32. Pani adscribitur, Marsyas inuenisse traditur apud Athenaeum IV. p. 184. Pani contra alii tribuunt πλαγίαυλον, i. tibiam obliquam. vid. omnino Spanhem. ad Callim. h. Dian. 245. Veram fistulae originem refert haud dubie Lucret. V, 1383. *Zephyri caua per calamorum sibila primum Agrestes*

Inter se iunctis nomen tenuisse puellae.
Talia dicturus vidit Cyllenius omnes
Succubuisse oculos, adopertaque lumina somno.
Supprimit extemplo vocem, firmatque soporem,
Languida permulcens medicatâ lumina virgâ.
Nec mora: falcato nutantem vulnerat ense,

phio et Mss. nonnullis *mansisse.* Posteriori enim loco haec lectio infert, quod ille tolli vult; nam 710. praecedit *manebit*, et h. l. *tetigisse* minus accommodatum est rei propositae, quam *tenuisse*. 710. Olim edeb. *consilium* aut *colloquium*. Iac. a Cruce suadebat *condilium*, quia in fistula multi calami, tamquam annulis, compositi fuerint. Ciofan. ex duobus Mss. proferebat *concilium*, i. societas, consuetudo, quod, cum etiam in Louan. exstaret, merito receptum est ab Heins. 711. Waddelus Animadv. Crit. p. 100 cor. *tribuisse*, vel *donasse*; et *tenuisse* ex versu 706 ortum esse putat.

docuere cauas inflare cicutas. Iam cum Musica ob insignem praestantiam diuinum opus haberetur, factum est, vt inuentio celeberrimorum instrumentorum Diis auctoribus tribueretur; et fistula quidem pastoralis Pani, Deo tutelari pastorum. Fistula autem cum sit simplicissima, neque vsus eius multum exercitationis requirat, fuit haud dubie in antiquissimis instrumentis. Plutarch. de Mus. p. 1136. — *disparibus*, scil. longitudine. Calami eo ordine collocabantur, vt breuiorem semper sequeretur longior. Res clara est ex VIII, 190 sqq. Cf. Virgil. Ecl. II, 36. vbi fistula ex septem cicutis disparibus hoc modo composita. *Compagine* vituperat Seru. ad Virg. Aen. I, 293. quasi parum latine. Sed Burm. docet h. l. etiam Manil. dixisse *compagine* pro *compage*, aut *compagibus*. — *nomen tenuisse p.* nam σύριγξ Graecis fistula.

713 *Cyllenius*, Mercurius, quem Maia in Cyllenae, montis Arcadiae, vertice peperit. Virg. Aen. VIII, 139. *permulcens medic. virga*, ῥάβδῳ θέλγων ὑπνοδώτιδι, Orph. hym. 56, 8. *medicata*, succis soporificis tincta. Virgil. Aen. VI, 420. Talis somnus, succis soporificis effectus, *medicatus* dicitur Heroidd. XII, 107. nam *medicare* omnino est succis inficere.

717 *falcatus ensis*, harpe, ἅρπη. Valer. Fl. 390. *celerem mediis in cantibus exigit harpen.* Eius vsus frequens in mythologia. Apollod. I, 1, 1. 6, 3. Tali ense et Perseus vtitur IV, 726. Sed vnde nunc Mercurio harpe? Adueniens virgam tantummodo retinuit, 675. nec itineri se accingens harpen sumserat. Ap. Apollod. lapide misso Argum interficit. Nihil definit Aeschyl. ap. quem 685 subita mors eum vita priuat. *nutantem;* tunc ceruix maxime patebat vulneri. Verba *et maculat* — *cautem* poterant omitti, qui res sponte intelligitur. Verum Iac. a Cruce sarcasmum illum poëtae, *Arge, iaces* etc. esse epitaphium putabat, quo, subito concepto, Mercurius *maculauerit* (inscripserit) sanguineis literis cautem. Antiquis *lumen cernere*, φάος δέρκεσθαι, erat viuere. Inde pendet prius sarcasmi acumen, *quodque* etc. lumen non amplius cernis, quo per tot oculos fruebaris. Vt alibi epiphonema in

Quâ collo confine caput; saxoque cruentum
Deiicit; et maculat praeruptam sanguine cautem.
Arge, iaces; quodque in tot lumina lumen habebas
Exstinctum est; centumque oculos nox occupat vna.
Excipit hos, volucrisque suae Saturnia pennis
Collocat, et gemmis caudam stellantibus implet.
Protinus exarsit, nec tempora distulit irae,
Horriferamque oculis animoque obiecit Erinnyn

719. Cum *praeruptam rupem* duriusculum Heinsio videretur, ex primo Moreti *cautem* praetulit; nec spernit *molem*, quod Patricii Iunii Cod. habet. 725. *obiectat*, quod cod. Leidens. habet, praefert Heins. ad Heroid. VIII, 59.

defunctos additur, v. c. Virg. Aen. IX, 446. sic h. l. sarcasmus, Iam poëta conuertit orationem ad Argum. *Iacere*, κεῖσθαι, dicuntur mortui.

723 Maculae in cauda pauonis ob varietatem colorum et splendorem, eleganter vocantur *gemmae stellantes*. Infra XV, 385. *quae cauda sidera portat*. Plin. H. N. X, 20. pauonibus tribuit *gemmantes colores*, et guttas in cauda vocat *oculos*. Phaedr. III. fab. 18, 8. *pictis plumis gemmea cauda*. In Argum. Lactant. Iuno Argum *in volucrem pauonem transformavit, et pennis insignibus, quibus amissa lumina indicaret, ornauit*. Cf. Martial. XIV Epigr. 85.

724—50. Duo postremi fabulae actus, quorum alter de *erroribus*, quos copiose alii recensent, verbo attingitur. — *Erinnyn* Iuno immittit etiam ap. Valer. Fl. *Cum facibus spirisque et tartareo vlulatu Tisiphonen videt*. Tum *stimulos* et Aeschyl. 603 memorat, κέντροις φοιταλέοισιν, *stimulis ad cursum excitantibus*. Ab eodem tamen vs. 568 *oestro* agitata dicitur, et vs. 687. vt et a Sophocle οἰστροπλὴξ vr. Sic et Apollod. Virg. G. III, 152 et alii. *Oestrus*, οἶστρος, pro quo tamen Latini maluerunt *asilus* dicere (Virg. d. l. 147 s. Lactant. ad Stat. Theb. I, 32), genus insectorum dipterorum est, vespis simillimorum, quae oriuntur ex bestiolis aquarilibus, Nostris *Bremsen*. Iam pecudes, cum ab iis punguntur et vexantur, grauissimos sentiunt dolores, adeo vt *furere* incipiant. Virg. d. l. 149 sqq. Hinc *oestrus* tropice dr. mox de quocunque stimulo, mox de furore, aut adeo de Furiis, quae furorem iniiciunt hominibus. vid. Munker. ad Hygin. fab. 145. Qui Io in vaccam mutatam tradiderunt, eorum plurimi *oestrum* haud dubie proprie acceperunt. Ap. Aeschyl. vero Schnetzius monet, omnino terriculamentum intelligendum esse, forte vmbram Argi, quae non oculis, sed menti Ius per interualla obiecta sit. Et Schol. ad vs. 563 tradit, illam vmbram sub specie canis terruisse iuuencam. Hygin. *formidinem* memorat, quam Furiae iniiciunt. *Pellex Argol.* Io, quae Argis oriunda pellicis vices praestiterat Ioui. vid. Valken. ad Eurip. Hipp. vs. 1303. *caecos*, occultos. *terreri* et φοβεῖσθαι, proprie dicuntur, qui a Furiis

Pellicis Argolicae, stimulosque in pectora caecos
Condidit, et profugam per totum terruit orbem.
Vltimus immenso restabas, Nile, labori.
Quem simul ac tetigit, positisque in margine ripae
Procubuit genibus, resupinoque ardua collo,
Quos potuit, solos tollens ad sidera vultus,
Et gemitu, et lacrimis, et luctisono mugitu
Cum Ioue visa queri est, finemque orare malorum.
Coniugis ille suae complexus colla lacertis,
Finiat vt poenas tandem, rogat; Inque futurum
Pone metus, inquit, numquam tibi caussa doloris
Haec erit: et Stygias iubet hoc audire paludes.
Vt lenita Dea est; vultus capit illa priores;
Fitque, quod ante fuit. Fugiunt e corpore setae:
Cornua decrescunt: fit luminis artior orbis:
Contrahitur rictus: redeunt humerique manusque;
Vngulaque in quinos dilapsa absumitur vngues.
De boue nil superest, formae nisi candor, in illâ:

726. *pectora* vnus Sixii. Caeteri *pectore*.

corripiuntur, aut furore rabieque excitantur. vid. Heyn. ad Virg. G. III, 434.

728 *labori*, laboribus. De iis v. Apollod. et multo magis Aeschyl. inde a vs. 713. quibus adde Schützii Excurs. IV. Ibi quoque *Nilus* finis errorum; vbi enim ex Aethiopia Canobum venit, pristina forma ei redditur. Cf. Heroidd. XIV, 107. *ponere genu* phrasis propria et elegans. vid. Heins. ad Claudian. VI Cons. Honor. 71. *ardua*, in sublime spectans. Virg. Aen. V, 278. *colla arduus attollens.* — Supplices brachia solent tendere; sed brachia non habebat Io, *solos* igitur etc. Similiter II, 487. *qualescunque manus* etc. Virg. Aen. II, 405. *Ad coelum tendens ardentia lumina frustra; Lumina, nam teneras arcebant vincula palmas. luctisonus*, imitans vocem lugubrem, forte ab Ouidio signatum.

738 *vultus*, formam. *setae.* Virgil. Aen. VII, 790. *Io iam setis obsita. luminis orbes*, oculi, qui etiam simpliciter *orbes* et κύκλοι dicuntur. Lactant. de Opific. Dei VIII, 16. Sophocl. Oedip. vs. 1294. vid. Sauaro ad Sidon. Ap. I, 2.

742 *vngulae* bisulcae, χηλαὶ, quales habent boues, nunc rursus scinduntur in quinos digitos. *dilapsa absumitur* suauiter pro, dilabitur, fere vt Virg. G. IV, 410. Proteus in *aquas tenues dilapsus abibit*, et Noster V, 435. *Pectoraque in tenues abeunt euanida riuos.* Non dixit in *digitos*, sed in *vngues*, quorum natura similior vngulis. *Officio pedum* exquisite pro, *pedibus*, et *contenta* habet aliquid iocosi. *Candor*, vt *nitor* vs. 552. et pulchritudinem et candidum colorem notat. Ingeniose *metuit — retentat.*

Officioque pedum Nympha contenta duorum
Erigitur; metuitque loqui, ne more iuuencae
Mugiat; et timide verba intermissa retentat.
Nunc Dea linigerâ colitur celeberrima turbâ.
Huic Epaphus magni genitus de semine tandem
Creditur esse Iouis; perque vrbes iuncta parenti
Templa tenet. Fuit huic animis aequalis et annis

746. Louan. *verba intercepta*, non inuenuste, iudice Burm. (747. *Niligena* multi codd. improbante Heins. ad h. l. et ad A. A. 1, 77.)

747 *Colitur*, in Aegypto, qua nunc ducimur a poëta, et vnde mox per Aethiopiam in regiam Solis proficiscemur. Ritus istius cultus habet Lactant. Inst. diu. 1, 21. Colitur sub nomine Isidis. *Dea celeberrima*, sola enim Isis cum Osiride per totam Aegyptum templa habebat. Herod. II, 42. Scripsit Plutarch. de his celeberrimis Aegypt. Diis peculiarem libellum. *linigera a turba*, ab Isiacis, sacerdotibus Isidis, quos Iuuenal. VI, 33. *linigerum gregem* dixit, quia non nisi lineis vestimentis induti erant. Herodot. II, 37. Caussas eius rei plures affert Plutarch. d. l. To. VII. p. 390. edit. Reisk. sed veram videtur omisisse. Isis enim haud dubie regina fuit, quae Aegyptiis *lini* vsum ostendit. vid. Goguet vom Ursprunge der Gesetze etc. To. 1. p. 129. Itaque et ipsa lineis vestimentis induta erat, et *linigera dea* dicebatur. Noster I. ex Pont. I, 51. *Epaphus* ab Aeschylo Prometh. vs. 319. vocatur, δῖος πόρτις (vitulus, i. filius) βοός. Eusebius tamen in Chronico ad a. 481. auctor est, ex Telegono, cui iuxta Apollod. postea nupsit Isis, genitum esse hunc Epaphum. vid. Burm. ad h. l. Ap. Aeschyl. Iupiter non concumbit cum Io, sed ad Nilum placide manu palpans grauidam eam reddit. ἐπαφῶν ἀταρβεῖ χειρὶ καὶ θίγων μόνον. Inde *Epaphus*. Is Graecis i. q. Aegyptiis *Apis*. Herodot. II, 153. III, 27.

FAB. IX, 750 — II, 366. *Phaethon*, Solis et Clymenes filius, cum diuinum ei genus dubium fecisset *Epaphus*, matre suadente, ad Solis regiam proficiscitur, vt certo sciat, se ab eo prognatum. Ibi pignoris loco sibi a patre petit vnum in diem moderationem currus solaris, nec vllo pacto deterreri potest ab hoc proposito. Sed vix ingressus est iter, cum equi exspatiantur, Solisque aestu terras vastant. Iupiter igitur, ne coelum quoque flammis corripiatur, fulmine misso et incendium exstinguit, et Phaëthontem vita priuat, quem Eridanus excipit. Ad sepulcrum eius sorores in arbores mutantur, vnde electra fluunt. Eodem fere modo Hesiodus fabulam in libro deperdito (vnde eam Hygin. f. 154 excerpsit) narrauerat; neque, vt ex Eustath. ad Hom. Od. p. 1689 apparet, in parentibus a Nostro dissensisse videtur, quamquam eum Hygin. nescio quo errore deceptus, tradit, Clymenum, Solis filium, patrem fuisse Phaëthontis Meropenque nympham matrem. Mox a Tragicis eadem certatim est tractata, vt Schol. Hom. ad Od. ρ, 208 obseruat; sed non nisi ex Eurip. Phaëth. pauca fragm. restant, quae in Ed. Lips. To. II p. 462 leguntur. Ex auctoribus, qui exstant, eam repe-

Sole natus Phaëthon, quem quondam magna loquentem,
Nec sibi cedentem, Phoeboque parente superbum,
Non tulit Inachides, Matrique, ait, omnia demens
Credis; et es tumidus genitoris imagine falsi.
Erubuit Phaëthon, iramque pudore repressit;
Et tulit ad Clymenen Epaphi conuicia matrem.
Quoque magis doleas, genetrix, ait; ille ego liber,
Ille ferox tacui: pudet haec opprobria nobis

tierunt Aristot. de Mirabilibus c. 82. Apollon. Rh. Arg. IV, 597 sqq. Lucret. V, 397—405. Manil. I, 733 sqq. Hygin. fab. 152 a caeteris dissentiens, Lucian. Astrol. To. V. p. 223. et copiosius in Dial. Deor. 25. vbi Iupiter Apollinem increpat, quod insipienti adolescentulo equos solares commiserit: in quibus multa Ouidianis similia. Priore loco Lucian. contendit, Phaëthontem Astronomum fuisse, qui cursum solis designarit, sed ante, quam opus perficeret, mortuus sit. Etiam Proclus ad Tim. Plat. p. 33 s. fabulam e physicis interpretatus est. Cf. et Philostr. Icon. I, 11. Noster, quae tradita acceperat, et copiosissime et eruditissime persecutus est; sed hic non minus, quam in diluvio Deucalioneo, luxurianti ingenio indulsit. Tum discerpsit fabulam ita, vt maiorem eius partem in libr. sequentem transferret. Quod olim cum moleste nonnulli ferrent, factum arbitror, vt hic secundum librum ordirentur, quae diuisio in quatuor Codd. reperitur. Seneca de Provid. 5. loca nonnulla inde laudauit ad illustrandam fortitudinem in appetenda virtute. Et potest haec fab. aeque ac Aesopica, vsum moralem habere. Ea enim monemur, ne appetamus quae supra vires nostras sunt, et vt sapientiorum hominum consiliis regi nos sinamus. Horat. IV od. 11, 25. Cf. et Eurip. fragm. III.

750 *aequalis.* VII, 658. *pares annis animisque. animis*, spiritu et superbia.

751 *magna loqui*, μεγαλαυχεῖν, μεγαληγορεῖν, gloriari, superbire. Vid. ad IX, 31. Iuuenes, cum suis nondum inclaruerunt virtutibus, de generis nobilitate rixantur.

754 *Tumere* de fastu et superbia. *falsus*, qui putatur is esse, qui reuera non est. vid. Brouckh. ad Propert. II. Eleg. 7, 43. *imago*, falsa rei repraesentatio. II, 37.

757 *Liber*, qui, neminem timens, dicit et facit, quae ipsi recta videntur. Plin. VI Ep. 8, 8. *Non feret magnum et liberum ingenium cum contumelia damnum.* — *ferox* opp. leni et placido ingenio. Cic. Sen. n. 33. *infirmitas puerorum est, ferocia iuuenum.* Adde Sallust. Cat. 38. *ille ego.* Plin. I Ep. 6, 1. *Ego ille, quem nosti*, vbi v. Corte. Ferociae iuuenis commoti non conuenit, quod olim in seqq. vulgabatur, *non potuisse refelli.* Praetuli igitur ex Mss. nonnullis *repelli.* Phaedr. I fab. 1, 9. *Repulsus ille veritatis viribus.* Cic. N. D. I, 3. *Qui admonent amice, docendi sunt, qui inimice insectantur, repellendi.* Quinctil. IV, 2, 26. *quoties crimen non repellendum tantum, sed*

Et dici potuisse, et non potuisse repelli.
At tu, si modo sum coelesti stirpe creatus,
Ede notam tanti generis, meque adsere coelo.
Dixit; et implicuit materno brachia collo;
Perque suum, Meropisque caput, taedasque sororum,
Traderet, orauit, veri sibi signa parentis.
Ambiguum, Clymene precibus Phaëthontis, an irâ
Mota magis dicti sibi criminis; vtraque coelo
Brachia porrexit, spectansque ad lumina Solis,
Per iubar hoc, inquit, radiis insigne coruscis,
Nate, tibi iuro, quod nos auditque videtque;
Hoc te, quem spectas, hoc te, qui temperat orbem,
Sole satum: si ficta loquor, neget ipse videndum
Se mihi, sitque oculis lux ista nouissima nostris.
Nec longus labor est, patrios tibi nosse penates:

759. Olim edeb. *refelli*, quod non satis conuenit ferocitati iuuenis. Burm. praetulit igitur ex optimis Codd. *referri*, quod proprium sit in iurgiis et controuersiis. Ego vero malui cum aliis Codd. *repelli*. Phaëthon enim non tam recriminari, quam *repellere*, ferociter a se amoliri illud crimen volebat. 761. *Ede.* Graevian. *Prode.* (773. *Nec longus patrios labor est* cod. Berol. et Heidelb.)

etiam transferendum erit. Burm. dederat *referri.* Sed v. Var. lect.

761 *me coelo adsere*, vindica mihi diuinam originem. *Merops*, maritus Clymenes, pater putatiuus Phaëthontis, (Trist. III, 4, 30) et rex Aethiopiae. vid. ad vs. 774. *Sororum* nomina vid. II, 346. Per harum *taedas* iugales, i. nuptias, maluit, vt aptius, quam *caput*, matrem orare.

766 *crimen*, criminatio. Gloss. explicant per ἔγκλημα, διαβολήν. H. l. insimulatio adulterii; quemadmodum stuprum ipsum saepe ap. Nostrum *crimen* dr. V. Drakenb. ad Sil. VI, 634. — Per solem iurare, eumque testem facere aut innocentiae suae, aut iniuriae alterius solebant Veteres. Infra IV, 238. Virgil. Aen. XII, 176. vid. Burm. in Ioue Fulg. XV. Et nunc quidem Clymene non poterat grauiorem veri testem dare, quam Solem, patrem ipsum, de quo dubitabatur. Commotus autem animus ex adseueratione seq. satis elucet. *Lumina solis* periphrasis solis, atque etiam *iubar* nunc est sol ipse. *quod nos audit* etc. Sol Deus πανδέρκης, πανόπτης, omnia intuens, omnia etiam exaudiens. Plin. H. N. II, 6. ex Homero Il. γ, 277. Ἠέλιός θ', ὃς πάντ' ἐφορᾷς, καὶ πάντ' ἐπακούεις. Cf. Cerda ad Virg. Aen. IV, 607. Sol *temperat orbem*, dum lucem et calorem largitur, forte et motum tribuit planetis, vicissitudinesque temporum efficit. Horat. I Od. 12, 15. Iupiter *temperat mundum*, regit.

773 *patrios penates*, patriam domum, regiam Solis, vid. ad vs. 174. Haec *vnde oritur* Sol,

Vnde oritur, domus est terrae contermina nostrae.
Si modo fert animus; gradere: et scitabere ab ipso.
Emicat extemplo laetus post talia matris
Dicta suae Phaëthon, et concipit aethera mente;
Aethiopasque suos, positosque sub ignibus Indos
Sidereis transit, patriosque adit impiger ortus.

774. *contermina.* Vossian. et vnus Basil. *confinia*, vt sit appositio.

a parte orientali, *contermina est terrae nostrae.* Apud Euripid. Phaëth. fragm. p. 462. To. 2. edit. Lips. Merops vocatur rex eius terrae, quam primam Sol exoriens illustret, et quam nigri vicini *lucidam Auroram* (ἕω Φαεννὰν) et *Solis stabula* (ἡλίου ἱπποστάσεις) appellent. Ea vero est Aethiopia, cui, quippe sub calidiore coelo sitae, vicinior est sol; nam mox *Aethiopas suos* memorat, quibus vicinos facit *Indos.* Veteres autem sub *Indorum* et *Aethiopum* nomine omnes Orientis populos complexi sunt, in australibus potissimum plagis. vid. Cuper. Obseruatt. IV, 7.

775 *fert animus*, cupis. vid. ad vs. 1. *emicat* celeritatem indicat. *Concipit* viator *mente* locum, quo tendat. *positos sub ignibus sid.* Horat. I, od. 12, 55. *subiectos orientis orae Indos.*

P. OVIDII NASONIS METAMORPHOSEON

LIBER SECVNDVS.

Regia Solis erat sublimibus alta columnis, *Phaëthon.*
Clara micante auro, flammasque imitante pyropo:
Cuius ebur nitidum fastigia summa tenebat;

1. *sublimibus alta* ταυτολόγα dicit Bothius p. 7 et cor. *apta.*

1—18 *Regia Solis*, in qua describenda Ouidius nec veteris cuiusdam poëtae loca respexit (quamquam et ap. Homer. Od. δ, 72. η, 87 regiae occurrunt auro, argento, ebore splendentes), nec obiter Apollinis templum ab Augusto in Palatio dedicatum (de quo III Trist. 1, 59 sqq. Propert. II, 23) laudare voluit; sed e partibus templorum praecipuis, *columnis, fastigiis foribusque caelatis*, eam composuit, addito insigni ornatu, qui, cum in Romanorum aedibus aurum, ebur, marmor reniteret, diuinam regiam in primis decere videbatur. Quod posterius minime approbauit Senec. Ep. 115. qui, allata hac ipsa regiae et mox currus solaris descriptione, monet, talibus augeri sacram auri famem inter homines. *columnae*, porticus, in quibus apud Veteres maxima pars magnificentiae templorum. In primis operam dabant, vt essent *sublimes*, altae. vid. Ernesti Archaeol. VIII, 10. *alta columnis*, propter columnas, vt Virg. Aen. VII, 170 *Tectum centum sublime columnis*, et Nost. Trist. d. l. *templa Apollinis gradibus sublimia celsis.*

2 *clara*, splendens. *Pyropus* nunc non est rubinus e genere carbunculorum, sed aes, cui aliquid auri arte hominum additum. Id enim, auctore Plinio 34, 8 s. 20 *ignescebat*, et, quod Isidor. lib. 19, 19 addit, *flammas imitabatur*, quam ipsam ob caussam *pyropum* (πυρωπὸν, cuius facies ignea aut rutila) dictum. Rode putat, parietes fuisse ex illo pyropo, columnas ex auro. Ouidius nihil definit, sed cuiusque ingenio liberum relinquit, metallis illis sibi exornare regiam. Tectum quidem Capitolii puro fulgebat *auro*. Senec. Controv. 1, 6.

3 *Fastigia*, ἀετοί, ἀετώματα, propria erant templorum regiarumque diuinarum, neque in aliis aedificiis ferebantur. Erant autem pinnacula, quibus, dignitatis caussa, tecta templorum elatiora (priuatarum enim aedium tecta plana erant) in cacumine exornabantur. *fastigia summa*, i. in summo tecto. vid. Ernesti Clav. Cic. h. v. Fastigia plerumque onusta erant signis. vid. Pausan. passim, in primis lib. V. p. 399 s. Sic in templi Apollinis, ab Augusto dedicati, fastigio erat aureus Solis currus. Propert. d. l. vs. 11. Itaque et h. l. *ebur* accipio de signis eburneis in fastigio collocatis. *nitidum*, candidum. *Tenere* locum dicuntur, quae in eo collocata sunt. vid. Heins. ad III Fast. 219.

Argenti bifores radiabant lumine valuae.
Materiem superabat opus: nam Mulciber illic
Aequora caelarat, medias cingentia terras,
Terrarumque orbem, coelumque, quod imminet orbi.
Caeruleos habet vnda Deos; Tritona canorum,
Proteaque ambiguum, balaenarumque prementem

Caeterum de dignitate, quam templis addunt *columnae* et *fastigia*, cf. Cic. Orat. III, 46.

4 Etiam foribus magnus addebatur ornatus; itaque semper earum fit mentio in descriptionibus regiarum. cf. Homer. Od. ζ, 19. ϱ, 267. in primisque η, 82 sqq. vbi regia Alcinoi describitur. Curabatur, vt essent εὐεργεῖς et φαειναί. *Valuae* in primis erant templorum, et complicabantur ita, vt in se ipsas intus reuoluerentur. vid. Barth. Aduers. XL, 10. Hinc *bifores valuae*, θύραι δικλίδες, διάπρισται. Valuae templi Capitolini laminis aureis obductae erant, sed hae nostrae argento. Vt hic *lumen argenti*, sic Valer. Flac. III, 100. *ferri lumen*, scil. in splendorem dati. *radiare* verbum antiquae elegantiae, iudice Broukh. ad Propert. I, 15, 7. Sed alibi fere vim actiuam habet, splendorem dare. *Materiem* (sic, non *materiam*, vid. Salmas. ad Solin. p. 328.) superabat *opus*, vt fieri solet in operibus artificiose fabricatis. *Opus* autem cum de rebus arte factis dicitur, et opponitur *materiae*, elaborationem significat, *die Arbeit daran.* Claudian. 10, 87. de regia Veneris, *Lemnius haec etiam gemmis exstruxit et auro, Admiscens artem pretio.* Expressit Nostrum Martial. VIII, 51. Artifices in foribus, clypeis, balteis aliisque operibus res memorabiles exprimere solebant; atque in istis argumentis describendis placent sibi poëtae, Homeri exemplo. In his foribus mundus vniuersus spectabatur, quem Sol luce sua collustrat. De *valuis* templorum per talia emblemata magnifice exornatis vid. Cic. Verr. IV, 56. Plin. H. N. IX, 13. Virgil. Georg. III, 26. Talia opera elaborare solebat *Mulciber* s. Vulcanus, fabrilium artium praeses et rex, qui omnia Deorum opera metallica facere solebat. *Caelatas fores* habebat etiam Capitolium. Claudian. 28, 46. Et erant *caelata* opera maximi pretii. De verbis *caelare* et τορεύειν v. Heyne in Antiqu. Aufsätzen P. II p. 130 sqq. vbi docet, illa fere semper dici de opere plastico, von erhobenen Figuren durch Form und Guss. Quamquam signa interdum et illigari solebant. De arte toreutica scripserunt etiam Quatremère et Campani.

6 Iam recenset argumentum illorum emblematum. Omnia repleta erant animantibus. *canorum*, est enim tubicen Neptuni. vid. ad I, 333. De *Proteo* locus classic. est Virg. Georg. IV, 387—450. Erat autem *Proteus* vates senex et Deus marinus, cui Neptunus curam armentorum suorum, h. e. monstrorum marinorum, tradiderat. *Ambiguum*, mutantem vultus, vt eum vocat Horat. 1 Ep. 1, 90. Varias enim formas induere solebat Proteus, ita vt modo aper esset, modo arbor, mox in aquam se extenuaret, mox ignis speciem sumeret, cf. VIII, 732 seqq. vbi eius fictionis caussam attulimus. *Transformis* vr. Fast. I, 373.

Aegaeona suis immania terga lacertis,
Doridaque, et natas: quarum pars nare videntur,
Pars in mole sedens virides siccare capillos;
Pisce vehi quaedam: facies non omnibus vna,
Nec diuersa tamen: qualem decet esse sororum.
Terra viros, vrbesque gerit, siluasque, ferasque,
Fluminaque, et Nymphas, et cetera numina ruris,
Haec super imposita est coeli fulgentis imago;
Signaque sex foribus dextris, totidemque sinistris.
Quo simul accliuo Clymeneïa limite proles
Venit, et intrauit dubitati tecta parentis;

12. *mole.* Vnus Heins. *rupe.* 13. *pisce.* Gronov. coni. *priste.*

10 Etiam *Aegaeon*, quem Dii *Briareum* vocabant, Deus marinus, Neptuni vel filius, vel secundum Hesiod. Theog. 817 s. gener, sed patre fortior; vnde ei centum brachia, in quibus sedes fortitudinis, tribuuntur. vid. Homer. Il. α, 402 seqq. Sed Virgil. Aen. X, 565. eum videtur inter Gigantas retulisse. *Premere* omnino quidem est insidere, sed nunc, vbi *lacertis* additur, malim ad habitum animalibus insidentium referre, cum demissis brachiis terga eorum tangunt, vt infra 874 Europa dorsum tauri. *Doris*, filia Oceani, coniux Nerei, mater quinquaginta Nympharum, quae a patre Nereides dicuntur. Hesiod. Theog. 240. Orph. hymn. 23. *nare videntur*, nantes cernuntur. *moles*, scopulus. *Siccare capillos* sollenne negotium Deorum marinorum, quemadmodum alii otio abundantes comam ornant. Singulis nunc actio quaedam tribuitur. *Virides Nereidum comas* etiam Horat. III od. 28, 10. Neptunus κυανοχαίτης ap. Graecos. V. ad I, 275. *Pisce*, belluis marinis, delphinis in primis, vehi solebant Nereides. V. ad XI, 237. *Facies* etc. Ingeniose et in laudem artificis. Claudian. 10, 72. de Amoribus, *mille fratres, ore pares, similes habitu.*

15 *viros*, homines. *gerit*, habet. *coeli imago*, coelum. *fulgentis*, stellati, αἰγλήεντος, ἀστερόεντος.

18 *signa* simpliciter dicuntur sidera Zodiaci, quae certarum animantium, aliarumque rerum speciem referre putantur; vnde Zodiacus ipse *signifer orbis*. Cic. Div. II, 45. Iam haec duodecim signa secat Aequator ita, vt sex sint in parte septemtrionali, totidemque in australi. Hoc igitur expresserat Vulcanus, cum dimidiam signorum partem dextris foribus addidisset, dimidiam sinistris.

19—30 Interna regiae facies. *accliuo*, quia templa in editis fere locis poni solebant. *Purpurea* veste velati, aut, epitheto veluti proprio, *purpurei* vbique reges inducuntur. Praeterea *purpureum* omnino lucidum et splendidum colorem significat. Vnde *purpureum* solis *lumen* Virg. Aen. VI, 641 et alibi. *zmaragdo* tertium inter gemmas locum tribuit Plin. H. N. XXXVII, 5. quippe cuius insignis viriditas nunquam satiet oculos, eos potius gratissime recreet.

Protinus ad patrios sua fert vestigia vultus,
Consistitque procul: neque enim propiora ferebat
Lumina. Purpureâ velatus veste sedebat
In solio Phoebus, claris lucente zmaragdis.
A dextrâ, laeuâque Dies, et Mensis, et Annus,
Seculaque, et positae spatiis aequalibus Horae;
Verque nouum stabat, cinctum florente coronâ;
Stabat nuda Aestas, et spicea serta gerebat:
Stabat et Autumnus, calcatis sordidus vuis;
Et glacialis Hiems, canos hirsuta capillos.
Inde loco medius, rerum nouitate pauentem

21. *fert.* Plurimi *vertit*, quod exemplis illustrat Heins. Sed et *ferre vestigia*, *gradus*, *pedes* bene dr. monente Burm. G. — Waddelus Anim. Crit. p. 100 sqq. hunc versum explicat: *Phaëthon, quam primum illi datus est ingressus in Solis palatium, recta versus patrem processit.* Sed hunc sensum non aptum esse monet, cum potius ob vers. seq. et 40 exspectaueris, iuuenem Solis conspectu et radiorum fulgore perculsum non vlterius progredi ausum fuisse. Sed verba *fert vestigia* indicant quidem, Phaëthonta ad Solem tetendisse; neque tamen prohibent, quo minus, cum in Solis conspectum venisset, procul steterit. Correxit autem pro *sua fert* admodum audacter *refert* i. e. retro fert. Sed dubitari potest de productione verbi *refero*. v. Schrader. Emendatt. praef. p. 43. E. — 23. Pro *Lumina* Francof. *Numina*, quod Burm. rectum putabat, quia *numen* videre nefas. Immo alterum melius. *Numen* videbat etiam procul; sed lumina propiora non ferebat. Cf. 40 s. 24. Scribendum esse *zmaragdus*, docet Brouckh. ad Propert. II, 13, 43. Et h. l. sic omnes Mss. v. Ind. s. h. v.

25 Ingeniosum figmentum, quo vicissitudines temporis, quae efficiuntur decursu Solis, sumta specie personarum circumstant, ex parte cum attributis suis, eius solium. *Ver nouum*, quia est initium anni noui. *florente*, e floribus, prouentu verno, nexa. *nudus* et γυμνὸς, dicitur etiam is, qui non nisi tunica indutus est. Sic *nudi* arabant Itali, serebant *nudi*. Virg. G. I, 299. Klotz ad Tyrtaeum p. 20. *calcatis sord. vuis* etiam Fast. IV, 897. *Calcabantur* enim vuae pedibus. Propert. III, 15, 18. *Nova pressantes inquinet vua pedes* Tibul. I, 7, 35. *sapores Expressa incultis vua dedit pedibus.* Scio quidem, *sordidum* non contemtim dici (v. ad I, 512), in regia tamen tam splendida magis mihi placeret cum Horat. Epod. II, 17. *pomis decorum caput* efferens Autumnus. *hirsuta*, incomta. *cani capilli* tribuuntur hiemi tamquam seni, et propter niues. De his anni vicissitudinibus cf. loc. longe elegantissimus XV, 201 — 13.

31 — 52 Primus patris et filii congressus. *rerum nov. pauentem*, vt Aristaeus humida matris regna ingressus ap. Virg. G. IV, 363 sqq. Verba *quibus udspicit omnia* si abessent, non desiderarentur. Sol πανδέρκης iam I, 769 memoratus.

Sol oculis iuuenem, quibus adspicit omnia, vidit;
Quaeque viae tibi caussa? quid hac, ait, arce petisti,
Progenies, Phaëthon, haud inficianda parenti?
Ille refert: O lux immensi publica mundi,
Phoebe pater, si das huius mihi nominis vsum,
Nec falsâ Clymene culpam sub imagine celat;
Pignora da, genitor. per quae tua vera propago
Credar, et hunc animis errorem detrahe nostris.
Dixerat. At genitor circum caput omne micantes
Deposuit radios, propiusque accedere iussit:
Amplexuque dato, Nec tu meus esse negari
Dignus es, et Clymene veros, ait, edidit ortus.
Quoque minus dubites, quoduis pete munus; vt illud,
Me tribuente, feras, promissis testis adesto

37. Pro *celat* meliores *velat;* quod elegantius dictum videri possit. Sed vetat praepos. *sub;* cum *velare* nudum Ablatiuum postulet. Heroidd. V, 131. *culpam nomine veles;* quamquam ibi quoque multi *celes.* 38. *genitor.* Quidam *generis,* quod probabat Viuianus, quia praecessit *pater*, et seq. *genitor.* Pro *tua* vnus Gronov. *tibi*, idque arridebat Burm. G. — 39. Bothe p. 8. cor. *animis e. d. nostri*, i. animis hominum errorem, qui circa nostram originem erratur, detrahe. Phaëthon ipse enim, vt putat V. D. de origine sua non amplius dubitare poterat. cf. v. 34. Sed cum tamen adhuc dubitasse, indicare videtur v. 36, 37. E. — 41. Heins. malebat *accedere iusso.*

37 *falsa sub imagine*, falso sub praetextu, quia Deus auctor culpae honestior. Liv. I, 14. Virgil. Aen. IV, 172. *hoc praetexit nomine culpam.*

39 *errorem*, dubium, incertitudinem. Liv. I, 24. *nominum error manet. detrahe*, exime. Cic. Tusc. IV, 11. *haec detrahenda opinio est.* Pluralis *animi* de vno. v. Burm. ad Phaedr. II, 2, 5.

40 Statim paternus animus se prodit. *Caput* illud *radiatum* in multis monumentis conspicitur. Constat autem ea corona spiculis quibusdam, plerumque duodecim pro numero mensium. Virg. Aen. XII, 162. Turno *tempora circum Aurati bis sex radii fulgentia cingunt*, *Solis aui specimen.* Istis radiis Phoebus diffundit lumen; eosdem igitur vs. 124 filio imponit. *veros ed. ortus*, veram tibi indicauit originem. *Edere* passim indicare, profiteri, vt III, 580 et saepe ap. Liuium. V. Stroth. ad I, 46. *Dis iuranda*, per quam Dii iurare solent. Etiam *iurare paludem*, omisso τῷ *per*, latinum est, vt mox vs. 101. vid. Drakenb. ad Sil. VIII, 105. Tam temere etiam Iupiter III, 290 iurat. *oc. incogn. n.* Plutonis nempe regnum tenebricosum.

Dîs iuranda palus, oculis incognita nostris.
Vix bene desierat: currus rogat ille paternos,
Inque diem alipedum ius et moderamen equorum.
Poenituit iurasse patrem, qui terque quaterque
Concutiens illustre caput, Temeraria, dixit,
Vox mea facta tuà est. Vtinam promissa liceret
Non dare! Confiteor, solum hoc tibi, nate, negarem.
Dissuadere licet. Non est tua tuta voluntas.
Magna petis, Phaëthon, et quae nec viribus istis
Munera conueniant, nec tam puerilibus annis.
Sors tua mortalis: non est mortale quod optas.
Plus etiam, quam quod Superis contingere fas sit,

(50. Waddelus Anim. Crit. p. 102 sq. cor. *temeraria dixit Vox mea fata tuà* (vel *tibi*). *Ast vtinam* etc.) 51. Burm. praefert e Caland. Exc. *vox tibi facta mea est.* 57. *fas sit.* Heins. mauult *par est* aut *sit.*

47 *Vix bene* amat Noster. cf. III, 14. Heroidd. VI, 24. VI Fast. 513. *Bene* auget notionem τοῦ *vix.* Hic quoque notatur feruidum Phaëthontis ingenium. *alipedes*, veloces, πτερόποδες, ὠκύποδες. Apud Euripid. Phaëth. fragm. p. 463. To. 2. edit. Lips. currus adeo Solis πτερόφορα ὀχήματα. vid. Morus ad Longin. 15. *Ius*, potestas in rem aliquam. Votum autem illud non abhorret a leuitate iuuenili. *Equos* solares expressos vides artificis manu in Lipperti Dactyl. I, 191. 738 sqq. Caeterum currum solarem in vnum diem sibi expetit etiam Medea apud Senec. Med. 32 sqq.

49 Apud Lucian. Dial. Deor. Phaëthon hoc moderamen suis et Clymenes precibus impetrat. *Temeraria* etc. temere ego iuraui, quoniam tu temere rogas. *Vtinam* etc. Deus enim periurus per integrum annum spiritus expers iacet, deinde per nouem alios annos societate et consuetudine Deorum ei interdicitur, Hesiod. Theog. 794.

53 — 102 Dissuasoria egregia. Argumenta dissuadendi sumta sunt ab imbecillitate petentis 54 — 62. a difficultatibus viae, 63 — 75. ab insidiis in via 76 — 83. a ferocia equorum 84 — 87. quibus, vt in peroratione, monita, preces, noua promissa addita. Ea vero omnia probabiliter tractata sunt. *tuta*, sine periculo. *istis* eum vi, tam puerilibus. *Sors*, quidquid nobis natura tribuit, vt sexus, h. l. natura. *mortale*, mortali conueniens.

57 Imbecillitatem pueri bene amplificat, comparatione cum Diis, ipso adeo Ioue, instituta. *fas sit*, possibile sit. vid. Lambin. ad Horat. I Od. 24, 20 et IV Od. 4, 22. Hinc formula, *si licet et fas est*, pro qua Noster Heroidd. XVI, 235, *qua licet et possum.* Burm. *placeat sibi* etc. Quisque caeterorum Deorum se excellere putet, quantum velit. *axe*, curru, in quo *consistebat* Apollo, vt Phaëthon vs. 151. Sic etiam in nummis repraesentatur. vid. Spanhem. ad Callim. h. Del. vs. 169.

Nescius adfectas. Placeat sibi quisque licebit;
Non tamen ignifero quisquam consistere in axe
Me valet excepto. Vasti quoque rector Olympi,
Qui fera terribili iaculatur fulmina dextrâ,
Non agat hos currus: et quid Ioue maius habemus?
Ardua prima via est; et quâ vix mane recentes
Enitantur equi: medio est altissima coelo;
Vnde mare et terras ipsi mihi saepe videre
Fit timor, et pauidâ trepidat formidine pectus.
Vltima prona via est, et eget moderamine certo:
Tunc etiam, quae me subiectis excipit vndis,
Ne ferar in praeceps, Thetys solet ipsa vereri.
Adde, quod adsiduâ rapitur vertigine coelum,
Sideraque alta trahit, celerique volumine torquet.
Nitor in aduersum; nec me, qui cetera, vincit

66. *pauida.* Vnus Heinsii *gelida.* G. — 69. *Thetis* male Gierig. ediderat pro *Tethys.* *Thetis* enim primam syllabam corripit. v. Burm. ad Anth. Lat. T. II p. 384. E. — 72. Florent. *vincat;* hinc Burm. etiam suadebat, *ne me.* G.

Curru tamen *insidens* perhibetur alibi, vt Senec. Med. 29.

61 De *feritate* fulminum, quibus *terret* gentes, cf. III, 303 sqq. et Virgil. Georg. 1, 328 sqq. *agere currum, equos, nauem,* phrases sollemnes. vid. Burm. *Et quid* etc. XI, 224. *ne quidquam mundus Ioue maius haberet.* Consilium dicentis postulabat, vt hic maiestas Iouis in luce collocaretur.

63 *prima via,* prima pars viae. *primum mundum* sic dixit Senec. Oed. 116. *recentes,* nocturna quiete recreati. Passim *integri* et *recentes* coniunguntur, atque *defatigatis* et *fessis* opp. vid. Ciofan.

65 *Pauida* otiosum quidem h. l. est, sed solent poëtae interdum vti epithetis affinibus, et idem fere notantibus, quod substantiua, quibus adduntur. Hinc *pauidus metus, muta silentia* etc. vid. Burm.

69 Infra IV, 632 *pontus Solis aequora subdit equis.* Sed pro mari *Tethys* in mythis poni solet. Haec igitur bene et excipere Solem, et vs. 156. mane demittere dr. Et nunc cum dilectu commemoratur, quia *timor* ille in primis conuenit Tethyi, amicae Phoebi.

70 *Vertigo,* circumuolutio. *Coelum* autem *rapitur assidua vertigine* ex ratione adspectabili, et opinione Veterum, quae si vera esset, tanta foret istius conversionis celeritas, quantam cogitare non possemus. Cic. Tusc. 1, 28. Bene igitur *rapitur,* quo verbo celeritas et vehementia declaratur. Coelum *sidera,* quae ei velut affixa videntur, *trahit,* secum circumagit. Senec. N. Q. VII, 10 laudat hunc ipsum versum, vt *vertiginis* vim inde comprobet, doceatque, *motum motu contrario vinci.*

72 *Nitor in aduersum,* et mox,

Dîs iuranda palus, oculis incognita nostris.
Vix bene desierat: currus rogat ille paternos,
Inque diem alipedum ius et moderamen equorum.
Poenituit iurasse patrem, qui terque quaterque
Concutiens illustre caput, Temeraria, dixit,
Vox mea facta tuâ est. Vtinam promissa liceret
Non dare! Confiteor, solum hoc tibi, nate, negarem.
Dissuadere licet. Non est tua tuta voluntas.
Magna petis, Phaëthon, et quae nec viribus istis
Munera conueniant, nec tam puerilibus annis.
Sors tua mortalis: non est mortale quod optas.
Plus etiam, quam quod Superis contingere fas sit,

(50. Waddelus Anim. Crit. p. 102 sq. cor. *temeraria dixit Vox mea fata tuâ* (vel *tibi*). *Ast vtinam* etc.) 51. Burm. praefert e Caland. Exc. *vox tibi facta mea est.* 57. *fas sit.* Heins. mauult *par est* aut *sit.*

47 *Vix bene* amat Noster. cf. III, 14. Heroidd. VI, 24. VI Fast. 513. *Bene* auget notionem τοῦ *vix*. Hic quoque notatur feruidum Phaëthontis ingenium. *alipedes*, veloces, πτερόποδες, ὠκύποδες. Apud Euripid. Phaëth. fragm. p. 463. To. 2. edit. Lips. currus adeo Solis πτερόφορα ὀχήματα. vid. Morus ad Longin. 15. *Ius*, potestas in rem aliquam. Votum autem illud non abhorret a lenitate iuuenili. *Equos* solares expressos vides artificis manu in Lipperti Dactyl. I, 191. 738 sqq. Caeterum currum solarem in vnum diem sibi expetit etiam Medea apud Senec. Med. 32 sqq.

49 Apud Lucian. Dial. Deor. Phaëthon hoc moderamen suis et Clymenes precibus impetrat. *Temeraria* etc. temere ego iuraui, quoniam tu temere rogas. *Vtinam* etc. Deus enim periurus per integrum annum spiritus expers iacet, deinde per nouem alios annos societate et consuetudine Deorum ei interdicitur, Hesiod. Theog. 794.

53—102 Dissuasoria egregia. Argumenta dissuadendi sumta sunt ab imbecillitate petentis 54—62. a difficultatibus viae, 63—75. ab insidiis in via 76—83. a ferocia equorum 84—87. quibus, vt in peroratione, monita, preces, noua promissa addita. Ea vero omnia probabiliter tractata sunt. *tuta*, sine periculo. *istis* eum vi, tam puerilibus. *Sors*, quidquid nobis natura tribuit, vt sexus, h. l. natura. *mortale*, mortali conueniens.

57 Imbecillitatem pueri bene amplificat, comparatione cum Diis, ipso adeo Ioue, instituta. *fas sit*, possibile sit. vid. Lambin. ad Horat. I Od. 24, 20 et IV Od. 4, 22. Hinc formula, *si licet et fas est*, pro qua Noster Heroidd. XVI, 235, *qua licet et possum*. Burm. *placeat sibi* etc. Quisque caeterorum Deorum se excellere putet, quantum velit. *axe*, curru, in quo *consistebat* Apollo, vt Phaëthon vs. 151. Sic etiam in nummis repraesentatur. vid. Spanhem. ad Callim. h. Del. vs. 169.

Nescius adfectas. Placeat sibi quisque licebit;
Non tamen ignifero quisquam consistere in axe
Me valet excepto. Vasti quoque rector Olympi,
Qui fera terribili iaculatur fulmina dextrâ,
Non agat hos currus: et quid Ioue maius habemus?
Ardua prima via est; et quâ vix mane recentes
Enitantur equi: medio est altissima coelo;
Vnde mare et terras ipsi mihi saepe videre
Fit timor, et pauidâ trepidat formidine pectus.
Vltima prona via est, et eget moderamine certo:
Tunc etiam, quae me subiectis excipit vndis,
Ne ferar in praeceps, Thetys solet ipsa vereri.
Adde, quod adsiduâ rapitur vertigine coelum,
Sideraque alta trahit, celerique volumine torquet.
Nitor in aduersum; nec me, qui cetera, vincit

66. *pauida*. Vnus Heinsii *gelida*. G. — 69. *Thetis* male Gierig. ediderat pro *Tethys*. *Thetis* enim primam syllabam corripit. v. Burm. ad Anth. Lat. T. II p. 384. E. — 72. Florent. *vincat*; hinc Burm. etiam suadebat, *ne me*. G.

Curru tamen *insidens* perhibetur alibi, vt Senec. Med. 29.

61 De *feritate* fulminum, quibus *terret* gentes, cf. III, 303 sqq. et Virgil. Georg. 1, 328 sqq. *agere currum*, *equos*, *nauem*, phrases sollemnes. vid. Burm. *Et quid* etc. XI, 224. *ne quidquam mundus Ioue maius haberet*. Consilium dicentis postulabat, vt hic maiestas Iouis in luce collocaretur.

63 *prima via*, prima pars viae. *primum mundum* sic dixit Senec. Oed. 116. *recentes*, nocturna quiete recreati. Passim *integri* et *recentes* coniunguntur, atque *defatigatis* et *fessis* opp. vid. Ciofan.

65 *Pauida* otiosum quidem h. l. est, sed solent poëtae interdum vti epithetis affinibus, et idem fere notantibus, quod substantiua, quibus adduntur. Hinc *pauidus metus*, *muta silentia* etc. vid. Burm.

69 Infra IV, 632 *pontus Solis aequora subdit equis*. Sed pro mari *Tethys* in mythis poni solet. Haec igitur bene et excipere Solem, et vs. 156. mane demittere dr. Et nunc cum dilectu commemoratur, quia *timor* ille in primis conuenit Tethyi, amicae Phoebi.

70 *Vertigo*, circumuolutio. *Coelum* autem *rapitur assidua vertigine* ex ratione adspectabili, et opinione Veterum, quae si vera esset, tanta foret istius conversionis celeritas, quantam cogitare non possemus. Cic. Tusc. 1, 28. Bene igitur *rapitur*, quo verbo celeritas et vehementia declaratur. Coelum *sidera*, quae ei velut affixa videntur, *trahit*, secum circumagit. Senec. N. Q. VII, 10 laudat hunc ipsum versum, vt *vertiginis* vim inde comprobet, doceatque, *motum motu contrario vinci*.

72 *Nitor in aduersum*, et mox,

Impetus; et rapido contrarius euehor orbi.
Finge datos currus. Quid agas? poterisne rotatis
Obuius ire polis, ne te citus auferat axis?
Forsitan et lucos illic, vrbesque, domosque
Concipias animo, delubraque ditia donis
Esse: per insidias iter est, formasque ferarum.
Vtque viam teneas, nulloque errore traharis;
Per tamen aduersi gradieris cornua Tauri,
Haemoniosque arcus, violentique ora Leonis,

74. Berol. cum plurimis codd. *ages*, quae lectio potior esse videtur. 78. H. Voss. incidit post *donis*, et pro *esse* probat *ecce* ex cod. Moreti. E.

rapido contr. eueh. orbi eodem redeunt. *contrarius orbi*, contra *orbem*, i. coelum. Planetae proprio quodam motu feruntur, atque paullatim ab occasu versus ortum mouentur, vt docent Astronomi. Idem Veteres putabant de Sole. vid. Macrob. Somn. Scip. 1, 18. Hygin. Poët. Astron. IV, 13. Plin. H. N. II, 8. — *Impetus* igitur, celerrima coeli circumuolutio, *qui caetera sidera vincit*, secum rapit, solem quoque rapere vult, ille vero maximo cum labore contra nititur. *Impetus* saepe de coelo. vid. Ernesti Clau. Cic. h. v.

74 Coelum mouetur circa *polos*: hi ergo sunt veluti *rotae coeli*. Iam *obuium ire rotatis polis* est i. q. paullo ante, *rapido orbi contr. euehi;* nam per *polos* nunc omnino coelum intelligemus. *Molem rotatam* habet Plin. H. N. II, 3. Claudian. V, 527. *dum rotet astra polus*, vbi Gesner. notat, pulchram esse phantasiam, quasi motus principium sit in axe illo, circa quem coelum vertitur. Itaque et Ouid. addit, *ne te citus* etc.

77 *concipias animo*, φαντάζῃ. *donis*, in quibus vasa inprimis sacra, cf. Virg. Aen. I, 446. *Formae ferarum* sunt ferae ipsae. vid. ad I, 73. *Insidiae et ferae*, ἓν διὰ δυοῖν, ferae insidiantes. Intelligunt autem sidera Zodiaci, quae certarum animantium figuras referunt. *Vt teneas*, finge te tenere. *Errore trahi* exquisitius quam *errare*.

80 Loquitur ita, vt sol omnia ista signa vno die percurrere videatur, quae non nisi integri anni spatio percurrit; in quo vtitur licentia poëtis concessa, vt tanto fortius deterreat animum Phaëthontis a proposito, vid. Alex. Tassonius in Pens. diuers. IX, 36. quem laudauit Burm. Recenset autem saeuissimas tantum formas, et ea inprimis nominat, a quibus illae metuendae sunt. *Tauri* signum sol ingrediebatur IV Kal. Maias. Manil. I, 516. *Quique sub auersi numerantur sidere Tauri*, Hygin. Astron. III, 20. *Hic Taurus auersus oritur et occidit.* Hinc Scaliger ad Manil. p. 9. contendit, et hic *auersi* legendum esse. At nunc non quaeritur, quomodo in coelum veniat et inde decedat, sed quo spectet. *Spectat* autem *ad exortum solem.* Hygin. Astron. II, 21. Igitur *aduersi* retinendum. Eo ipso terribilis erat, quod *aduersus;* contra *auersi* aduersatur consilio Phoebi.

81 *Haemonios arcus*, Sagittarium, qui fingitur *arcu* tenso, quasi mittere incipiens. *Haemo-*

Saeuaque circuitu curuantem brachia longo
Scorpion, atque aliter curuantem brachia Cancrum.
Nec tibi quadrupedes animosos ignibus illis,
Quos in pectore habent, quos ore et naribus efflant,
In promtu regere est: vix me patiuntur, vt acres
Incaluere animi; ceruixque repugnat habenis.
At tu, funesti ne sim tibi muneris auctor,
Nate, caue; dum resque sinit, tua corrige vota.
Scilicet, vt nostro genitum te sanguine credas,
Pignora certa petis: do pignora certa timendo;
Et patrio pater esse metu probor: adspice vultus
Ecce meos; vtinamque oculos in pectora posses
Inserere, et patrias intus deprendere curas!
Denique, quidquid habet diues, circumspice, mundus;
Eque tot ac tantis coeli, terraeque, marisque
Posce bonis aliquid: nullam patiere repulsam.
Deprecor hoc vnum; quod vero nomine poena,

87. *incaluere*. Palat. *intumuere*, quod placet Gebhardo Crep. I. 12. et illustratur a Burm. 92. Duo, *inspice*, quod, monente Burm. maiorem diligentiam et curam notat. Nunc vero solus *adspectus* sufficiebat. G.

nios s. Thessalicos, (vid. ad I, 568.) quia complures tradebant, hunc Sagittarium antea fuisse Centaurum. Hygin. P. A. II, 27. Centauri autem erant Thessali. *brachia*, chelae Scorpii, quae etiam *cornua* et *furcae* dicuntur. Curuat brachia *longo circuitu*, quia integri signi spatium occupabant, vs. 195 sqq. Stellae enim inter Virginem et Scorpion, quas hodie Libram vocamus, olim non erant peculiare sidus, sed tribuebantur chelis Scorpii. Hinc intelligendus Virgil. G. I, 33. *aliter*, in aliam regionem.

84 *ignibus*, *Quos* etc. Ita describuntur interdum ardentes tantum anhelitus, vnde nobilitas equorum cognoscitur. Virgil. Georg. III, 85. Lucret. V, 29. Verum equi Solis proprie dicuntur πῦρ πνέειν, vid. Cerda ad Virg. Aen. XII, 115. Hinc *afflant* apud poëtas terras eas, quibus lucem apportant. Virg. Aen. V, 739. Mox vs. 154. *hinnitus flammiferi*. — *me patiuntur*, a me regi se patiuntur. *pati* de imperio. *ceruixque repugnat habenis*; sunt ergo equi σκληροτράχηλοι, ἄστομοι. Lucian. Dial. Deor. d. I. Iupiter Apollini, ἠγνόεις τῶν ἵππων τὸν θυμὸν, ὡς δεῖ συνέχειν ἀνάγκῃ τὸν χαλινὸν; etc.

91—94 Praeclara et vere paterna sententia. *Probor*, vt VI, 208 *dubitor*.

Non honor est. Poenam, Phaëthon, pro munere, poscis.
Quid mea colla tenes plandis, ignare, lacertis?
Ne dubita, dabitur (Stygias iurauimus vndas)
Quodcunque optaris: sed tu sapientius opta.
Finierat monitus. Dictis tamen ille repugnat,
Propositumque tenet, flagratque cupidine currûs.
Ergo, quâ licuit, genitor cunctatus, ad altos
Deducit iuuenem, Vulcania munera, currus.
Aureus axis erat, temo aureus, aurea summae
Curuatura rotae, radiorum argenteus ordo.
Per iuga chrysolithi positaeque ex ordine gemmae,
Clara repercusso reddebant lumina Phoebo.
Dumque ea magnanimus Phaëthon miratur, opusque

104. *premit* Cod. Berol. Heidelb. aliique, quód probat Bothe p. 187. E. 105. *quam licuit* ex vno Moreti et Gronov. tuetur Gebhard. Sed v. Burm. G. 110. *radiabant* ex Palat. secundo aliisque probat Burm. See. ad Lotich. T. I p. 38.

99 *honor*, munus honorificum. *Styg. vnd.* deest *per.* vid. ad vs. 46.

104. *Tenet propositum*, consilium, institutum, is, qui in eo permanet, neque ab eo deterreri potest. *tenax propositi* Horat. III od. 3, 1. v. Burm.

107 Cf. Hom. Il. ε, 721—31. vbi currus Iunonis describitur. Reprehensus autem Noster est a multis propter crebram voc. *aureus* repetitionem; sed bene defenditur a Burm. optimorum poëtarum auctoritatibus, Callim. h. Apol. 32. Dian. 110. Del. 260. Virgil. Aen. I, 448. IV, 138. quibus praeiuerat Homer. Vid. etiam Victor. Varr. Lectt. XXXIII, 12. quamquam vix opus erat, exemplis aliorum munire ea, quae elegantissimo cuique per se probantur. Ita enim magnificentia currus fortius sentitur a lectore. *curuatura summae rotae*, ἴτυς, ἀψὶς, circulus rotae, in quo finguntur radii. *radiorum ordo*, exquisite pro, *radii*, qui ordine disponuntur. Ita Tibul. II, 5, 31. *arundinis ordo*. *Iugum*, lignum transuersum in extremo temone, quod collis equorum imponebatur. Id etiam in regiis curribus e pretiosa materia fieri et gemmis exornari solebant. In Darii curru *distinguebant internitentes gemmae iugum*. Curt. III, 3, 16. Et iugum equorum solarium Winkelm. in Monum. Ined. n. 43 expressum exhibet. *Chrysolithi* aureum colorem referunt, aurumque adeo coloris saturitate superant. Plin. H. N. XXXVII, 9. *Chrysolithi et* aliae *gemmae*. Simile est, Ζεὺς καὶ θεοί. vid. Bergler. ad Aristoph. Plut. init. *repercusso Phoebo*, dum radii Phoebi repercutiebantur; e copia poëtica additum. Cf. IV, 349 vbi sic *referiri*.

111 *Magnanimum*, i. qui magna appetit, Phaëthontem vocat etiam Lucret. V, 401. *generosum* Senec. de Prouid. 5. *Aurora* et ipsa

Perspicit: ecce vigil rutilo patefecit ab ortu
Purpureas Aurora fores, et plena rosarum
Atria. Diffugiunt stellae; quarum agmina cogit
Lucifer, et coeli statione nouissimus exit.
At pater vt terras, mundumque rubescere vidit,
Cornuaque extremae velut euanescere Lunae,
Iungere equos Titan velocibus imperat Horis.
Iussa Deae celeres peragunt; ignemque vomentes,
Ambrosiae succo saturos, praesepibus altis
Quadrupedes ducunt, adduntque sonantia frena.
Tum pater ora sui sacro medicamine nati
Contigit, et rapidae fecit patientia flammae;

116. In verbo *pater* mendum esse, putat Heins. quod mox sequatur *Titan*, et cor. *Vt pariter terras* etc. quod probat Bothius p. 8.

quadrigis aut bigis coeli conuexum ante Solem decurrere ab aliis poëtis fingitur. Homer. Od. ψ, 246. Virg. Aen. VI, 535. Sed h. l. nil nisi *atria* aperit, e quibus purpureum lumen in coelum effunditur. Etiam vs. 144 tantum *effulget*. *plena rosarum*, rosea. Omnia, quae Aurorae sunt, poëtis dicuntur *rosea*, *crocea* aut *punicea*. Nota est ex Homero Aurora ῥοδοδάκτυλος, ῥοδόπηχυς, κροκόπεπλος.

114 *diffugiunt stellae*, quia non amplius cernuntur prae splendore solis. Aurora διώκουσ' ἄστρα Eurip. Ion. vs. 1158. et inde *Aurora sidera fugans* apud Senec. Octau. 2. *quarum agmina cogit*, quarum vltima est stella Veneris, quae, cum antegreditur solem, Φωσφόρος, *Lucifer*, dicitur. Cic. N. D. II, 20. Cf. infra XI, 97. Senec. Herc. Fur. vs. 128. *agmen cogere* e re militari ductum. Eleganter autem stellae tam ob multitudinem, quam ob ordinem, quo dispositae sunt, cum exercitu comparantur. Hinc apud poëtas passim dicuntur *excubare*, *stationes obire* etc. Itaque Noster addit, *coeli statione nouiss. exit*, vltimus excubias in coelo deserit.

117 *extrema Luna* suauiter, quae mox eripietur oculis. Sic XII, 53. *extrema tonitrua*, quorum sonus iam fractus ad nos venit, moxque desinet. Similiter *extremus ignis*, qui in eo est, vt exstinguatur, Virg. Aen. IX, 352.

118 *Horae*, filiae Themidis, ianitrices coeli et ministrae Phoebi, quarum nomina Eunomia, Dice, Irene. Hesiod. 901. Orph. hym. 42. Alii aliter. Homer. Il. ϑ, 432 sqq. currum et equos Iunonis curant. *Ambrosia* non modo cibus Deorum, sed et pabulum equorum diuinorum. IV, 215. Cf. Homer. Il. ε, 369. Et *ambrosia* omnino sunt coelestia. *altis*, magnificentiae et dignitatis caussa, vt vs. 1. *regia alta*, vs. 105. *alti currus*. *sonantia*, quippe aurea, vt χρυσάμπυκες equi Iunonis apud Homer. Pluto contra habet *obscura tinctas ferrugine habenas*. V, 404.

122 *medicamine*, succo, vt IV, 388. VI, 140. *sacro*, diuino, coelesti. Putant h. l. respexisse Claudian. Rapt. Pros. III, 402. *arcano perfudit robora succo*, *Quo Phaethon irrorat equos*. — *contingere* pro oblinere etiam XIV, 607. Lucret. I, 937. *rapida*, vehemens. Sic *sol rapidus*, *aestus*

Impositque comae radios, praesagaque luctûs
Pectore sollicito repetens suspiria, dixit:
Si potes hîc saltem monitis parere paternis;
Parce, puer, stimulis, et fortius vtere loris:
Sponte suâ properant: labor est inhibere volentes.
Nec tibi directos placeat via quinque per arcus,
Sectus in obliquum est lato curuamine limes;

128. Olim, *volantes*, quod probat H. Voss. p. 169. 130. Hic versus postulare videtur, vt iungatur cum v. 133. Certe illud *Effugito*, quod Heins. ex Palat. pr. et sec. Basil. pr. aliisque tribus codd. reposuit, orationem turbat. Quare Bothius p. 8, 9 cum H. Vossio e codd. restituere mauult *Effugit*, vt dicat Sol, esse viam tres inter zonas medias, quae ab vtroque polo distet (*polum effugiat*); hac iter faciendum esse. Quod quidem recepimus, vt sensus certe loci congruat; sed offendit tamen *effugit polum.* Mihi totus locus ita constituendus esse videtur: *Nec tibi d. p. v. q. p. arcus; Zonarumque trium* c. fine, *polumque Effugito a. i. a. Arcton. Sectus in o. e. l. c. limes: Hac sit iter: m. r. v. cernes.*

rapidus. Virg. Ecl. II, 10. vbi Heynius monet, ductum vocab. ab iis, qui *rapido* i. incitato *curru* feruntur; quod tamen paullo altius repetitum mihi videtur. *Rapere*, vt modo monuimus, omnino et celeritatem et violentiam indicat. Igitur *rapida flamma*, quae celeriter et cum vi corpora inuadit atque absumit. cf. vs. 237. III, 374. De *radiis* illis v. ad vs. 40. Hinc Claudian. 28, 190. de Phaëthonte, *Mortalique diem sperat diffundere vultu.*

126 — 49. Praecepta, quibus praemonetur filius, qualia Phoebus etiam ap. Eurip. dederat, vt ex fragm. apparet. Summam eorum habet Lucian. Dial. Deor. Ὑπεθέμην, ὅπως μὲν χρὴ βεβηκέναι αὐτὸν, ἐφ' ὁπόσον δὲ ἐς τὸ ἄνω ἀφέντα ὑπερενεχθῆναι, εἶτα ἐς τὸ κάταντες ἐπινεύειν, καὶ ὡς ἐγκρατῆ εἶναι τῶν ἡνιῶν, καὶ μὴ ἐφιέναι τῷ θυμῷ τῶν ἵππων. *puer*, vt παῖς, pro filio. *stimulis*, κέντροις, veteres vtebantur loco scuticae aut flagelli. *fortius vtere loris*, arctis loris contine equos, vt loquitur Senec. Hipp. *volentes.* scil. properare. Saepe ita ponitur in ellipsi, vid. Heins. ad h. l. et Schegk. ad Vellei. II, 62, 3.

129 *directi quinque arcus* sunt quinque illi circuli paralleli, quibus sphaera diuiditur. *Sectus — limes*, descriptio Zodiaci, Graecis a forma Λοξὸς, obliquus, dicti. Virg. G. I, 238. *Via secta per ambas* (zonas temperatas), *Obliquus qua se signorum verteret ordo.* Totus locus optime e sphaera intelligitur. *zonarumque trium* etc. namque Zodiacus curuatur per zonam torridam, et attingit *fines* vtriusque temperatae. Loquitur autem rursus ita, quasi totus Zodiacus vno die percurrendus esset. *australem.* Eurip. fr. 7. Ἔλα δὲ μηδὲ Λιβυκὸν αἰθέρ' ἐμβαλών. *Arctos* s. Vrsa, duplex sidus in polo septentrionali, Arctos maior, constans stellis XXV, et Arctos minor, quae habet stellas VII. Haec vocatur etiam *Cynosura*, illa *Helice.* Itaque *iuncta Aquilonibus Arctos* est polus arcticus s. septemtrionalis. *rotae vestigia.* Hinc vs. 167 *tritum spatium.* Ludit ingenium Ouid. vt Heroid. 18, 133.

Zonarumque trium contentus fine, polumque
Effugit australem, iunctamque aquilonibus Arcton:
Hac sit iter: manifesta rotae vestigia cernes.
Vtque ferant aequos et coelum et terra calores,
Nec preme, nec summum molire per aethera currum.
Altius egressus coelestia tecta cremabis;
Inferius terras: medio tutissimus ibis.
Neu te dexterior tortum declinet in anguem,
Neue sinisterior pressam rota ducat ad aram:
Inter vtrumque tene. Fortunae cetera mando;
Quae iuuet, et melius, quam tu tibi, consulat, opto.
Dum loquor; Hesperio positas in litore metas
Humida nox tetigit. Non est mora libera nobis:
Poscimur. Effulget tenebris Aurora fugatis.

133. *sit* ex cod. Norico recepp. Heins. et Burm. sed *sit* ob antecedens *placeat* recte tuetur Bothius. E. — 144. *effulget*, quod primus Gronou. pro diuersa lect. habet, inde Heins. recepit, qui et suadet, *en fulget*. Caeteri, *et fulget*.

135 *moliri currum*, regere, agere currum. Virg. Aen. XII, 327. *moliri habenas*. Noster V, 367. *moliri*, i. mittere, *sagittas*; nam *moliri* de omni labore et opera vsurpatur. *premere*, iusto inferius agere.

138 *Anguis* s. draco, sidus magnum inter duas Arctos. cf. III, 45. Vocatur *tortus*, quoniam ita locatus est, vt Arcton maiorem cauda flexa, medii corporis sinu Arcton minorem includat, capiteque reducto circulum Arcticum attingat; quae forma accommodata est naturae anguium, qui se *torquendo* labuntur. vid. Hygin. A. P. III, 2. Arat. Phaenom. 45 seqq. et ex eo Virgil. G. I, 244. — *Ara*, sidus australe, attingens Scorpii caudam extremam. Vocatur etiam *θυμιατήριον*, *thuribulum*. *pressam*, quoniam pars mundi australis paullatim vergit infra ὁρίζοντα. *Neu te dexterior declinet*, *neue sinisterior rota ducat*, noli currum vel dextrorsum ad Septemtrionem, vel sinistrorsum ad australem polum agere. *tene*, nempe cursum. *Fortunae* etc. Votum sollemne, cum in rebus dubiis aliquid audendum.

142 Iam nox cedere coepit, moxque terram relinquet. *humida* ob rorem. V, 443. *pruinosae tenebrae*. *Hesperium litus*, maris Atlantici, in quo, vt soli, ita et nocti *metae*, *πέρατα*, veluti positae sunt, ad quas vbi peruenit, in mare mergitur. *metae*, termini, ad quos contendimus cursu, h. l. de horizonte occidentali. vid. Spanhem. et Ernesti ad Callim. h. Del. v. 169. *Media meta* Virg. Aen. V, 835 est vertex coeli. Metae proprie *ponuntur* aut *constituuntur*.

Corripe lora manu: vel, si mutabile pectus
Est tibi, consiliis, non curribus, vtere nostris;
Dum potes, et solidis etiamnum sedibus adstas;
Dumque male optatos nondum premis inscius axes.
Quae tutus spectes, sine me dare lumina terris.
Occupat ille leuem iuuenili corpore currum;
Statque super; manibusque datas contingere habenas
Gaudet; et inuito grates agit inde parenti.
Interea volucres Pyroëis, Eous, et Aethon,
Solis equi, quartusque Phlegon, hinnitibus auras
Flammiferis implent, pedibusque repagula pulsant.

155. *flammiferis.* Vnus Vatic. Thuan. et Leidens. pro varia lect. *fumificis*, quod Burm. non temere abiiciendum putat, quoniam *flammifer* de coelo similibusque dici soleat, *fumificis mugitibus* autem occurrat VII, 114. *fumantia equi terga* XIV, 363. et *fumantes tauros* Valer. Fl. VII, 283.

145 *Corripe.* Eurip. Phaëth. παῖς ἔμαρψεν ἡνίας. *solidae sedes*, regia, non per aërem volans, sed firmis innitens fundamentis. Eurip. Phaëth. fragm. 6. Μὴ θίγῃς ἡνιῶν, παιδίον· ἄπειρος ὢν, μηδ᾽ ἀναβῇς τὸν Δίφρον, ἐλαύνειν μὴ μαθών.

150 Hactenus pleraque fere omnia bene tractata, omnisque locus descriptionibus, orationibus, narrationibus apte distinctus atque dispositus. Iam hinc *cursus* ipse incipit, qui phantasiae poëtae latum campum praestrauit. Sed hic duo rursus vituperanda sunt; primum nimia longitudo, ad quam eum forte eruditionis ostentandae studium seduxit; tum neglectus rerum dilectus: minutias enim nonnullas intexuit, quae tantae calamitatis descriptionem dedecent. Etiam iocosius quaedam aut argutius pro re dicta sunt. — *Occupat* etc. Rode: *mit jugendlicher Kraft schwingt sich jener auf den Wagen:* quae a mente et consilio poëtae aberrare videntur. Scio quidem, currus Deorum *habiles* interdum dici, et *leues*, v. ad vs. 531. sed h. l. iunge *leuem iuuenili corpore*, propter iuuenile corpus.

153 Alii alia equis solaribus nomina imponunt. vid. Hygin. fab. 183. ibique Munker. et Spanhem. ad Callim. h. Del. 169. Pro *flammiferis* Burm. male probat *fumificis.* Loca ab eo laudata, vbi *fumantes tauri* aut *fumantia equi terga*, huc non pertinent; quidni equis ignem vomentibus (vs. 84. 119) recte tribuantur *flammiferi hinnitus*? — *Repagula*, ligna transversa, quibus ostia firmantur. Sagittarius de Ianuis Vett. p. 78. intelligit h. l. ligna, quibus equi in stabulis distinentur, ne libere excurrant. Male. Equi enim iam iuncti erant currui, et mox Tethys illa repagula repellit. Rectius sentiunt, qui putant, poëtam respexisse ad carceres in Circo.

Quae postquam Tethys, fatorum ignara nepotis,
Repulit, et facta est immensi copia mundi;
Corripuere viam, pedibusque per aëra motis
Obstantes findunt nebulas, pennisque leuati
Praetereunt ortos isdem de partibus Euros.
Sed leue pondus erat, nec quod cognoscere possent
Solis equi; solitâque iugum grauitate carebat.
Vtque labant curuae iusto sine pondere naues,
Perque mare, instabiles nimiâ leuitate, feruntur;
Sic onere adsueto vacuos dat in aëra saltus,

165. Plurimi *insueto* et *aëre.* Heinsio non displicebat, *vacuus dat saltum currus.* G. Non male Wakef. ad Lucret. VI, 550. T. III p. 306 legit et coniungit *onere adsueto vacuus: vacuos* nimis argutum. E.

156 Vid. ad vs. 69. *nepotis.* Nempe Clymene filia Tethyos et Oceani. *mundus,* coelum, vt saepe. In seqq. numeri bene accommodati sunt cursus celeritati. *Viam*, iter, *corripere*, celeriter facere. *Euri* fere excitantur sole oriente; solis enim aduenientis calore aër mouetur. *Praetereunt Euros*, proprie accipi potest, non prouerbialiter, de celerrimo volatu, vt putabat Burm. quamquam id in aliis locis valet, vbi equi hominum describuntur, vt Virg. Aen. XII, 334, 345. Manil. V, 79. et saepe apud Homer. qui tamen equos nunquam celeriores ventis, sed aeque celeres ac ventos facit, quoniam, obseruante Schol. ad Il. κ, 437. ἀνέμου θᾶσσον οὐδέν. vid. Valken. Diatrib. Eurip. p. 107. Verum hodie quidem equi Anglici venti celeritatem adeo superant: vid. Buesching. in Vorbereitung zur Geographie p. 58. n. 2. multoque celerior ex ratione adspectabili, et opinione Veterum cursus solis. Itaque et Homer. h. Solem. p. 106. Ern. hos equos celeriores facit ventis, ex emendat. quidem Valken. quem vide d. l. *pars*, regio coeli, vt saepe.

161 Leuitas corporis princeps confusionis caussa; hinc commode eam mox similitudine non male delecta illustrat. Lucian. d. l. οἱ ἵπποι ὡς ᾔσθοντο οὐκ ὄντα ἐμὲ τὸν ἐπιβεβηκότα, καταφρονήσαντες τοῦ μειρακίου ἐξετράποντο τῆς ὁδοῦ. Cf. cum omni h. l. Senec. Hippol. 1068 seqq. *cognoscere* vel sentire, vel agnoscere. Senec. d. l. *Currus non suum agnoscens onus. Iugum,* vt vs. 109. *solita grauitate.* Nempe Diis, quibus magna membra passim tribuuntur, etiam ponderosum corpus esse debebat. Hinc *grauis currus* Iouis Horat. I. Od. 12, 58. Caeterum eandem sententiam ter dixit loquaciter.

163 *labare*, nutare in vtramque partem. *pondus*, id, quod naui imponitur. *instabiles*, quae non certum et firmum cursum tenent, huc illuc iactantur a ventis. Etiam Virg. G. IV, 195. *cymbae instabiles fluctu iactante saburram Tollunt. ferri* et φέρεσθαι proprie de naue.

165 Facilius fuisset, *currus onere adsueto vacuus dat saltum,* sed magis poëticum, *saltus onere vacuos.* Cf. Homer. h. Apoll. v. 231. *ruunt.* Eurip. αἱ δ᾽ ἔπταντ᾽ ἐπ᾽ αἰθέρος πτύχας. Ibidem pater

Succutiturque alte, similisque est currus inani.
Quod simulac sensere, ruunt, tritumque relinquunt
Quadriiugi spatium, nec, quo prius, ordine currunt.
Ipse pauet; nec quâ commissas flectat habenas,
Nec scit, quâ sit iter: nec, si sciat, imperet illis.
Tum primum radiis gelidi caluere Triones,
Et vetito frustra tentarunt aequore tingui:
Quaeque polo posita est glaciali proxima serpens,
Frigore pigra prius, nec formidabilis vlli,
Incaluit; sumsitque nouas feruoribus iras.
Te quoque turbatum memorant fugisse, Boöte,
Quamuis tardus eras, et te tua plaustra tenebant.

177. Mss. nonnulli, *plaustra trahebant.*

aliquamdiu sequitur currum inclamatque filio, ἐκεῖσ' ἔλα. τῇ ῥα etc. Verba *nec — currunt* otiose addita. Apud Manil. I, 742 Phaëthon, vt maior parente videatur, sponte relinquit monstratas vias.

171 *Triones*, septem stellae clarissimae in Vrsa maiore, quas Graeci ἅμαξαν, plaustrum, Latini *septem triones* dixerunt, quia olim sub plaustri, aut septem boum, iugo iunctorum, specie comprehendebantur. *Triones* vocab. rusticum et antiquum, quo olim boues significabantur. Hygin. P. A. II, 2. Gellius N. A. II, 21. H. l. vt saepe, intelligitur Vrsa maior et minor. Virgil. Aen. I, 744. *gemini Triones.* Hi, quoniam polus septemtrionalis supra finitorem nostrum eleuatus est, nunquam occidunt, aut, sermone poëtico, nunquam *aequore tinguuntur.* Hinc suaviter Virgil. Georg. I, 246. *Arctos Oceani metuentes aequore tingui.* Sed Noster fabulam respiciens, quam mox narrabit vs. 528 sqq. *vetitum aequor* (quod imitati sunt Claudian. Rapt. Pros. II, 189. et Senec. Med. vs. 758) memorat. — Caeterum anachronismi se reum fecit poëta, quod ea hic iam sidera commemorat, quorum originem infra demum narrabit. Cuperi et Burm. rationes non sufficiunt purgando poëtae. Melius est dicere, poëtam hic, vt passim alibi, miscuisse rerum naturam et mythologiam.

173 De *serpente* vid. ad vs. 138. *pigra*, quia tarde mouetur. *frigore pigra.* Serpentes enim cum frigore rigent, venena torpent, sed, vbi incaluerunt, vim suam recipiunt. vid. Senec. Epist. XLII. Ipsum *frigus* dicitur *pigrum*, quia pigros, tardos reddit. Verum tales lusus alieni sunt tanti mali enarratione.

176 *Bootes*, sidus stellarum XIV iuxta Vrsam maiorem, quam sequitur et veluti seruat, vnde idem *Arctophylax.* Sed cum Vrsa etiam ἅμαξα, *plaustrum*, vocaretur, placuit Graecis huic quoque sideri vicino, nomen illi accommodatum imponere, vnde *Bootes*, i. boum impulsor, bubulcus. vid. Hygin. A. P. II, 4. Is vero, cum et ipse tarde moveatur, a Iuuenal. Sat. V, 23. et a Nostro III Fast. 405 *piger* ve-

Vt vero summo despexit ab aethere terras
Infelix Phaëthon, penitus penitusque iacentes;
Palluit, et subito genua intremuere timore:
Suntque oculis tenebrae per tantum lumen obortae.
Et iam mallet equos numquam tetigisse paternos;
Iamque agnosse genus piget, et valuisse rogando:
Iam Meropis dici cupiens, ita fertur, vt acta
Praecipiti pinus Boreâ, cui victa remisit
Frena suus rector, quam Dìs, votísque reliquit.
Quid faciat? multum coeli post terga relictum;
Ante oculos plus est: animo metitur vtrumque;

179. Florent. Thuan. Cantabr. sec. Palat. sec. Medic. *penitusque patentes*. 183. *Iamque agnosse*, Heins. dedit e melioribus pro, *Iam cognosse*, quod posterius tamen Bothius praefert.

catur, h. l. *tardus*, quod epitheton bene conuenit bubulcis, qui propter boum tarditatem et ipsi tardi sunt. Virg. Ecl. X, 19. *tardi venere bubulci*. cf. Propert. III, 3, 57. *turbatum* aestu et adspectu solis vicini. *tenebant*, retinebant, morabantur, quo sensu *tenere* apud Cic. et alios passim. Miror igitur, Heinsio placere potuisse, *trahebant*; nam *trahere* potius est cunctantem cum vi secum abducere, quod ab h. l. est alienissimum.

178 Nouae accedunt perturbationis caussae. *Vt vero* etc. Lucian. d. l. ἐπικύψας ἐς βάθος ἀχανὲς ἐξεπλάγη. *penitus*, profunde. Mela II, 1. *aurum terra penitus egestum*. Etiam *iacere* notionem profunditatis adiuuat, vt VIII, 750. Fallitur Farnab. cum in verbis sqq. *suntque oculis* etc. ὀξύμωρον quaerit. Satis enim constat, et experti scimus omnes, nimium lumen hebetare oculorum aciem.

183 Forte malit aliquis *cognosse*, quod ante Heins. edebatur, atque etiam in Argum. Lact. *vt patrem cognosceret*. Verum haec duo saepe permutantur. *Meropis*, scil. filius, ellipsi graeca. Flor. II, 6, 19. *Bomilcaris Adherbal. pinus*, nauis, *acta*, quae agitur, rapitur a *Borea*, cuius rabies plurimas procellas excitat. *praeceps*, qui naues praecipites dat, saeuiens, vt *praeceps Africus* Horat. I, od. 3, 12. *Eurus praeceps* Virg. G. IV, 29. *procellae praecipites* Claudian. Bel. Gild. vs. 219. *rector*, gubernator. *frena*, gubernacula. III Fast. 593. *habenae*. Solent enim nauis et currus inter se comparari, praeeunte Homero, qui gubernatorem dixit ἡνίοχον νεώς. Contra auriga ναύκληρος apud Eurip. Hipp. vs. 1224. *victa*, scil. a ventis. Verbum in hac re proprium (vid. Mariang. Accursius in Diatrib.) et elegans; venti enim veluti proelia committunt cum nauibus, et vel victores, vel victi nautarum arte discedunt. Horat. III. od. 24, 40. *Dis*, aut Diis pelagi, aut Diis tutelaribus nauis, quorum imago in puppi stabat, et quos nautae, tempestate orta, *votis* suscipiendis precibusque faciendis placare conabantur. Horat. I. od. 14, 10. Fast. III, 593. Nam *in vota miseros vltimus cogit timor* Senec. Agamemn. vs. 510. cf. Virgil. Aen. V, 235 sqq.

Et modo, quos illi fato contingere non est,
Prospicit occasus; interdum respicit ortus.
Quidque agat ignarus, stupet; et nec frena remittit,
Nec retinere valet, nec nomina nouit equorum.
Sparsa quoque in vario passim miracula coelo,
Vastarumque videt trepidus simulacra ferarum.
Est locus, in geminos vbi brachia concauat arcus
Scorpios; et caudâ flexisque vtrimque lacertis
Porrigit in spatium signorum membra duorum.
Hunc puer vt nigri madidum sudore veneni
Vulnera curuatâ minitantem cuspide vidit;
Mentis inops, gelidâ formidine lora remisit.
Quae postquam summum tetigere jacentia tergum;

189. *fato* recepit Heins. ex Bernegger. Antea vulg. *fatum.* Nonnulli *fas tum.* Vnus, *numquam ç. fas est.* 191. In vno Vatic. *Ignarusque stupet quid agat nec.* Non male. Ita *stupet quid agat*, prae stupore nescit, quid agat.

189 *non est, οὐκ ἔστι*, non licet. Cf. XI, 354. *nec nomina nouit equorum*, vt singulos voce mulcere et mitigare possit. cf. V, 402. et Senec. Hipp. vs. 1056. Etiam ap. Homer. heroës alloquuntur equos suos. Il. Θ, 184.

193 *varium coelum*, coelum variis *miraculis*, i. miris ferarum formis obsitum. Etiam Senec. Ep. 90 p. m. 684. forte ex h. l. *Quidni iuuaret vagari* (oculis) *inter tam late sparsa miracula coeli?* Infra XI, 309. *Nox coelum sparserat astris.* Enuntiunt nunc ea, quae praedixerat Apollo,

195 A polo arctico repente equi cursum flexerunt in partem australem. *concauat* exquisitius quam, curuat. De *scorpio et spatio*, quod occupat, dictum ad vs. 82. Verba *flexis vtrimque* commode abesse possent; idem enim praecedit. Apud Lucian. d. l. Phaëthon, metuens, ne excideret, remissis habenis, partem currus eminentem manibus apprehendit. Sed Ouidii figmentum melius est, cum si lubuerit formis siderum naturam terrestrium animantium tribuere.

198 Apollod. apud Plin. H. N. XI, 25. auctor est, Scorpionem fundere candidum venenum. Sed *nigrum* et *atrum* perpetuum fere epitheton veneni. Heynius autem ad Virg. Aen. VII, 354. monet, verba *madidum sudore veneni* non ita capienda esse, quasi exsudasse eum venenum crediderit, sed *sudorem veneni* poëtica et exquisita ratione dictum esse pro veneno simpliciter; *madidum* autem nihil aliud, nisi profluentem oris saniem, indicare. Sed cum poëta nunc omnia ardentia fingat, atque in omni h. l. ingenio suo luxurianti passim indulgeat, vt ad vs. 173 admonitum, quidni etiam scorpionem sudantem cogitemus, praesertim cum verba huc ducant? Scorpionis autem cauda desinit in *curuatam cuspidem*, et semper in ictu est, nulloque momento meditari cessat, ne quando desit occasioni. Plin. H. N. XI, 25. Non mirum, si *puer* hunc metuit.

Exspatiantur equi; nulloque inhibente per auras
Ignotae regionis eunt; quâque impetus egit,
Hac sine lege ruunt; altoque sub aethere fixis
Incursant stellis, rapiuntque per auia currum.
Et modo summa petunt, modo per decliua, viasque
Praecipites spatio terrae propiore feruntur.
Inferiusque suis fraternos currere Luna
Admiratur equos. Ambustaque nubila fumant.
Corripitur flammis, vt quaeque altissima, tellus;
Fissaque agit rimas, et succis aret ademtis.
Pabula canescunt; cum frondibus vritur arbos;
Materiamque suo praebet seges arida damno.
Parua queror; magnae pereunt cum moenibus vrbes;
Cumque suis totas populis incendia gentes

(202. *per oras* cor. Wakef. ad Lucret. V, 399. T. III, p. 63. coll p. 113, quoniam dicatur *aetheris ora.*) 205. Palat. sec. pro varia lect. *fixas inc. stellas*, quod elegantius videbatur Heins. et comprobatur exemplis a Burm. adsentiente Wakef. ad Lucret. l. c. 215. Duo Coelest. et vnus Ciofan. tum in ora lib. Vrs. et Capran. *terras* pro *gentes*.

204 *sine lege*, sine ordine aut imperio. Apud Lucian. d. l. currum rapiunt ἄρτι μὲν ἐπὶ τὰ λαιὰ, μετ' ὀλίγον δὲ ἐπὶ τὰ δεξιὰ, καὶ ἄνω καὶ κάτω, ὅλως ἔνθα ἐβούλοντο αὐτοί. Id Noster sic exprimit, quasi in aethere, vt in terra, *praecipitia* essent et *auia*. Hunc lusum in hac narratione non magis probo, quam illum vs. 133. *Ambusta nubila* facilius excusem, quia, Homero auctore, ardentia flumina fingere licebat. *decliua* pro *decliuia*. Sic supra *accliuus*, accliuis.

210 *Vt quaeque altissima*, scil. ita maxime corripitur; quam formam Cic. amat. Indignor autem, poëtam mox minutiis enumerandis immoratum esse, atque acumen illud admiscuisse *Materiamque* etc. quod Claudian. 33, 165 de Aetna imitatus est.

214 *moenia* sunt domus, aedificia. Florus I, 4. *moenia muro amplexus est*. vid. Gronou. Obseruat. II, 12 (et Crede Animaduu. in loca quaed. vett. poett. p. 18.) *cum suis populis gentes* vnum atque idem esse putat Ciofan. Male; *gentes* et *populi*, aut *nationes* et *populi* differunt vt totum et pars. Germani sunt *natio*, Westphali, Saxones et Bavari sunt *populi*. vid. Gloss. Ms. Guelf. 1. ad Sallust. Cat. X. Burm. praeterea monet, *gentes* saepe poni pro terris vel regionibus, idque satis docuisse Gronou. ad Liu. V, 34. Etiam apud Homer. δῆμος interdum de terra occurrit, vt Od. ζ, 3. Il. β, 547. et sic *gens* apud Virg. Aen. I, 533. Contra *terrae* pro hominibus terras incolentibus. v. Drakenb. ad Sil. III, 75. Argutatur Burm. ad Heroid. I, 24. vbi in Singul.

In cinerem vertunt. Siluae cum montibus ardent.
Ardet Athos, Taurusque Cilix, et Tmolus, et Oete,
Et nunc sicca, prius celeberrima fontibus, Ide,
Virgineusque Helicon, et nondum Oeagrius Haemos.
Ardet in immensum geminatis ignibus Aetne,
Parnasusque biceps, et Eryx, et Cynthus, et Othrys,
Et tandem Rhodope niuibus caritura, Mimasque,

220. *ignibus*, Vnus Thuan. *viribus*, quod librario non deberi monet Burm. quem vide.

cinerem plus inesse putat, quam in Plural. *cineres*.

217 Sequuntur catalogi montium, mox fluuiorum, quales intexere poëtae solent, forte eruditionis ostentandae caussa. Noster consilio narrationis satis fecisset, si paucioribus ex vtroque genere defunctus esset. *Athos*, hodie *Monte Santo*, mons Macedoniae, cuius altitudo tanta, vt cacumine nubes superet, vmbramque vsque ad Lemnum insulam iaculetur, quae abest 87 millia passuum. Plin. H. N. IV, 12. Mela II, 2, 130. *Taurus*, immensus montium altissimorum tractus, a Chelidonio promontorio exoriens et totam paene Asiam percurrens. Curtius VII, 3. Vocatur *Cilix*, quia mediam Ciliciam diuidit. Tibul. I, 7, 16. *Tmolus*, hodie *Bozdag*, mons Lydiae, vino generoso nobilis, ex quo oriebatur Pactolus, fluuius aurifer. VI, 15. Virg. G. II, 98. Plin. H. N. V, 29. *Oete* aut *Oeta*, montium iugum Thessaliam a Doride et Phocide separans, exitio Herculis nobile. Strabo IX, p. 655.

218 *Ide* aut *Ida*, mons et Cretae et Troiae. Nunc Troiana *Ida* intelligitur, fontibus abundans, vnde πολυπίδαξ Homer. Il. ξ, 283. et *aquosa*, Horat. III od. 20, 15. sed *nunc*, cum Phaëthon terras incenderet, *sicca*. vid. ad I, 321.

219 *Helicon*, mons Boeotiae, Musis sacer, vnde *virgineus*. Strabo IX, p. 409. Pausan. Boeot. 28. *Haemos*, hodie *Balkan*, longissimus et altissimus montium tractus, Thraciam a parte septemtrionali claudens, et vsque ad Pontum Euxinum procurrens. Plin. H. N. IV, 11. Is tum nondum ab *Oeagro*, rege Thraciae, patre Orphei, cuius cantibus resonuisse traditur, nomen *Oeagrii* habebat. Orph. Argon. 76. Horat. I od. 12, 6 sqq. Ita VI, 415. *Calydon nondum inuisa Dianae*, vs. 418 *neque adhuc Pittheia Troezen*.

220 Ex *Aetnae* vertice iam antiquissimis temporibus ignes erumpebant. vid. Kircheri Mundum subterr. To. I. p. 202. Nunc accedebat incendium solis, et sic *geminatis* etc.

221 De *Parnaso* vid. ad I, 317. *Eryx* hodie *San Iuliano*, mons Siciliae, in quo Venus templum habebat donis opulentum, vnde ipsa *Erycina*. vid. Aelian. V. H. I, 15. et Heynius Exc. II. ad Virg. Aen. V. *Cynthus*, Deli mons, Apollinis natalibus celebratus, qui inde *Cynthius*. Homer. hym. I, Apoll. 26. *Othrys*, mons altus et niuosus Thessaliae, sedes Lapitharum. Virg. Aen. VII, 675. Senec. Herc. Oet. vs. 494.

222 *Rhodope*, tractus montium Thraciam versus septemtriones

Dindymaque, et Mycale, natusque ad sacra Cithaeron.
Nec prosunt Scythiae sua frigora: Caucasus ardet,
Ossaque cum Pindo, maiorque ambobus Olympus;
Aëriaeque Alpes, et nubifer Apenninus.
Tunc vero Phaëthon cunctis è partibus orbem
Adspicit accensum, nec tantos sustinet aestus;
Feruentesque auras, velut è fornace profundâ,
Ore trahit, currusque suos candescere sentit.
Et neque iam cineres, eiectatamque fauillam
Ferre potest; calidoque inuoluitur vndique fumo.
Quoque eat, aut vbi sit, piceâ caligine tectus,
Nescit; et arbitrio volucrum raptatur equorum.
Sanguine tum credunt in corpora summa vocato,

disterminans, sacris Bacchi et Orphei cantibus celebratus. Virgil. Ecl. VI, 30. *tandem niuibus carit.* quibus semper tecta, *Mimas*, mons Ioniae, summae altitudinis, vnde ὑψίκρημνος Homer. Epigr. p. 117. Ern. *Dindyma* plural. et *Dindymum*, mons Phrygiae, magnae Matri Deum sacer, vnde ipsa *Dindymene.* Virgil. Aen. IX, 617. *Mycale*, mons Ioniae, Samo vicinus. Pausan. VII. p. 402. Strabo p. 636. *Cithaeron*, mons Boeotiae, non procul a Thebis, in quo *sacra* Bacchi trieterica celebrabantur. vid. III, 702.

224 *frigora*, glacies et niues, quibus *Scythia*, i. omnis terra septemtrionalis, Graecis et Romanis incognita, perpetuo torpebat. Iustin. II, 1. Inde Σκυθικὸν κρύος in prouerbium abiit. I Pont. 3, 37. Sed pulcherrimam Scythici horroris descriptionem habet Virgil. G. III, 349. *Caucasus* magnam Asiae partem diuidit et cum *Tauro* committitur. Curt. VII, 3, 19; hinc passim cum Tauro confunditur a scriptoribus antiquis. Infamis autem fuit a frigoribus et vastitate. Virgil. Aen. IV, 367. Horat. I Od. 22, 7.

225 De *Pindo* vid. ad I, 154. Dixit *Ossa cum Pindo*, quia Pindus ex aduerso Ossae. Inter *Olympum* autem et *Ossam* celeberrima Tempe, de quibus supra. *Ambos* Aelian. V. H. III, 1. init. vocat ὄρη ὑπερύψηλα, sed Olympus *maior ambobus;* tanta enim eius alitudo describitur a Veteribus, vt aues cacumen eius assequi non possint. Sed Aelian. V. H. VIII, 11. narrat, magnitudinem eius paullatim minui.

226 *Aëria*, quae in aëre sunt, aut in aërem assurgunt, vt aues, arbores, montes. *Aëriae Alpes* etiam ap Virgil. G. III, 474.

227 Catalogis illis recte aliquid interposuit de Phaëthontis fatis. *Fornax* cogitanda est aeraria aut calcaria. Virg. Aen. VIII, 446. vbi *vasta fornax*. Cf. infra VII, 107. — *arbitrio volucrum.* Hoc idem supra iam bis dixit.

235 In hoc Hesiodum secutus est, ex quo Hygin. f. 154. *Indi autem, quod calore vicini ignis sanguis in atrum colorem versus est, nigri sunt facti.* Inter recentiores physiologos magna cum dissentione disputatur, primum qua in corporis parte illa nigredo sit, aliis autem nominantibus;

Aethiopum populos nigrum traxisse colorem.
Tum facta est Libye, raptis humoribus aestu,
Arida. Tum Nymphae passis fontesque, lacusque
Defleuere comis. Quaerit Boeotia Dircen,
Argos Amymonen, Ephyre Pirenidas vndas.
Nec sortita loco distantes flumina ripas
Tuta manent: mediis Tanais fumauit in vndis,
Penêosque senex, Teuthranteusque Caïcus,
Et celer Ismenos, cum Phocaico Erymantho,
Arsurusque iterum Xanthus, flauusque Lycormas,

239. Florent. Vrbin. et decem aut duodecim alii, *queritur Boeotia*, quod Heins. praecedenti *defleuere* melius respondere putabat.

aliis humorem inter cutem et cuticulam supremam, aliis aliter sentientibus; deinde vnde illa nigredo, vtrum a solo aestu solis, an aliae quoque caussae accedant. vid. Haller. in Element. Physiol. To. V. p. 17 sqq. Schreber in allgemeiner Geschichte der Menschen p. 15 sqq. Opiniones de hac re Veterum habet Brouckh. ad Propert. IV, 3, 10.

237 *Libye* Graecis dicta est Africa. Plin. H. N. V. prooem. Imitati sunt poëtae Latini. *arida*. A Synesio Epist. 67. Libya dr. διψηρά. hinc *Libycae arenae* infra IV, 616.

239 Cf. XIII, 689. *quaerere* eleganter exprimit cupiditatem rei amissae recuperandae. Hoc non intellexerunt, quibus h. l. melius placuit *queritur*. Virg. Aen. I, 217. eodem sensu *socios requirunt*. *Dirce*, fons Boeotiae prope Thebas nobilissimus. *Amymone*, fons Argiae prope Lernam. Strabo VIII. p. 571. Nomen ei dedit Amymone Nympha. Hygin. fab. 169. Propert. II, 20, 47. *Ephyre* antiquissimis temporibus dicta est Corinthus, in cuius summa arce (Acrocorintho) fuit *Pirene*, fons Musis sacer, aquis limpidissimis et suauissimis. Strabo VIII. p. 521. Plin. H. N. IV, 4.

241 *sortita — ripas*, flumina latissima. *sortita*, quae nobis natura contigerunt. *Tanais*, hodie *Don*, flumius Scythiae tortuosus, Europam dirimens ab Asia, atque se exonerans in lacum Maeotidem. Plin. H. N. IV, 12.

243 De *Peneo* vid. I, 569. *senex* vid. ad I, 580. Ex *Teuthrania*, quae supra Aeolidem est, *Caicus* amnis profluit, quamquam h. l. potius a monte *Teuthrante*, qui ei adiacebat, *Teuthranteus* dicitur, vid. Holsten. ad Stephan. Vrbb. in Τευθρανία.

244 *Ismenus* ante Thebas per campum fluebat. Hinc Thebae Ἰσμηνοῦ πόλις. vid. Senec. Herc. Oet. 140. *Erymanthus*, Arcadiae fluuius e monte cognomine in Alpheum defluens. Plin. H. N. IV, 6. Callim. h. Iov. 18. Sed *Phocidi* nemo vnquam fluvium huius nominis tribuit. Itaque pro *Phocaico* legendum haud dubie est vel *Psophaico*, vt multi suadent, vel cum Palmero ad Pausan. Arcad. p. 419. *Psophaeo*. *Psophis* enim vrbs Arcadiae, quam praeterlabitur Erymanthus.

245 *Xanthus*, fluuius Troianus, idem Scamander dictus. *iterum arsurus*, tempore Troiano, vbi cum tumidis fluctibus in Achillem irrueret, Vulcanus tantam ei

Quique recuruatis ludit Maeandros in vndis;
Mygdoniusque Melas, et Taenarius Eurotas.
Arsit et Euphrates Babylonius; arsit Orontes,
Thermodonque citus, Gangesque, et Phasis, et Ister.
Aestuat Alpheos: ripae Spercheides ardent;
Quodque suo Tagus amne vehit, fluit ignibus, aurum.
Et quae Maeonias celebrarant carmine ripas,

(250. Vulgo *Sperchiades*; sed *Spercheides* recte probat. Burm. Sec. ad Lotich. T. I p. 182. Descendit a *Spercheos*. E.)

immisit ignis vim, vt arderet, Homer. Il. Φ, 212—384. *Lycormas*, rapidus Aetoliae fluuius, postea *Euenus* dictus, IX, 104. Vocatur *flauus*, etiam Senec. Herc. Oet. 591. ob arenam flauam, vt *flauus Tiberis* Virg. Aen. VII, 31. *aquam flauam* dixit Pacuv. vid. Brouckh. ad Propert. II, Eleg. 7, 50. qui flauum interpretatur pulchrum.

246 *Maeandros* inter Libyam et Cariam defluit, habetque flexus ita sinuosos, vt saepe remeare videatur, Plin. H. N. V, 29. Tales naturae lusus arripere solent poëtae, atque exornare suo modo. Cf. Noster VIII, 162, quo loco et ipso *ludere* de tortuoso illo cursu. *Errare* sic dixit Silius VII, 139. *Melas*. Cum plures fluuii huius nominis fuerint, disputant Interpretes, quis h. l. intelligendus sit. Heinsius contendit, esse Meletem, qui Smyrnam praeterfluit. Equidem intelligo Thracicum *Melana*. Plin. H. N. IV, 11. nam *Mygdones*, qui Phrygiae partem incolebant, eique nomen dederant, Thracia oriundi erant. Strabo VII. p. 295. XII. p. 575. *Eurotas*, hodie *Basilipotamo*, fluuius magnus et vehemens, qui Spartam praeterlabitur et non procul a nobili illo promontorio *Taenario* (hodie *Matapan*) in sinum Laconicum exoneratur.

248 *Euphrates* vocatur mox *Assyrius*, mox *Parthicus*, mox *Persicus*, aut, vt h. l. *Babylonicus*. Babyloniam non solum irrigabat, sed limo etiam, quem secum ferebat, fertilem reddebat. vid. Callim. h. Apoll. vs. 108 s. ibique Spanhem. Cic. N. D. II, 52. Curt. V, 1, 12 sqq. *Orontes*, hodie *Asi*, fluuius Syriae, Antiochiam, praeterfluens.

249 *Thermodon*, fluuius Cappadociae, iuxta quem Amazones habitabant in subiectis Themiscyriis campis. Curt. VI, 5, 24. Iustin. II, 4. cf. Propert. III, 12, 16. Senec. Herc. Fur. vs. 246. *Ganges* Indiae, e duobus, aut, vt plerique Veterum tradunt, septem fontibus exoriens, tacite defluens et in mare rubrum se exonerans. Virgil. Aen. IX, 30. Curt. VIII, 9, 5. Plin. VI, 22. vid. Brouckh. ad Propert. III, 21, 16. *Phasis*, hodie *Fasso*, Colchidis amnis clarissimus, et in Pontum Euxinum se immittens. Strabo IX. p. 801. Curt. VI, 5, 25. *Istri* nomen olim habuit non omnis Danubius, sed inde, vbi Germaniae fines deserit.

250 De *Alpheo* vid. ad V, 487. De *Spercheo* ad I, 579. *Ripae* eius populis consitae erant. *fluit aurum*. Hoc quoque leue est in hac narratione, et, quod sequitur, de cygnis calentibus.

Fluminеae volucres medio caluere Caystro.
Nilus in extremum fugit perterritus orbem,
Occuluitque caput, quod adhuc latet: ostia septem
Puluerulenta vacant, septem sine flumine valles.
Fors eadem Ismarios Hebrum cum Strymone siccat,
Hesperiosque amnes, Rhenum, Rhodanumque, Padumque,

253 *Cayster* e Cilbianis iugis oritur, non procul a Tmolo monte, Lydiam irrigat, tum Ephesum alluit, tandem in mare infunditur. Strabo XIII. p. 626. Plin. H. N. V, 29. *fluminеae volucres*, cygni, qui frequentes in toto illo Asiae tractu commorari solebant. Homer. Il. β, 460. Virgil. Georg. I, 383 sqq. Dionys. Alex. vs. 833. Inde κύκνος Καΰστρου Anacr. hym. Apol. vs. 8. Amant autem cygni *flumina*. vid. vs. 379. *Maeonias*, Lydias Caystri *ripas*. Callim. h. Del. vs. 250. cygni dicuntur *Maeonium Pactolum* reliquisse. *Maeonia* enim pars superior Lydiae, in qua Tmolus et fons Caystri. vid. Spanhem. ad Callim. d. l. *carmine*, cantu, vt X, 453. cf. V, 386 s. *celebrare carmine*, frequentes cantus exercere. Cantus vero cygnorum longe suauissimus perhibetur, vnde haec auis Apollini sacra et μελῳδὸς dicta. Dubitarunt tamen iam inter Veteres nonnulli, v. c. Aelian. V. H. I, 14. an cygni cantum edant; sed vid. Ernesti ad Callim. h. Apoll. vs. 5. vbi Vidalinus narrat, se in Islandia non raro cantum cygnorum longe suauissimum summa cum voluptate audiuisse, illud modo negat, eos morti vicinos canere.

254 Brouckh. ad Propert. II. 13, 40. monet, Veteres per *extremum orbem* intellexisse Aegyptum, quam in rem laudat etiam hunc loc. Male vtrumque. Etenim omnes terras aut remotissimas, aut Oceano conterminas, Romani *extremum* aut *vltimum orbem* dixerunt, v. c. Indiam, Amorr. II, 6, 38. Pontum, I Trist. 1, 127. III, 1, 50. Hispaniam, Lucan. VII, 541. Neque hoc ipso loco Aegyptus intelligenda est, sed Aethiopia, vnde in Aegyptum *Nilus* profluit. Etiam Aeschyl. Prom. 815 Aethiopiam vocat τηλουρὸν γῆν, vbi v. Schuetz. Sed Veteribus ignoti erant fontes Nili, vnde, *occuluit caput, quod adhuc latet:* quibus verbis expressit Tibul. I, 7, 23. Fontem Nili quaerere olim inter magna problemata relatum. Nostris temporibus Bruce penetrauit ad tres eius fontes in Abyssinia. *Caput* fluuii est fons, non ostium, vt quidam putarunt. De *septem ostiis* vid. Strabo XVII. init. Hodie duo tantum restant nauigabilia, quorum alteri adiacet Rosette, olim Canopus, alteri Damiate, olim Pelusium. *vacant*, vacua, destituta sunt aquis.

257 *Hebrus* et *Strymon*, fluvii Thraciae, qui in mare Aegaeum defluunt, hic e Pangaeo monte, ille ex Haemo. *Ismarios*, i. Thracicos; nam *Ismarus* mons Thraciae, vino nobilis. — *Hesperiam*, i. terram occidentalem, dixerunt Romani non modo Hispaniam et Galliam, sed etiam, consuetudine Graecorum, ipsam Italiam. vid. Spanhem. ad Callim. h. Del. vs. 174. *rerum potentia*, imperium orbis terrarum, quod promissum est Romae ad *Tiberim* sitae; sed poëtae fluuiis tribuunt, quae vrbibus adiacentibus conueniunt.

Cuique fuit rerum promissa potentia, Thybrin.
Dissilit omne solum; penetratque in Tartara rimis
Lumen, et infernum terret cum coniuge Regem.
Et mare contrahitur; siccaeque est campus arenae,
Quod modo pontus erat: quosque altum texerat aequor,
Exsistunt montes, et sparsas Cycladas augent.
Ima petunt pisces; nec se super aequora curui
Tollere consuetas audent delphines in auras.
Corpora phocarum summo resupina profundo
Exanimata iacent. Ipsum quoque Nerea fama est,
Doridaque, et Natas, tepidis latuisse sub antris.

268. Heins. dederat *Exanim. natant;* sed *iacent* reuocauit Burm. Ille etiam *antris* pro *vndis* ex melioribus recepit.

260 Adumbratum hoc ex Virg. Aen. VIII, 243—46, vbi dehiscens terra recludit regna pallida, *trepidantque immisso lumine Manes.* Idem Noster repetit V, 356. cf. Homer. Il. υ, 61 sqq. *Coniugem*, Proserpinam, infra demum rapiet.

264 *Exsistunt*, in conspectum prodeunt, apparent, propria vi verbi. vid. Gronou. ad Liu. XXV, 21. In fundo maris multi montes surgunt, et insulae nil aliud sunt, nisi cacumina montium. Manil. d. l. *Emersere fretis montes, orbisque per vndas Exsiliit.* Etiam h. l. vnus Vatic. atque vnus Leidens. *exsiliunt montes. Sparsae* h. l. *Cyclades*, quamquam *Sporades* i. sparsae insulae ab his diuersae.

265 E monstris marinis poëtae plerumque *phocas* et *delphinos* commemorant. De *phocarum corporibus* diximus ad I, 300. *Delphis* Veterum Linneo dicitur *Delphinus Delphis*, Nostris *der Tummler. curui*, ob dorsum repandum. Anacr. od. 49, 27. χορὸς ἰχθύων κυρτός. Solent autem delphini crebro e mari exsilire, atque natantes exsultare, vnde χορευταὶ et saltatores dicuntur. cf. III, 670 sqq. vid. Plin. H. N. IX, 8. et Müllerus ad Linnei Systema Nat. To. I. p. 505. *Iacere* dicuntur cadauera sine sepultura abiecta, vt monet Burm. Idem putat, totum mare euanuisse, et *summum profundum* explicat arenam non aquis tectam, sed siccam. Fallitur. Mare contractum modo erat, et in superficie aquae iacebant exanimata *resupina*, vt solent corpora mortua in aqua natare.

269 *sub antris*, in antris. vid. ad I, 689. In fundo autem maris *antra* finguntur, in quibus Dii marini habitant. Primus *Neptunus* caussam mundi agere voluit, quia frater Iouis. *Toruus* vultus passim ei a poëtis tribuitur propter maris naturam. Nunc etiam dolor ex aestu vultum obducebat. *Brachia exserere,* nempe orandi caussa. Etenim oratoribus Romanis ad dicendum prodeuntibus sollemne erat *brachium extra togam exserere.* Senec. Contr. V, 6. Quinctil. XI, 3. *ter* melius repetitum, quam si *numquam* dixisset. G.— *Brachia cum toruo vultu aquis exserere* potius est, ex mari prodire, vt contra hunc solis aestum mundi caussam ageret. E.—

Ter Neptunus aquis cum toruo brachia vultu
Exserere ausus erat: ter non tulit aëris aestus.
Alma tamen Tellus, vt erat circumdata ponto,
Inter aquas pelagi, contractosque vndique fontes,
Qui se condiderant in opacae viscera matris,
Sustulit omniferos collo tenus arida vultus;
Opposuitque manum fronti; magnoque tremore
Omnia concutiens paullum subsedit, et infra,
Quam solet esse, fuit; siccàque ita voce locuta est:
Si placet hoc, meruique; quid ô tua fulmina cessant,

273. *contractos* pro *contractosque* inuexit Heins. vt aquas pelagi innuat constare ex fontibus vndique contractis; sed recte id improbat Bothius, cum H. Vossio. 275. *Omniferos.* Quoniam nonnulli *omniparens*, propterea Heins. coni. *omniparos*, idque ex analogia comprobat. (Bothius e tribus Heins. codd. *horriferos* praefert; quod vultibus terrae melius conueniat. Vid. not.) 278. *siccaque* exstat quidem non nisi in Vrbin. et vno Giosan. sed recte receptum ab Heins. pro *sacraque*.

272 Post illum *Tellus* prodit, quae erat pars illius calamitatis maxima; mater etiam laborantium fontium, qui, vt liberi tempore calamitoso in sinum matris, in *opaca* (vbi tuti) eius viscera confugerant. Praeclara idea. Non autem *tellus* ipse orbis terrarum intel. sed Dea telluris in terris habitans, vt v. c. *Peneus* est Deus Penei fluuii, in fonte eius sedem habens. Tellus vero non ausa est tota prodire, sed tantum ex aquis, quibus cincta, prospectare, vultusque tollere. Exseruit quidem et *manum*; eam vero non mouere inter dicendum potuit, sed, vt oculos ab aestu et fauilla defenderet, *opposuit fronti.* Et quoniam ne sic quidem aestum ferre poterat, *subsedit*, subsidere fecit terram, quamquam *paullulum* tantum, ne longius abesset ab arce Iouis, quicum agere volebat. Hinc *magnus tremor.* Ita labor Telluris et cura in maximo malo bene notata. *Alma*, omnia alens, proprium et aptum terrae epitheton. *vt erat*, ὡς εἶχε, exprimit statum aut habitum, quo quis erat. IV, 473. *canos, vt erat turbata, capillos.* VI, 237. *vt erat pronus.* 244. *sicut erant iuncti.* Mox reuocandum putauí, *contractosque*, ab Heinsio pulsum. Non enim innuit, aquas pelagi constare ex fontibus, sed omnis generis aquas commemorare vult.

275 Vt Autumno ab Horatio *caput pomis decorum*, sic Telluri a Nostro *omniferi vultus* dantur. *omniferos*, vocab. ab ipso Ouidio factum, aptum tamen terrae πανδώρῳ et παμμήτορι, quae *omnia*, quibus indiget natura humana, *fert* et alit. Lucretio dicitur *omniparens.* *Opposuitque* etc. Silius XIII, 341. *Obtendensque manum solem inferuescere fronti Arcet.* *sicca vox*, quae venit é gutture sicco. Hoc et magis poëticum, et h. l. aptius, quam vulg. *sacraque.* X, 663 *aridus anhelitus.*

279 Non suppliciter orat, sed tota est in indignitate rei de-

Summe Deûm? liceat perriturae viribus ignis
Igne perire tuo, clademque auctore leuare.
Vix equidem fauces haec ipsa in verba resoluo,
(Presserat ora vapor) tostos en adspice crines,
Inque oculis tantum, tantum super ora fauillae.
Hosne mihi fructus, hunc fertilitatis honorem
Officiique refers; quod adunci vulnera aratri,
Rastrorumque fero, totoque exerceor anno?
Quod pecori frondes, alimentaque mitia, fruges,
Humano generi, vobis quod tura ministro?
Sed tamen exitium fac me meruisse: quid vndae,
Quid meruit frater? cur illi tradita sorte
Aequora decrescunt, et ab aethere longius absunt?
Quod si nec fratris, nec te mea gratia tangit;

281. Bothius cor. *leuari*, vt vitetur frequens in hoc versu litera *e*. 284. Ita recte vetustiores. Olim edeb. *Inque oculis fumum: volitant super ora fauillae.* Verum de *fumo* in tanto malo vix questa esset Tellus. Heins. suadebat, *Inque oculis fumi tantum, tantumque fauillae.* Satis aspere. Nempe ille *ora* ferre nolebat, quia idem voc. praecessit. At Ouidius millies intra paucos versus idem voc. repetit. 286. *adunci.* Multi, *curui.*

monstranda, Iouisque negligentia incusanda. Inest aequabile et gratum orationibus flumen. Haec compensant luxuriem ingenii, quae in superioribus aliquoties ostendit. Prima verba quasi captationem beneuolentiae quandam habent. *merere* malo sensu pro *peccare*, etiam vs. 291. v. Heynii Obs. ad Tibul. II, 4, 5. *Vires* saepe et igni tribuuntur, et pro ignibus ponuntur, VII, 81. XIII, 868. Hinc h. l. periphrasin facit, vt XIV, 274. *vis meri.* Similia ap. Graecos. *clades leuatur*, tolerabilior redditur, *auctore*, quando aut a magno et illustri viro, aut, vt h. l. a Deo infertur. Burm. *leuare*, minuere, vt III, 338.

283 *Premere*, opprimere, claudere. Virg. Aen. VI, 155. *pressoque obmutuit ore.* Multum valet ad mouendos alios, si, quae dicimus; eorum oculis subiicere possumus. Hinc *en adspice*, et mox *circumspice*, atque *en Atlas.* Non *cineris* dicit, sed, quod grauius, *fauillae*, cineris mixti scintillis igneis. *honor*, praemium. Saepe sulci cum *vulneribus* comparantur, et hoc quidem loco commodissime. Acerbius etiam Plin. H. N. II, 63. *Ferro, ligno, igne, lapide terra omnibus cruciatur horis. Nisi tamen, quae summa patiatur atque extrema cute, tolerabilia videntur. Penetramus in viscera* etc. De *rastrorum* grauitate v. ad I, 101. *Exercere* bene de agricultura, atque etiam molestiae notionem inuoluit. *tura*, quorum cura maxime tangebat Deos. I, 248.

291 *tradita sorte*, quae adeo summo iure ei debentur. *et ab aethere* etc. quatenus decreuerant.

Ter Neptunus aquis cum toruo brachia vultu
Exserere ausus erat: ter non tulit aëris aestus.
Alma tamen Tellus, vt erat circumdata ponto,
Inter aquas pelagi, contractosque vndique fontes,
Qui se condiderant in opacae viscera matris,
Sustulit omniferos collo tenus arida vultus;
Opposuitque manum fronti; magnoque tremore
Omnia concutiens paullum subsedit, et infra,
Quam solet esse, fuit; siccàque ita voce locuta est:
Si placet hoc, meruique; quid ô tua fulmina cessant,

273. *contractos* pro *contractosque* inuexit Heins. vt aquas pelagi innuat constare ex fontibus vndique contractis; sed recte id improbat Bothius, cum H. Vossio. 275. *Omniferos*. Quoniam nonnulli *omniparens*, propterea Heins. coni. *omniparos*, idque ex analogia comprobat. (Bothius e tribus Heins. codd. *horriferos* praefert, quod vultibus terrae melius conueniat. Vid. not.) 278. *siccaque* exstat quidem non nisi in Vrbin. et vno Giofan. sed recte receptum ab Heins. pro *sacraque*.

272 Post illum *Tellus* prodit, quae erat pars illius calamitatis maxima, mater etiam laborantium fontium, qui, vt liberi tempore calamitoso in sinum matris, in *opaca* (vbi tuti) eius viscera confugerant. Praeclara idea. Non autem *tellus* ipse orbis terrarum intel. sed Dea telluris in terris habitans, vt v. c. *Peneus* est Deus Penei fluuii, in fonte eius sedem habens. Tellus vero non ausa est tota prodire, sed tantum ex aquis, quibus cincta, prospectare, vultusque tollere. Exseruit quidem et *manum;* eam vero non mouere inter dicendum potuit, sed, vt oculos ab aestu et fauilla defenderet, *opposuit fronti.* Et quoniam ne sic quidem aestum ferre poterat, *subsedit*, subsidere fecit terram, quamquam *paullulum* tantum, ne longius abesset ab arce Iouis, quicum agere volebat. Hinc *magnus tremor.* Ita labor Telluris et cura in maximo malo bene notata. *Alma*, omnia alens, proprium et aptum terrae epitheton. *vt erat*, ὡς εἶχε, exprimit statum aut habitum, quo quis erat. IV, 473. *canos, vt erat turbata, capillos.* VI, 237. *vt erat pronus.* 244. *sicut erant iuncti.* Mox reuocandum putaui, *contractosque*, ab Heinsio pulsum. Non enim innuit, aquas pelagi constare ex fontibus, sed omnis generis aquas commemorare vult.

275 Vt Autumno ab Horatio *caput pomis decorum*, sic Telluri a Nostro *omniferi vultus* dantur. *omniferos*, vocab. ab ipso Ouidio factum, aptum tamen terrae πανδώρῳ et παμμήτορι, quae *omnia*, quibus indiget natura humana, *fert* et alit. Lucretio dicitur *omniparens. Opposuitque* etc. Silius XIII, 341. *Obtendensque manum solem inferuescere fronti Arcet.* *sicca vox*, quae venit é gutture sicco. Hoc et magis poëticum, et h. l. aptius, quam vulg. *sacraque.* X, 663 *aridus anhelitus.*

279 Non suppliciter orat, sed tota est in indignitate rei de-

Summe Deûm? liceat perituras viribus ignis
Igne perire tuo, clademque auctore leuare.
Vix equidem fauces haec ipsa in verba resoluo,
(Presserat ora vapor) tostos en adspice crines,
Inque oculis tantum, tantum super ora fauillae.
Hosne mihi fructus, hunc fertilitatis honorem
Officiique refers; quod adunci vulnera aratri,
Rastrorumque fero, totoque exerceor anno?
Quod pecori frondes, alimentaque mitia, fruges,
Humano generi, vobis quod tura ministro?
Sed tamen exitium fac me meruisse: quid vndae,
Quid meruit frater? cur illi tradita sorte
Aequora decrescunt, et ab aethere longius absunt?
Quod si nec fratris, nec te mea gratia tangit;

281. Bothius cor. *leuari*, vt vitetur frequens in hoc versu litera e. 284. Ita recte vetustiores. Olim edeb. *Inque oculis fumum: volitant super ora fauillae.* Verum de *fumo* in tanto malo vix questa esset Tellus. Heins. suadebat, *Inque oculis fumi tantum, tantumque fauillae.* Satis aspere. Nempe ille *ora* ferre nolebat, quia idem voc. praecessit. At Ouidius millies intra paucos versus idem voc. repetit. 286. *adunci.* Multi, *curui.*

monstranda, Iouisque negligentia incusanda. Inest aequabile et gratum orationibus flumen. Haec compensant luxuriem ingenii, quae in superioribus aliquoties ostendit. Prima verba quasi captationem beneuolentiae quandam habent. *merere* malo sensu pro *peccare*, etiam vs. 291. v. Heynii Obs. ad Tibul. II, 4, 5. *Vires* saepe et igni tribuuntur, et pro ignibus ponuntur, VII, 81. XIII, 868. Hinc h. l. periphrasin facit, vt XIV, 271. *vis meri.* Similia ap. Graecos. *clades leuatur*, tolerabilior redditur, *auctore*, quando aut a magno et illustri viro, aut, vt h. l. a Deo infertur. Burm. *leuare*, minuere, vt III, 338.

283 *Premere*, opprimere, claudere. Virg. Aen. VI, 155. *pressoque obmutuit ore.* Multum valet ad mouendos alios, si, quae dicimus; eorum oculis subiicere possumus. Hinc *en adspice*, et mox *circumspice*, atque *en Atlas.* Non *cineris* dicit, sed, quod grauius, *fauillae*, cineris mixti scintillis igneis. *honor*, praemium. Saepe sulci cum *vulneribus* comparantur, et hoc quidem loco commodissime. Acerbius etiam Plin. H. N. II, 63. *Ferro, ligno, igne, lapide terra omnibus cruciatur horis. Nisi tamen, quae summa patiatur atque extrema cute, tolerabilia videntur. Penetramus in viscera* etc. De *rastrorum* grauitate v. ad I, 101. *Exercere* bene de agricultura, atque etiam molestiae notionem inuoluit. *tura*, quorum cura maxime tangebat Deos. I, 248.

291 *tradita sorte*, quae adeo summo iure ei debentur. *et ab aethere* etc. quatenus decreuerant.

At coeli miserere tui. Circumspice vtrumque;
Fumat vterque polus: quos si vitiauerit ignis,
Atria vestra ruent. Atlas en ipse laborat,
Vixque suis humeris candentem sustinet axem.
Si freta, si terrae pereunt, si regia coeli:
In chaos antiquum confundimur. Eripe flammis,
Si quid adhuc superest; et rerum consule summae.
Dixerat haec Tellus: neque enim tolerare vaporem
Vlterius potuit, nec dicere plura: suumque
Retulit os in se, propioraque manibus antra.
At pater omnipotens Superos testatus, et ipsum,
Qui dederat currus, nisi opem ferat, omnia fato
Interitura graui; summam petit arduus arcem,
Vnde solet latis nubes inducere terris:
Vnde mouet tonitrus, vibrataque fulmina iactat.
Sed neque, quas posset terris inducere, nubes

294. Burm. maluit ita distinguere: *Circumspice vtrumque (Fumat vterque) polum.* 295. Anachronismum in verbis *Atlas laborat* deprehendit V. D. in Misc. Obss. Vol. II p. 30. coll. IV, 650. 301. *neque iam* cor. Bothe p. 13.

295 *vitiauerit*, violauerit. *Atria* vid. ad I, 172. et de *Atlante* IV, 656 seqq. *Laborare* eleganter de iis, quae ita premuntur, vt vix oneri ferendo sufficiant. Horat. I od. 9, 3. *siluae laborantes*, nempe niue. Plin. pan. 22. *tecta laborantia* multitudine hominum insistentium.

299 *Confundimur* exquisitius, quam, redimus, reuoluimur. *Si quid* non semper dubitantis est, sed eleganter pro *quod* ponitur. Vid. ad Plin. I Ep. 1. *rerum summae*, incolumitati totius vniversi. Sic *summa reipublicae* saepe apud Cic. vid. Ernesti Clav. Cic. *Os suum* Tellus Dea *retulit in se*, in orbem terrarum. Ciofan. putabat, hoc ductum esse a volumine serpentis!

304 *Testatur* Deos, quippe necaturus infelicem aurigam. *summam arcem*, altissimam mundi oram, petit, et sic *arduus erat*. *mouet* excitat. *vibrata*, agitata, hastae instar. His agitationibus acceleratur iactus teli aut fulminis. Mox *libratum fulmen* eodem sensu; nam *librare* pr. de motu manus, quo exploramus pondera. Similes autem motus faciunt, qui magna vi proiicere aliquid volunt. cf. Arnzen. et Schwarz. ad Plin. paneg. XIII. *libratum ab aure* cum vi pingendi. Iacula enim mittuntur vel ab aure, vel a latere. vid. Cerda ad Virg. Aen. IX, 417. vbi, *summa telum librabat ab aure.* Noster infra vs. 624. *malleus dextra libratus ab aure.* Senec. de Benef. II, 6. *Infinitum interest, vtrum excusso lacerto tela torqueantur, an remissa manu effluant.* (Wakef. ad Lucret. II, 525. T. I p. 253 *vibrata fulma* explicat *se vibrantia, tremula, nictantia*, media verbi vi.)

Tunc habuit; nec, quos coelo dimitteret, imbres.
Intonat, et dextrâ libratum fulmen ab aure
Misit in aurigam; pariterque animâque rotisque
Expulit; et saeuis compescuit ignibus ignes.
Consternantur equi; et saltu in contraria facto
Colla iugo eripiunt, abruptaque lora relinquunt.
Illic frena jacent, illic temone reuulsus
Axis, in hac radii fractarum parte rotarum;
Sparsaque sunt latè laceri vestigia currus.
At Phaëthon, rutilos flammâ populante capillos,
Voluitur in praeceps, longoque per aëra tractu
Fertur; vt interdum de coelo stella sereno,
Etsi non cecidit, potuit cecidisse videri.
Quem procul à patriâ diuerso maximus orbe
Excipit Eridanus, fumantiaque abluit ora.

313. *Expulit.* Olim ed. *Exuit*; quod et plurimi Codd. habent; de quo v. Burm. ad Anth. Lat. T. II, p. 271. Alterum, vt et Burm. monuit, maioris est impetus et violentiae. ibid. Coelest. Farnes. vnus Thuani, *saeuos.* 315. Mss. multi, *iugo excutiunt*, quod, vt fortius, Ciof. Farnab. et Heins. placuit. Burm. contra monet, recte quidem dici *collis iuga excutere*, non autem *colla iugo*; atque etiam Senec. Hipp. 1084, vbi Nostrum imitatur, scripsisse, *seque luctantur iugo Eripere.* 318. Burm. aures ingrato sono *late laceri* offendebantur; quapropter cum Mss. nonnullis malebat *laceri late.* Sed v. ad I, 299.

312 *Expulit anima*, vita priuauit, et *rotis*, curru deiecit. *Animam expellere* est infra VI, 618. Durum quidem est *anima expellere*, ferendum tamen in poëta, praesertim cum *rotis* addatur. Saepe enim duobus diuersis nominibus vnum verb. sic accommodatur. Similiter autem fere locutus est Plin. VIII Ep. 4. *pulsum regia, pulsum vita.* *saeui ignes*, Iouis fulmina, vt IV Trist. 3, 69. Male igitur h. l. quidam *saeuos.*

316 Lucian. d. l. Κατέαγε ὁ ῥυμὸς, καὶ ἄτερος τῶν τροχῶν συντέτριπται. *Rutili* (*goldgelbe*) *capilli*, quales, Tacito auctore, Germani prisci habebant, ponebantur apud Veteres in magna parte pulchritudinis. Dicuntur etiam *flaui*, graec. ἡλιῶσαι et χρυσαῖ τρίχες. vid. H. Stephan. ad Anacr. od. 29, 5. *Volui* de decidente etiam VI, 238. Virg. Aen. I, 116. *in praeceps*, in caput, prono capite. *stella* etc. cf. Callim. h. Del. vs. 38. Huiusmodi ignes in aëre emicantes, Graecis dicebantur διάττοντες, Senec. Nat. Quaest. II, 14. *stellae transuolantes.* *potuit cec. videri.* Respexit fortasse Aristot. Meteor. I, 4. vbi huiusmodi ignes vocantur δοκοῦντες ἀστέρες διάττειν. Cum tali stella etiam ap. Homer. Il. δ, 75. Mineruae delapsus comparatur. Phaëthontis casum in Winkelmanni Monum. Ined. n. 43 expressum vides.

323 *Diuersus orbis*, pars orbis terrarum opposita, nempe se-

Naïdes Hesperiae trifidâ fumantia flammâ
Corpora dant tumulo, signantque hoc carmine saxum:
HIC SITVS EST PHAETHON, CVRRVS AVRIGA PATERNI;
QVEM SI NON TENVIT, MAGNIS TAMEN EXCIDIT AVSIS.
Nam pater obductos, luctu miserabilis aegro,

329. Cod. Berol. et plurimi alii *iam pater*, quod praefert H. Voss. Wakef. ad Lucret. III, 918 T. II p. 149 coll. Silv. Crit. P. V p. 11. cor. *obductos luctu, miserabilis aegros C. vultus;* offensus dictione *aeger luctus.*

ptemtrionalis. *Eridanum* excepisse Phaëthonta, Veteres constanter tradunt, nisi quod Aristot. de Mirabb. 82. lacum aquis feruidis aestuantem iuxta hunc fluuium nominat. Antiquissimis Graecis *Eridanus* erat in margine Europae occidentali, in Oceanum septemtrionalem se exonerans, ad cuius ostium electrum reperiebatur, et a quo non procul insulae aberant stannum mittentes. Rhenum eos intellexisse Vossius ad Virg. G. I, 482 argumentis non contemnendis docet. Sed Pherecydes primus Padum in Italia, qui tum Graecis innotuerat, eo nomine a maioribus designatum esse putauit, (Hygin. fab. 154) cuius auctoritatem reliqui deinceps Graeci et Romani secuti sunt. Vid. et Munker. ad Hygin. d. l. Vr. h. l. *maximus*, vt a Virg. *rex fluuiorum. ora abluit*, vt ap. Claudian. 28, 166. vbi Eridanus palla velatus, cui Phaëthon intextus, *vulnera lauit anheli*. Pro *fumantia* Heins. ex primo Medic. *spumantia*, quia illud verb. proximo occurrit. At vnde *spuma* in corpore fulmine necato? Reuocaui igitur *fumantia*.

325 — 66 Vltimus actus, qui metamorphosin continet, propter quam omnis de Phaëthonte fab. narrata. *Naides Hesperiae*, nymphae Italicae. vid. ad vs. 258. *tumulus*, χῶμα, terra exstructa, cui *corpora*, ossa, *dantur* aut mandantur. *saxum*, λίθος, στήλη, columna sepulcralis, cippus. *carmine*, ἐπιγραφῇ, titulo; nam *carmen*, quaecunque formula verborum. *signant*, insculpunt, verb. propr. in hac re. vid. Heins. Tales autem inscriptiones prisca illa aetas ignorauit. Initium sollemne huiusmodi titulorum, *Hic situs est*, aut *hic iacet*. *Siti* enim proprie conditi. Cic. Legg. II, 22. Nomini in titulis breuiter adscribebantur res gestae. *tenuit*, obtinuit, tueri, regere potuit; magna tamen erant ausa, quibus excidit. Haec ipsa verba *quem* — *ausis* ad virtutis studiosum transtulit Senec. de Vita beata cp. 21. Cf. etiam de Prou. 5 extr. Aliter autem iudicauit Horat. IV od. 11, 25.

329 Librarii, qui *Nam* in *At* mutarunt, ignorabant, *nam* sic poni, vt subintelligendum sit aliquid, veluti h. l. Pater quidem aberat, nam is etc. Sic et VI, 271. *Obducere* vultum, ad moerorem componere. Casaub. ad Sueton. Tib. 68. *aeger*, qui eum reddebat aegrum, vt *aeger amor* Virgil. G. IV, 464. *isse*, fluxisse, praeterlapsum esse. *aliquisque* etc. Ineptissimus iocus. Parum sanae mentis est in mun-

Condiderat vultus: et, si modo credimus, vnum
Isse diem sine Sole ferunt. Incendia lumen
Praebebant; aliquisque malo fuit vsus in illo.
At Clymene postquam dixit, quaecumque fuerunt
In tantis dicenda malis; lugubris et amens,
Et laniata sinus totum percensuit orbem;
Exanimesque artus primo, mox ossa requirens,
Reperit ossa tamen peregrinâ condita ripâ,
Incubuitque loco, nomenque in marmore lectum
Perfudit lacrimis, et aperto pectore fouit.
Nec minus Heliades fletus, et, inania morti
Munera, dant lacrimas; et caesae pectora palmis
Non auditurum miseras Phaëthonta querelas
Nocte dieque vocant, adsternunturque sepulcro.
Luna quater junctis implerat cornibus orbem:

330. *Abdiderat vultus* vnus Medic. 340. Ante Heins. edeb. *Heliades lugent.* 342. Mss. magno numero *miseris querelis*, vt ad *vocant* referatur. Non male.

di interitu iocari. *vsus in illo*, vt XIV, 268. *vsus in folio.* X, 213 *color in illis.*

334 *lugubris*, vestes lugubres s. atras induta, forte et resectis tonsisue capillis. *Laniare* graue verbum, sed aptum luctui acerbiori antiquissimorum et rudium adhuc hominum, qui vnguibus adeo ora et pectora palmis foedabant. — Sic *reperit* quidem *ossa*, in *peregrina tamen r.* In terra peregrina mori tristissimum visum. Tibul. I, 3, 3. ibique Heyne in Obs. item Virg. Aen. IX, 485. — *aperto*, nudo. *fouere nomen* frigida admodum locutio videtur Burm. Amplectitur itaque Gronon. Cod. lectionem, *saeuit* i. lacerauit apertum s. nudatum pectus. Sed quidni Clymene *nomen*, quod diu pectore aperto tegebat, *fouisse* recte dicatur, cum *locum fouere* bona locutio sit, de eo, qui assidue et diu in eo versatur? Sic *castra fouere* Virg. Aen. IX, 57. *humum fouere* Georg. III, 420.

340 *Heliades*, sorores Phaëthontis (*Phaethontides* apud Germanic. Arat. vs. 371.) ʽΗλίου s. Solis filiae. A Nostro non nisi tres commemorantur, ab Hygino praef. quatuor; sed Hesiod. septem numerauerat. *fletus*, quoniam a *lacrimis* distingui videntur, forte omnino luctus signa. *munera*, honores extremi, qui habentur mortuis, vt Virg. Aen. VI, 884 sqq. vid. Brouckh. ad Propert. I, 17, 23. *inania*, quia mortuum non in vitam reuocant. Plane sic *inane munus* apud Virg. d. l. et *vanus honor* Aen. XI, 52. *inane*, omne id, quod fructu caret. *Phaëthonta vocant* ex more lugentium et conclamantium priscis temporibus. Homer. Od. ι, 65. Virg. Aen. III, 68. Hinc Aen. I, 219. *nec iam exaudire vocatos*, mortuos esse.

344 Luctus per certum tempus, idque interdum satis longum, durabat, nunc quatuor menses, quod poëtice expressum. v. ad vs. 453. Iam transforma-

Illae more suo (nam morem fecerat vsus)
Plangorem dederant. E queis Phaëthusa sororum
Maxima, cum vellet terrae procumbere, questa est
Diriguisse pedes: ad quam conata venire
Candida Lampetie, subitâ radice retenta est.
Tertia, cum crinem manibus laniare pararet,
Auellit frondes. Haec stipite crura teneri,
Illa dolet fieri longos sua brachia ramos.
Dumque ea mirantur; complectitur inguina cortex,
Perque gradus vterum, pectusque, humerosque, manusque
Ambit; et exstabant tantum ora vocantia matrem.
Quid faciat mater? nisi, quo trahat impetus, illam,
Huc eat atque illuc? et, dum licet, oscula iungat?
Non satis est; truncis auellere corpora tentat,
Et teneros manibus ramos abrumpere: at inde
Sanguineae manant, tanquam de vulnere, guttae.
Parce, precor, mater, quaecumque est saucia, clamat;
Parce, precor; nostrum laniatur in arbore corpus:
Iamque vale. Cortex in verba nouissima venit.
Inde fluunt lacrimae; stillataque sole rigescunt

350. *lacerare* cod. Heidelb. et vs. seq. *Euellit* cod. Berol. 356. *trahat*, quod Heins. ex melioribus, vt dicit, codd. praetulit, respuit Bothius p. 14 et ex cod. Berol. Heidelb. aliisque probat *trahit*, coll. Virg. Aen. V, 709.

tiones per partes rursus describit. Cf. I, 548—52. IX, 351—58. X, 489—500. Sed Claudian. 28, 164 alium mythum sequitur, ex quo Heliades cum Eridano et Cycno inter sidera relatae. *Candida*, pulchra, frequens puellarum epitheton. *Tertia* aliis Aegle, aliis Phoebe est. *subita radice*, radice, in quam subito pedes eius mutati.

356 *Impetus* nunc opp. rationi, consilio, et affectum, perturbationem animi vehementiorem indicat. De eo recte *trahere*. — *Cortex in verba nou. venit*, vt X, 497. XI, 256.

364 In quales arbores mutatae sint, poëta h. l. non addit; sed I ex Pont. 2, 34 *populos* (αἰγείρους) nominat. Atque ita et Hesiod. Hygin. Virg. Aen. X, 190. Lucian. aliique. At Virg. Ecl. VI, 62 *alnos* commemorat, quemadmodum alii *vlmos* aut *pinus*. Plin. H. N. 37, 2. 3. Communis porro opinio erat (v. et Eurip. Hipp. 740. Apollon. Rh. IV, 596); ex *lacrimis* (ἐκ τῶν δακρύων) illarum arborum *electra* nasci: quod non mirum videri debet, cum arborum resinam Graeci ita dixerint (cf. et X, 501), atque etiam hodie re-

De ramis electra nouis: quae lucidus amnis
Excipit, et nuribus mittit gestanda Latinis.
Adfuit huic monstro proles Stheneleïa Cycnus; *Cycnus.*
Qui tibi materno quamuis à sanguine iunctus,
Mente tamen, Phaëthon, propior fuit. Ille relicto
(Nam Ligurum populos, et magnas rexerat vrbes)

366. Pro *mittit* vnus Cod. *nutrit*, quod Burm. exemplis illustrat; sed alienum est ab h. l.

rum naturalium indagatores eo fere inclinent, vt resinae electra originem debere putent. Si his addideris, quae ad vs. 324 notauimus, satis probabiliter tibi fabulam interpretaberis. Sophocles in trag. deperdita ex aliis lacrimis electra nasci finxerat, nempe quas Meleagri sorores in aues mutatae in India flerent: quod a Plin. d. l. reprehenditur. V. omnino Gesneri Diss. in Comm. Societ. Gotting. To. III. p. 72. — *stillata* passiue. *lucidus*, λευκός, clarus. *nurus* omnino mulier poëtis. V. ad III, 528. Plin. d. l. narrat, suo tempore Transpadanorum agrestes feminas monilium vice succina gestare, maxime decoris gratia, sed et medicinae. *mittunt* merces terrae eae, vbi maximus eorum prouentus et mercatus.

FAB. II, 367—400. Cycnus, rex Liguriae, dum deflet Phaëthontem, sanguine materno sibi iunctum, mutatur in auem sui nominis. cf. Hygin. fab. 154. et Virg. Aen. X, 189 ibique Heyne. Lactant. Argum. fabulae auctorem facit Phanoclem in Cupidinibus. Nempe ille elegos Ἐρώτων nomine scripserat, de quibus Heins. et Burm. ad X, 83. Addita autem haec sunt haud dubie superiori fab. postquam Eridanus pro Pado haberi coepit. Pausan. Attic. p. 76. facile se credere ait, Cygnum, Ligurum regem, musica excelluisse; sed eumdem post mortem ab Apolline in auem Cygnum esse mutatum se non credere. Et tam musici, quam poëtae, cum cygnis comparari solebant. Horat. IV od. 2, 25. Alius *Cycnus* XII, 72 memoratur.

huic monstro, huic transformationi; nam *monstrum* omnis res monstrosa aut mira. Adstitit in ripis Eridani Cycnus, cum Heliades in arbores mutarentur. *Stheneleia*, Sthenelei filius. Regem Liguriae cognatum fuisse reginae Aethiopum, minime est credibile. Itaque hoc aut male fictum, aut ab iis additum, qui Phaëthonta alium intelligebant, ab orientali diuersum. *mente* forte ad amicitiam referendum. *a sanguine*, eleganter, quoad sanguinem. Exempla e Cic. dabit Clau. Cic. *propior*, propius iunctus, similior.

370 *Ligures*, dura et bellicosa gens, late tenebant maritima loca non modo Italiae superioris, sed et Galliae, erantque adeo et Padi accolae: et Graeci antiqui omnem Italiam superiorem ab iis nominarunt. Apud Apollon. IV, 646. Argonautae adeunt ἔθνεα μυρία Κελτῶν καὶ Λιγύων. Recte igitur Noster Ligurum *populos*. Iidem igitur et succinum mittere credebantur, Claudian. 40, 11. et succinum ipsum dictum est λιγγούριον. Strabo IV p. 310. *Ripas*, vt loca solitaria, petere fere solent moesti. X, 74. *implet amnem querelis*, crebro ibi repetit querelas, nempe cantu. Virg. d. l.

Imperio ripas virides, amnemque querelis
Eridanum impleraŧ, siluamque sororibus auctam:
Cum vox est tenuata viro; canaeque capillos
Dissimulant plumae; collumque a pectore longum
Porrigitur, digitosque ligat iunctura rubentes:
Penna latus vestit; tenet os sine acumine rostrum:
Fit noua Cycnus auis, nec se coeloque, Iouique
Credit, vt iniuste missi memor ignis ab illo:
Stagna petit, patulosque lacus; ignemque perosus,
Quae colat, elegit contraria flumina flammis.
  Squalidus interea genitor Phaëthontis, et expers
Ipse sui decoris, qualis, cum deficit orbem,

371. Tanaq. Faber *amnemque* in *omnemque* mutandum censet. Immo *ripas* et *amnem* bene coniunxit. 372. Gebhard. e Mss. suis, *sororibus aptam.* Alterum multo melius. 376. *vestit.* Octo *velat*, aeque bene. 382. Permulti *orbe*, quod non displicet Burm.

Populeus inter frondes vmbramque sororum Dum canit, et moestum Musa solatur amorem. — *sororibus*, scil. tuis. X, 91 hae tres sorores mutatae *nemus Heliadum* vrr. et ap. Germanic. Arat, 370 *noua silua.*

373. Ex voce virili et graui facta est vox cygni tenuis. In describendis transformationibus ipsis prodit Ouid. inexhaustas ingenii copias, verbisque delectis pingit animantium naturas. Cf. similem mutationem XIV, 498 sqq. *Dissimulare* eleganter dr. forma, sub qua quis latet. Heroid. IV, 56. *tauro dissimulante Iouem.* Hinc infra 731 *nec se dissimulat.* IX, 76. sic *celare.* *Canae*, candidae, Virg. d. l. ei *canentem molli pluma senectam tribuit. iunctura*, cuticula. *latus*, alas; nam *pennae* sunt alarum, *plumis* autem reliquae corporis partes velantur. *Vestire* bene de pennis, plumis, crinibus, V. Heins. *tenet os*, occupat locum oris. Ita et vs. 830.

377 *nec se coeloque* etc. Prisci poëtae in fingendis fabulis naturam animantium secuti erant; Noster autem hic et alibi passim naturam earum e fabulis repetit. *Credere se* elemento, in quo mouentur, eleganter drr. animantia. Sic et nautae *se credunt* mari. Vt naturam cygni e fabula explicare posset, ingeniose *Ioui* posuit in dilogia de aëre et de Deo summo. Caeterum et in aëra interdum haec auis se tollit. *perosus*, vt *exosus*, qui odio habet.

381 — 400 Non episodium inutile, vt Schirachio videbatur, sed pars fab. de Phaëthonte, quam poëta distulit in h. l. quia Cycni mutatio arcte annexa Heliadum transformationi. Facta autem haec eo die, qui sine Sole ibat, vs. 330.

Pater lugebat; lugentes negligunt, quae *decus* adferunt corpori, talesque *squalidi* drr. *Deficere* de occasu solis legitur Propert. III, 3, 49. *qua venit exoriens, qua deficit.* Sed nunc eclipsis intelligitur, qua et ipse sol *squalidus* videtur, cum alias *niteat* aut *caput nitidum* gerat. *Deficit orbem*, vel orbem terrarum luce sua destituit, non collustrat, vel suum orbem aut to-

Esse solet; lucemque odit, seque ipse, diemque;
Datque animum in luctus, et luctibus adiicit iram;
Officiumque negat mundo. Satis, inquit, ab aeui
Sors mea principiis fuit irrequieta; pigetque
Actorum sine fine mihi, sine honore, laborum.
Quilibet alter agat portantes lumina currus.
Si nemo est, omnesque Dii non posse fatentur;
Ipse agat: vt saltem, dum nostras tentat habenas,
Orbatura patres aliquando fulmina ponat.
Tum sciet, ignipedum vires expertus equorum,
Non meruisse necem, qui non bene rexerit illos.
Talia dicentem circumstant omnia Solem
Numina: neue velit tenebras inducere rebus,
Supplice voce rogant. Missos quoque Iuppiter ignes
Excusat, precibusque minas regaliter addit.

392. Heins. maluit *aenipedum*. Tales vero equi non bene videntur Soli dari. Vnus *alipedum*, quod non spernit Burm. (*aenipedum* contra metrum. Dr. enim *aëneus* non *aeneus* v. Markl. ad Stat. Silu. I, 1, 51.)

tum aut ex parte obscurat. Quo posteriore sensu et commode cum aliis legi potest *orbe*. Virg. G. I, 442. vbi *Conditus in nubem medio refugerit orbe*. Moesti *lucem* odisse solent; id bene translatum ad Solem, lucis auctorem.

385 sqq. Verissimus sermo eorum, quibus praeter meritum calamitas ab aliis illata. *honor*, vt 285. *agere*, ἐλαύνειν, de auriga. *Si nemo est* etc. cf. 58 s. *Ipse*, αὐτὸς, princeps coetus alicuius. Nunc vero indignantis est. *Tentat hab.* periculum facit, an flectere eas possit. Ita *tentare castra*, *mare* et alia. *Orbatura* etc. Indignans loquitur, quasi Iupiter iam plures patres fulmine orbauerit. *Ignipedes* equi valde displicebant Heins. Sed equis, qui vehunt ignes, qui ignes in pectore habent, ignes ore et naribus efflant, 85. 119. 154. non male a poëtis *ignipedes* dari videntur.

395 *ne velit inducere* vrbanius, quam, ne inducat. *res*, mundus. Mox maiestas Iouis bene notata, *preces*, quibus *minae* adduntur, a Cic. Attic. IX, 3. *armatae*, a Tacit. An. II, 57 *contumaces*, vrr. Apud Lucian. Dial. Deor. 25. Iupiter satis acerbe in Apollinem inuehitur, et ille se peccasse fatetur. Nota rhythmum in verbis *amentes* et *pauentes*. Similis negligentiae exempla Heyne ad Tibul. I, 9, 23 in Obs. collegit. In sqq. *stimuloque* etc. luxuriatur Ouidii ingenium. Hoc enim, quod homines furentes facere solent, vt iram euomant in res innoxias, male transtulit ad Deum. *Saeuire*, verberibus agitare alios. *verbere*, flagello. *natum*, mortem nati.

Colligit amentes, et adhuc terrore pauentes,
Phoebus equos; stimuloque domans et verbere, saeuit:
Saeuit enim, natumque obiectat, et imputat illis.
At pater omnipotens ingentia moenia coeli
Circuit, et, ne quid labefactum viribus ignis
Corruat, explorat. Quae postquam firma, suique
Roboris esse videt; terras, hominumque labores

398—400. Fides horum versuum Heinsio suspecta erat. Burm. putabat, legi etiam posse, *stimuloque furens, et verbere, caedit:* quo nihil lucramur. G. —. Sed bene monet Schrader Emendatt. c. 10 p. 196. defendi hos versus imitatione Lucretii V, 397; et quoniam sine illis caetera non apte cohaererent. Adsentitur H. Voss. in Bothii Vindicc. p. 169. Heinsio displicuisse videtur repetitio verborum, cui accedit versus rhythmicus. Eo certe offensi sunt duo alii viri, Withof in Praemet. Cruc. Crit. p. 184 et Bothius Vindicc. p. 15; quorum prior *attonitos*, alter *errantes* pro *amentes* correxit. Sed *amentes* bene defenditur vs. 314 sqq. De repetitione verborum saepius iam dictum. Versus leonini haud raro in Ouidio occurrunt. Vid. Bothius l. c. E.

FAB. III, 401—530. *Iupiter* vi comprimit *Callisto*, Lycaonis filiam, quam propterea *Diana* e choro suo secedere iubet, *Iuno* autem in *ursam* mutat. In eam cum *Arcas*, ipsius et Iouis filius, incidisset, sagitta eam transfigere parat; sed Iupiter ambos repente abreptos in coelo collocat, sideraque vicina facit. Nempe Arcades, qui Callistus sepulcrum ostentabant, Pausan. VIII p. 671. eamque cum in viuis esset, carissimam habuisse videntur, mortuae sidus Vrsae, dicarunt, cuius et nomen et situs, quo numquam occidit, fabulae locum dedit. Eam vero Graecis decantatam fuisse, Pausan. p. 603 tradit. Primus eam Aniethus, Tegeates historiarum scriptor, narrasse videtur. Hygin. P. A. II, 1 extr. Post eum plurimi, sed magna varietate, repetierunt, Eumelus, Pherecydes, Asius, Hesiodus, quos Apollod. laudat, atque Amphis, comoediarum scriptor. Ex iis, qui restant, v. Pausan. VIII p. 603. Apollod. III, 8, 2. Hygin. fabb. 176. 177. P. A. II, 1. vbi diuersas traditiones collegit. Noster, qui Hesiodum maxime secutus esse videtur, eam egregie exornauit, atque etiam II. Fast. 155—92. tractauit.

401 Hoc commento commodissime ad fab. seq. transit. *moenia* coelo aut mundo tribuit Lucret. intelligitque extremas mundi oras, aut mundum ipsum. Sed Noster proprie accepit, quae si essent, forent sane immenso ambitu, vnde *ingentia*. Horum curam gerebat Iupiter; itaque et nunc ea *circuit* et *explorat*, more Aedilium, quibus cura aedificiorum commissa est, et vt V, 360. Pluto Siciliae fundamina, vbi simili amore corripitur. *hominum labores*, segetes et alia opera. Ita Plin. pan. 81, 2 *agrestium labor*. Virg. G. I, 325. Aen. II, 306. *sata laeta boumque labores*. Vir doctus in Ephem. liter. Norimb. intelligit calamitates hominum perpessas et miserias. Verum eo sensu

Perspicit: Arcadiae tamen est impensior illi
Cura suae; fontesque, et nondum audentia labi
Flumina restituit; dat terrae gramina, frondes
Arboribus, laesasque iubet reuirescere siluas.
Dum redit, itque frequens; in virgine Nonacrinâ
Haesit, et accepti caluere sub ossibus ignes.
Non erat huius opus lanam mollire trahendo;

405. Damnanda lectio *Prospicit*, quam multi Codd. praeferunt, et quam Douza coniecerat, quia non e coelo spectat. 410. Schepper. malebat *accensi* aut *accensis caluere*. Male. V. not.

labores non, nisi dum perferuntur, perspici possunt. Rode vertit, *der Menschen erlittenen Schaden*, contra linguae vsum. *Perspicit* verb. h. l. aptissimum; dr. enim, vt nostrum *besichtigen*, de iis, qui examinant aedificia, vias et alia. Vid. Ernesti Clau. Cic. h. v. *suo roboris* erant, habebant iustum robur, firmitatem. 405 *Arcadiam*, vocat *suam*, eiusque curam praecipuam gerit, quia in Parrhasio, monte Arcadiae, natus a multis ferebatur; quamquam et Cretenses id honoris sibi vindicabant. vid. Callim. h. Iou. 4—10. Hoc quoque transitum adiuuat. *impensior*, maior, et propric *cura* dicitur *impendi*. *Fontibus* et *fluminibus* abundabat Arcadia, inde εὔυδρος dicta. E fluuiis maxime memorabiles Ladon et Erymanthus. Bene *audentia*, tamquam animantia, quae se condiderant in viscera matris, vs. 274. De *labi* v. ad I, 189. *Redit itque*, vt VIII, 163. *refluitque fluitque*. *Nonacris*, mons Arcadiae. v. Munker. ad Hygin. fab. 177. Et haec res gesta est in Nonacrino monte. Hygin. P. A. Lactant. in Arg. *Haesit in virgine*, captus eius pulchritudine constitit. Hinc *haerere* et *adhaerere* de amantibus. V. ad XIII, 906. *Virgo* illa Anietho fuit Megisto, Lycaonis neptis, Cetei filia. A caeteris *Callisto* nominatur; eamque Lycaonis filiam fecere Eumelus, Hesiod. Pausan. Hygin. et auctor versuum Creticorum, quos ille laudat. Alii aliter. V. Apollod. *accepti* non est mutandum. Virg. Aen. VIII, 389. *ille repente Accepit solitam flammam*. *sub*, in.

411—16 Apollod. σύνθηρος Ἀρτέμιδος τὴν αὐτὴν ἐκείνῃ στολὴν φοροῦσα. Hoc ornauit Noster, etiam per comparationem cum aliarum puellarum studiis. Cf. XIV, 264 s. Verbis *lanam mollire trah.* describitur carminatio. Manipuli lanae rudis per instrumentum quoddam ferreum trahuntur, vt a sordibus purgentur et mollescant. v. Scaliger ad Tibul. I, 6, 80. *positu variare comas*, varia compositione ornare capillos, solebant Nymphae amori indulgentes. Medic. Fac. 19. *Vultis odoratos positu variare capillos.* Amorr. II, 8, 1. *Ponendis in mille modos perfecta capillis.* Cf. III Art. 151. De v. *ponere* v. ad I, 477. *coercuerat*, collegerat. *Fibula* constringi solebat *vestis*, qua breui vtebantur venantes vel in humeris vel circa pectus. De *vittis* vid. ad I, 477. *neglectos*, incompositos, in nodum negligenter collectos, ne dispersi iacerent in humeris. *leue*, vt alibi *habilis arcus*. Cf. autem Virg. Aen. I, 318. s. *miles Phoebes*, venatrix et comes Dianae, vt Peneis I, 476 sqq. et Syrinx vs. 694 sqq. Propter similitudinem belli et

Nec positu variare comas. Vbi fibula vestem,
Vitta coërcuerat neglectos alba capillos,
Et modo leue manu iaculum, modo sumserat arcum,
Miles erat Phoebes; nec Maenalon attigit vlla
Gratior hac Triuiae. Sed nulla potentia longa est.
Vlterius medio spatium Sol altus habebat;
Cum subit illa nemus, quod nulla ceciderat aetas.
Exuit hic humero pharetram, lentosque retendit
Arcus; inque solo, quod texerat herba, iacebat,
Et pictam posità pharetram ceruice premebat.
Iuppiter vt vidit fessam, et custode vacantem,
Hoc certe coniux furtum mea nesciet, inquit;
Aut si rescierit; sunt ô, sunt iurgia tanti?
Protinus induitur faciem cultumque Dianae;

412. In multis Mss. locus auctius sic legitur: *vbi fibula vestem Strinxerat, eminuit corpus iuuenile decorque*, in quibus manum alienam facile agnoscis. 417. *habebat.* Duo *agebat*, quod non improbat Burm. 425. Pro *cultumque* quidam *vultumque*. V. not. G.

venatus, milites et venatores inter se comparantur, et pleraque vocabula vtrisque sunt communia. Horat. I Ep. 2, 67. *militare* de cane venatico.

416 *Triuia*, Diana, praeses triviorum, quae venari solebat etiam in *Maenalo*, de quo ad I, 216. *gratior.* Hygin. P. A. d. l. ex Hesiodo, *a qua non mediocriter esse dilectam propter vtriusque consimilem naturam.* II Fast. 159 Diana eam, postquam iurata perpetuam virginitatem promiserat, principem facit comitum. Sequitur sententia vera, vnde lector exitum rei diuinare potest. Est autem *potentia* gratia, qua valemus apud alios.

417 *Habere spatium*, illud emensum esse cursu. II Fast. 164. *Aut plus, aut medium Sole tenente diem.* In sacris nemoribus et vetustis non licebat arbores caedere. cf. III, 28. VIII, 329. IV Fast. 649. Tale igitur nemus densum est et vmbrosum.

419—21 Ornate: depositis armis humi quieuit. *lentos*, e ligno flexibili. *quod texerat herba* exquisitius quam, herboso; admonet enim nos, herbam vices vestium stragularum praestitisse. Venantes, ad imitationem vitae militaris, quiescentes capiti supponebant arma. Cerda ad Virg. Aen. VII, 460. *pictam*, distinctam, nisi auro argentoue, certe ebore aut cornu. *posita*, recumbente. *Custos* potest arbitrum significare, vt *custode vacans* sit, i. q. 544. *inobseruata.* Sed etiam virginum et nuptarum custodes erant. II Amorr. 3, init. Petulanter loquentem Iovem inducit. *Tanti esse* drr. quae tam grauia sunt, vt eorum caussa aliquid vel faciamus, vel omittamus. Suauitas quaedam inest in interrogatione et in repetito *sunt.* Nota etiam *hoc certe.*

425 Vulgaris erat traditio, Iovem assimulatum esse Dianae.

Atque ait: O comitum, virgo, pars vna mearum,
In quibus es venata iugis? De cespite virgo
Se leuat; et, Salue numen, me iudice, dixit,
Audiat ipse licet, maius Ioue. Ridet, et audit;
Et sibi praeferri se gaudet, et oscula iungit,
Nec moderata satis, nec sic à virgine danda.
Quâ venata foret siluâ narrare parantem
Impedit amplexu; nec se sine crimine prodit.
Illa quidem contra, quantum modo femina possit,
(Adspiceres vtinam, Saturnia, mitior esses!)
Illa quidem pugnat: sed quae superare puella,
Quisue Iouem poterat? Superum petit aethera victor
Iuppiter: huic odio nemus est, et conscia silua.
Vnde, pedem referens, paene est oblita pharetram
Tollere cum telis, et, quem suspenderat, arcum.

429. Bothius p. 15 et H. Voss. p. 169 corr. *Ridet*, *vt audit*, quoniam prius audire debebat, quam rideret. Bene quidem; nisi *et audit* accipere malis; audit quidem, neque tamen offensus aliquid respondet; vt sit nostrum: er überhört es. E. — 438. *nemus.* Duo *Venus*, forte ne poëta bis idem dicere videretur.

Alii narrabant, eum Apollinis formam sumsisse. v. Apollod. Cum Nostro consentit et Amphis ap. Hygin. P. A. sed ille suo modo persecutus est. *induitur cultum Dianae*, cingitur ritu Dianae, et sumit arcum cum pharetra. De his armis *cultus* etiam X, 517. Arcu autem aureo insignis erat illa. I, 696 s. Male Burm. dubitabat, annon ex Mss. quibusdam praeferret *vultumque*, ex leuissima illa caussa, quia interdum *vultus* et *facies* coniunguntur. Etiam Lactant. in Arg. *cultumque* legit. *Fatigatae ornatus pharetra sagittisque, velut Diana, occurrit.* — *pars vna* pro *vna* simpliciter. II Fast. 156. *sacri pars vna chori.* — *numen maius Ioue.* Ingeniose, vt indicet, ex aliena quoque forma Iouis maiestatem eluxisse. *sibi praeferri.* Talia, vt arguta, amat Ouid. *Oscula* etc. XIV, 658. *oscula, qualia numquam Vera dedisset anus.* IX, 538 *oscula non sororia.*

433 Propter *narrare parantem* possis *impedire* sensu vulgari sumere, vt Rode, *er verhindert sie durch Umarmung.* Exquisitius tamen dictum est, si *impedire amplexu* explicas per amplecti, vt tropus a vitibus petitus sit, quae retinacula *impediant*, cingunt. III, 664. Ita *impedire* etiam vs. 868. *Complexibus ambire* XII, 328.

434—37 Apollod. ἀκούσῃ συνευνάζεται. Illud ἀκούσῃ Noster pluribus persequitur.

437 *Superum lumen* coelum vocarunt Ennius, Lucret. Virgil. *nemus* et *silua* passim coniunguntur, aut distinguuntur, vt I, 568. v. Burm. *conscia* poëtis et loca drr. in quibus aliquid accidit. Summam Callistus pertur-

Ecce, suo comitata choro Dictynna per altum
Maenalon ingrediens, et caede superba ferarum,
Adspicit hanc, visamque vocat: clamata refugit,
Et timuit primò, ne Iuppiter esset in illà.
Sed postquam pariter Nymphas incedere vidit;
Sensit abesse dolos, numerumque accessit ad harum.
Heu quam difficile est, crimen non prodere vultu!
Vix oculos attollit humo; nec, vt ante solebat,
Iuncta Deae lateri, nec toto est agmine prima:
Sed silet, et laesi dat signa rubore pudoris.
Et, (nisi quod virgo est) poterat sentire Diana
Mille notis culpam. Nymphae sensisse feruntur.
Orbe resurgebant Lunaria cornua nono;

449. Heins. malebat, *toto ex agmine.*

bationem bene notant illa, *paene est* etc.

441 *Dictynna*, Diana, sic dicta a δικτύοις, a *retibus*, e quibus vnam comitum suarum seruauerat. vid. Callim. h. Dian. vs. 198. ibique Spanhem. Vide tamen Heynii Exc. ad Virg. Cirin. Dianae vero datae sunt etiam χορήτιδες nymphae (Callim. vs. 13. 170), quibuscum *choros* exercebat. Virgil. Aen. I, 499. Ex opinione enim Veterum nulla vita beata Deorum sine choreis. vid. Heyn. Exc. XX. ad Aen. I. add. Spanhem. ad Callim. d. l. et ad vs. 3. 242. II. l. tamen *chorus* videtur omnino coetus Nympharum esse. Nam pro eo vs. 446. *numerus*, vs. 449 *agmen*, vs. 465 *coetus.* Sed et II Fast. 156 *sacer chorus* Dianae, quem Hamadryades fecerint. Erat autem chorus eius numerosissimus. Virg. Aen. I, 500. — *superbus* de victoribus, et inde de venatoribus post multas domitas feras. Noster ipse II Fast. 163 explicat, *Mille feras Phoebe siluis venata redibat.* *clamata* significantius quam, vocata. Cum nympha simularet, se lenem vocem non audire, Diana *clamabat.* vid. Burm. *clamore vocare* dixit Silius IV, 597.

447 Grauis et vera sententia. Vis malae conscientiae et perturbati animi pudore amisso egregie hic notatur. In seqq. illa ipsa, quae ex Hesiodo Hygin. refert, exornata.

452 *Nymphae sensisse* etc. Perstringit et hic libidinem Nympharum, quae plus virgine scirent. vid. Burm. et Saxius ad h. l.

453 Nono mense, cum partui vicina esset Nympha. *orbe*, in orbem. Plenius X, 295. *Iamque coactis Cornibus in plenum nouies lunaribus orbem.* VII, 179. *vt cornua tota coirent. Efficerentque orbem.* Adde ibid. vs. 530. *labens ibat*, labebatur, vt III, 388. *egressaque siluis Ibat*, egrediebatur. Homer. Il. β, 302. ἦβαν φέρουσαι, i. ἔφερον. *et attritas* etc. descriptio limpidi riui. *contigit*, nempe tentandi caussa. Omnia per partes describit. *arbiter.* IV, 63. *Conscius omnis abest.* Quomodo Diana tingui aqua sit solita, ex III, 165 s. videmus.

Cum Dea venatrix, fraternis languida flammis,
Nacta nemus gelidum, de quo cum murmure labens
Ibat, et attritas versabat riuus arenas;
Vt loca laudauit; summas pede contigit vndas:
His quoque laudatis, Procul est, ait, arbiter omnis;
Nuda superfusis tinguamus corpora lymphis.
Parrhasis erubuit. Cunctae velamina ponunt;
Vna moras quaerit: dubitanti vestis adempta est.
Quâ positâ nudo patuit cum corpore crimen.
Attonitae, manibusque vterum celare volenti,
I procul hinc, dixit, nec sacros pollue fontes,
Cynthia; deque suo iussit secedere coetu.
Senserat hoc olim magni matrona Tonantis,
Distuleratque graues in idonea tempora poenas.
Caussa morae nulla est, et iam puer Arcas (id ipsum
Indoluit Iuno) fuerat de pellice natus.
Quo simul obuertit saeuam cum lumine mentem;

459. Heins. suadet *tinguamur* e Graecismo. 461. *dubitanti*. Alii *cunctanti*, quod e glossa fluxit. Sed Burm. vtrumque verb. nimis languidum h. l. videbatur; coni. ergo *luctanti*. (468. Bothius p. 16 cor. *vt iam* i. *postquam*. Si opus mutatione, legas e cod. Louan. *nam iam*.) 470. Duo, *aduertit*. v. Burm. Sec. ad Propert. I, 1, 57.

460 *Parrhasia* olim Arcadia dicta est. *dubitanti*, cunctanti, moras quaerenti, secum deliberanti; de quo vsu v. Gronou. ad Senec. Thyest. 715. Ex more suo scribere debuisset, *Vna dubitat; dubitanti* etc.

464 *Sacri*, Deo alicui consecrati, sunt omnes fontes. vid. Ciofan. II. Fast. 174. *nec castas pollue*, *dixit*, *aquas*. Etiam h. l. Heins. suadebat *castos*, sine caussa. Etenim etiam in *sacros* et *pollue* iusta est oppositio. *secedere coetu*. Secundum alios a Diana vel sponte, vel Iunone incitante, sagittis confossa est. v. Apollod.

466 Sequitur mutatio ipsa quam alii, vt Amphis et Theon in Arat. Dianae, alii Ioui, vt Iunonem falleret, tribuebant. In principio poëta sui est dissimilis nimiaque breuitate paullo obscurior; et ne hoc quidem memorat, quomodo Iuno in terram descenderit. *matrona*, coniux, vt VI, 581. *altus Tonans* etiam I, 170. *olim*. Ap. Pausan. illico deprehensam mutat. *Arcada*, auctore Hesiodo, iam vrsa facta peperit. Ab eo Arcadiae nomen inditum esse multi Veterum putabant.

470 *Obuerti* etiam Heroid. 19, 191 legitur. *saeuam*, vltionis cupidam. *Scilicet* vox indignantis. *iniuria*, nempe mihi illata. *dedecus* de adulterio etiam IX, 26. Similes Iunonis querelae III, 266 sqq.

Scilicet hoc vnum restabat, adultera, dixit,
Vt fecunda fores, fieretque iniuria partu
Nota, Iouisque mei testatum dedecus esset.
Haud impune feres: adimam tibi nempe figuram;
Quâ tibi, quâque places nostro, importuna, marito.
Dixit: et, aduersâ prensis à fronte capillis,
Strauit humi pronam. Tendebat brachia supplex:
Brachia coeperunt nigris horrescere villis,
Curuarique manus et aduncos crescere in vngues,
Officioque pedum fungi; laudataque quondam
Ora Ioui, lato fieri deformia rictu.
Neue preces animos, et verba potentia flectant,
Posse loqui eripitur. Vox iracunda, minaxque,
Plenaque terroris rauco de gutture fertur.
Mens antiqua tamen factâ quoque mansit in vrsâ;
Adsiduoque suos gemitu testata dolores,
Qualescumque manus ad coelum et sidera tollit;
Ingratumque Iouem, nequeat cum dicere, sentit.
Ah, quoties, solâ non ausa quiescere siluâ,

476. *aduersa.* Plerique veteres *arreptam*, aut *aduersam*, aut *auersa.* Heins. nescit, quid inde exsculpat, et plures profert coniecturas. Forte praestat *aduersam.* Vid. Burm. ad Amorr. I, 9, 11. Bothius p. 16 cor. *aduersâ prensis dea fronte capillis.* 482. Mss. omnes (praeter vnum, qui habet *superflua*) praeferunt *verba precantia*, quod ferri nequit, quia praecedit *preces.* Heins. suadebat, *truces animos per verba precantia.* Sed neque *truces animi* hic satis placent, nec *flectere per verba* poëticum est. Ita recepi cum Burm. ex ipsius coni. *verba potentia*, quae lect. nisi vera est, bonum tamen sensum ministrat. Heinsio tamen accedit Voss. in Bothii Vind. p. 169.

474 *nempe* non solum affirmantis est (certo), sed h. l. etiam simul minantis et stomachantis. Burm. Multum igitur praestat τῷ *namque*, quod alii habent. Verba *tendebat brachia* saepius repetit, etiam vs. 580. nunc melius omisisset, cum praecedat *pronam* strauit. Ita lector eam cogitaret e lapsu pronam pronae statim vrsae formam accepisse.

480 *laudata Ioui*, quae pulchra visa erant Ioui. vid. Burm. ad Phaedr. I, 12, 1.

482 *animos*, iram Iunonis. *potentia*, efficacia, multum valentia, vt *potentes herbae*, de quibus supra. *posse loqui*, facultas (τὸ δύνασθαι) loquendi. XI, 177 *posse moueri.* Horat. I Ep. 7, 27. *reddes dulce loqui.* Sed et apud Graecos Infinit. sine articulo vim substantiui habet.

487 Pedes, qui qualicunque modo manuum vices praestabant. Cf. I, 730 s. *Facta*, quae in aliam rem mutata sunt. Ita *facti rami* I, 566.

489 *sola*, deserta.

Ante domum, quondamque suis errauit in agris!
Ah quoties per saxa canum latratibus acta est,
Venatrixque metu venantum territa fugit!
Saepe feris latuit visis, oblita quid esset;
Vrsaque conspectos in montibus horruit vrsos;
Pertimuitque lupos; quamuis pater esset in illis.
Ecce Lycaoniae proles, ignara parentis,
Arcas adest, ter quinque ferè natalibus actis.
Dumque feras sequitur, dum saltus eligit aptos,
Nexilibusque plagis siluas Erymanthidas ambit;
Incidit in matrem: quae restitit Arcade viso,
Et cognoscenti similis fuit. Ille refûgit,
Immotosque oculos in se sine fine tenentem
Nescius extimuit; propiusque accedere auenti
Vulnifico fuerat fixurus pectora telo.
Arcuit omnipotens, pariterque ipsosque nefasque
Sustulit, et celeri raptos per inania vento
Imposuit coelo, vicinaque sidera fecit.
Intumuit Iuno, postquam inter sidera pellex
Fulsit; et ad canam descendit in aequora Tethyn,

497. Vulgo, *ferens natalibus annos*, quod Heins. reiecit, vt non Latinum. Burman. monet, *gerere annos* recte dici, ergo et *ferre*. 503. Gebhard. e duobus Mss. protulit *Intimuit*, cuius tamen verbi auctoritas dubia Burm. recte videtur, et quod improbat etiam Bothius p. 186.

495 quamuis pater, Lycaon (vnde ipsa *Lycaonia*), olim in lupum esset versus. Multa ad haec verba disputarunt Interpretes; sed talia non vrgenda sunt in Ouidio. Illustrare voluit inde a vs. 489. illud, *mens antiqua mansit*, et simul tristem fortunam inde enatam indicare.

496 *ignara parentis* et mox vs. 503. *nescius*, non agnoscens matrem, aut nesciens, matrem esse in vrsam mutatam. Hunc occursum autem Ouidius ipse haud dubie finxit. *adest* saepe de repentino aduentu. *ambit* exquisitius quam, circumdat. Sic VI, 101 *circuire* pro circumducere.

503 *auere*, verbum Lucretio familiare, notante Heinsio, Burm. conferre iubet Bentlei. ad Horat. I Ep. 14, 9.

506 *Sustulit* in dilogia positum est. Rapuit e terris *ipsos*, et prohibuit *nefas*, caedem matris. *inania*, aër et aether. *vicina sidera*, Arctos maior et Arctophylax, de quibus ad vs. 132 et 176. vidimus. Ita autem et Amphis ap. Hygin. et Eratosth. c. 8. Caeteri de filio inter sidera relato silent.

508 Quod sub finem huius loci narratur, sidera illa in aequore tingui vetita esse, id Noster ab antiquis traditum acceperat. Lactant. in Arg. *a Thety et Oceano non tingitur, vt Hesiodus indicat.* Similiter Hygin. P. A. et

Oceanumque senem; quorum reuerentia mouit
Saepe Deos; caussamque viae scitantibus infit:
Quaeritis, aethereis quare regina Deorum
Sedibus huc adsim? pro me tenet altera coelum.
Mentiar, obscurum nisi nox cum fecerit orbem,
Nuper honoratas summo, mea vulnera, coelo
Videritis stellas illic, vbi circulus axem
Vltimus extremum, spatioque breuissimus, ambit.
Est vero, cur quis Iunonem laedere nolit,
Offensamque tremat, quae prosim sola nocendo?
En ego quantum egi! quam vasta potentia nostra est!

512. Tres Codd. *Dearum*, non improbante Burm. 514. *Mentiar* non nisi in vno, vnde Heins. recepit. Aeque recte caeteri omnes *mentior*. Vid. Burm. 517. *ambit*. Nonnulli *exit*, quod Heins. venustum videtur. Vnde vero illa venustas? Circulus axem non *exit*, sed *ambit*. 519. *prosim* ex cod. Rottendorph. recep. Heins.; reliqui omnes *prosum*, quod fortius esse dicit Bothe p. 16.

in versibus Creticis ap. eundem fab. 177. Quomodo autem Ouidius hoc tractauit? Nempe iter Iunonis finxit orationem acerbissimam ad Deos marinos; in quo ante oculos Virg. Aen. I, 36—75 habuit, vbi Iuno Aeolum adit auxilii implorandi caussa, et Aen. VII, 292 sqq. vbi ad Acheronta descendit. In omnibus his locis similes querelae, nihil se efficere posse, sed ad auxilium aliorum confugiendum. *Senex* Oceanus fingitur etiam in monumentis antiquis. vid. Gronou. ad Melam III, 1. init. vbi effigies eius expressa. Omnino Dii marini senes habebantur, vnde *cana Tethys*. Senectus parit *reuerentiam*, qua illi Deos *mouent*, impellunt, vt ab ipsis auxilium petant.

512 In hac orat. Iuno magis dolet se spretam, quam adulterio coniugis laesam; furta enim eius, quibus diu adsueta (I, 606), minus curabat. Ira autem ex contemtu bene expressa. Satis inuidiose statim in principio irruit in rem, *pro me tenet altera*, alia, *coelum*, vt IX, 146. *thalamos tenet altera nostros*. Senec. Herc. Fur. init. vbi Nostrum imitatur, *pellices coelum tenent*. De forma loquendi, *mentiar* aut *mentior*, *si*, vel *nisi*, vid. Heins. ad III, 271. et Burm. ad h. l. qui laudat Homer. Il. κ, 534. ψεύσομαι ἢ ἔτυμον ἐρέω. — Monet Schirach. contra Gesner. ex h. l. *nuper* non modo ad menses et dies (adde ad annos et secula adeo) referri, sed etiam, vt h. l. ad horas. *vulnus*, qui dolores alteri creat. *honoratas stellas*, in numerum *stellarum* receptos, atque adeo *honore* diuino affectos. *summo coelo*, iuxta polum, qui maxime, eleuatus supra finitorem. Hunc ambit circulus polaris, qui, vt e sphaerae ratione sponte intelligitur, *breuior* est caeteris. Docte cum Astronomis Iuno loquitur.

518 *Vero* cum indignatione interrogantis est. *Iunonem* cum vi pro *me*. Conf. Virg. Aen. I, 48,

Esse hominem vetui: facta est Dea. Sic ego poenas
Sontibus impono: sic est mea magna potestas.
Vindicet antiquam faciem, vultusque ferinos
Detrahat; Argolicâ quod et ante Phoronide fecit.
Cur non et pulsâ ducat Iunone, meoque
Collocet in thalamo, socerumque Lycaona sumat?
At vos, si laesae contemtus tangit alumnae,
Gurgite caeruleo septem prohibete Triones;
Sideraque in coelo, stupri mercede, recepta
Pellite, ne puro tinguatur in aequore pellex.

Dî maris adnuerant. Habili Saturnia curru
Ingreditur liquidum pauonibus aëra pictis,

525. *et pulsa.* Quidam *expulsa.* 531. Heins. ex vno Ms. mauult *agili.* Sine caussa. In vno Medic. *hilaris*, quod non improbat Burm. 532. Pro *pictis* quidam *iunctis*, quod placet Heins. Sed Burm. recte monet, repetitionem h. v. vers. seq. adserere vulg. G.

523 *Vindicamus* ea, quorum possessione excidimus. *Argol. Phor.* deest *in.* v. Burm. Male olim leg. *quod in ante.* Bene autem Ius exemplum adfertur; fabulae enim simillimae sunt, in vtraque Iouis amores, Iunonis ira, mutatio in feram et inde in Deam. Hinc et earum statuae vicinae in Atheniensium arce. Pausan. I. p. 59. *pulsa,* expulsa, vt Heroid. IX, 131 vbi v. Heins. Acerbissime *socerumque* etc. *Sumere* sollemne in hac re.

527 Tethys nutrix fuerat Iunonis. *gurgite* etc. vid. ad vs. 172, vbi rem illustrauimus, et ad 508. *Gurgite*, aqua; *caeruleo* ornat. *sept. Tr.* Hygin. f. 177. Iupiter *stellam fecit, quae Septemtrio appellatur.* Lactant. ad Stat. III Theb. 685. *Vrsa maior vocatur septemtrio.* — *in coelo recepta*, vt Heroid. VI, 20 *in parte recepta tori.* Mare vocatur *purum*, quia habet vim expiandi, quam ei tribuerunt Veteres haud dubie propterea, quod cadauera in litus eiicit. Senec. Nat. Quaest. III, 26.

FAB. IV, 531—632 *Coruus candidus in nigrum.* Coronidem, Phlegyae, bellatoris maximi, filiam amabat Apollo. Sed cum illa etiam Ischyn quendam (vid. Munker. ad Hygin. fab. 102.) admisisset, Apollo Coronidem interfecit, Asclepiumque ex vtero exsectum educauit, coruum autem, qui ingratum eius adulterii nuntium ipsi attulerat, ex albo in nigrum commutauit. Fabulam Pherecydes, Hesiodus et Ister narrauerant. Habent eam Pindar. Pyth. 3 ibique Schol. Apollod. III, 10, 3. Hygin. fab. 202 et A. P. II, 40 ex Istro. Pausan. I. p. 170 s. triplicem de Coronide et Aesculapii natalibus traditionem seruauit, quarum vna cum Ouidiana conspirat, nisi quod Coronis a Diana interimitur. Aliam ex Argiuorum carminibus sumsit. Ex illa Phlegyas, bellator ferocissimus Thessaliae, cum in Peloponnesum speculatum venisset; filia eum secuta Aesculapium parit atque in monte quodam exponit, vbi eum capellae mammis nutritum et coelesti igne fulgen-

Tam nuper pictis caeso pauonibus Argo;
Quam tu nuper eras, cum candidus ante fuisses,
Corue loquax, subito nigrantes versus in alas.
Nam fuit haec quondam niueis argentea pennis
Ales, vt aequaret totas sine labe columbas,
Nec seruaturis vigili Capitolia voce
Cederet anseribus, nec amanti flumina cycno.
Lingua fuit damno: linguâ faciente loquaci,
Cui color albus erat, nunc est contrarius albo.
  Pulchrior in totâ, quam Larissaea Coronis,

541. Pro *cui* plurimi codd. *qui*, quod ad *colorem* recte referri potest, et aptius esse videtur. E. —

tem pastores reperiunt. Quae ad corui decolorationem pertinent, ea inde orta videntur, quod in frigidis terris nigrae aues albescunt. Aristot. H. A. III, 12. Caeterum huic fabulae duae aliae commodissime insertae sunt, *Coronei filiae* in cornicem et *Nyctimenes* in noctuam mutatio.

Habilis propter celeritatem, qua agitur. X, 717 *leuis currus* Veneris. Tibul. IV, 1, 130 *Iupiter leui vectus curru.* Horat. I od. 34, 8 *volucrem Iouis currum.* Virg. Aen. I, 147 *leues rotae* Neptuni. Senec. Med. 787 *Triuiae currus agiles.* Burm. vero monet, *habilem* posse h. l. esse aptum Iunoni, vt ap. Cic. *calcei habiles.*

533 In hoc transitu, in quo similitudo paullo altius repetita est, nec placere potest lectori euentus fabulae occupatus, atque adeo in fine non nisi vno versu repetitus. De picta pauonum cauda vid. I, 723. *Alas* nominat et omnino pennas plumasque intelligit. *nigrantes*, nigras. *vertitur in alas nigr.* vertitur sic, vt alae nigrescant.

536 *Alites* ex disciplina augurum dicebantur aues augurales maiores, in quibus coruus, *ales Phoebeius* (vs. 545.) i. Apollini sacer et gratus, in cuius etiam corona sedentem nummi exhibent.

Candidi corui etiam hodie frequentes reperiuntur in terris borealibus; neque tamen illi toti albent, sed nigro colori admixtum habent candidum. vid. Mullerus ad Linnei Syst. Nat. To. II, p. 171. Sed olim, ex opinione Poëtae, haec ales erat *niueis argentea pennis*, i. niueae s. candidae eius pennae referebant colorem argenti. Sic III, 407. *nitidis argenteus vndis.* — *sine labe*, sine macula nigra aut alius coloris. Schirach. sine caussa *totas* mutari volebat in *totus*. Etenim *totas sine labe*, quae in toto corpore nullam maculam habent, significantius est coniectura illa. De *anseribus* tempore Manlii Capitolium seruantibus, adscendentibus Gallis, res nota e Liuio V, 47. Hinc Lucret. IV, 687. *Romulidarum arcis seruator*, *candidus anser*, quem locum Noster haud dubie ante oculos habuit. Iucunde autem hos nominauit pro anseribus in genere. *Loquacem linguam* etiam poëtae hic obseruabis, si attenderis ad illa, *cum candidus ante fuisses* — *fuit niueis argentea p. ales* — *cui color albus erat. contrarius* s. niger color inde dictus est *coruinus*, et κόρον Graecis est μέλαν. Burm.

542 *Haemonia*, Thessalia, (vid. ad I, 568.) cuius vrbs nobilissima

Non fuit Haemoniâ. Placuit tibi, Delphice, certè,
Dum vel casta fuit, vel inobseruata: sed ales
Sensit adulterium Phoebeïus; vtque latentem
Detegeret culpam non exorabilis index,
Ad dominum tendebat iter. Quem garrula motis
Consequitur pennis, scitetur vt omnia cornix:
Auditâque viae caussa, Non vtile carpis
Inquit, iter; ne sperne meae praesagia linguae.
Quid fuerim, quid simque, vide; meritumque require:
Inuenies nocuisse fidem. Nam tempore quodam
Pallas Erichthonium, prolem sine matre creatam,
Clauserat Actaeo textâ de vimine cistâ,

Larissa ad Peneum amnem. Omnia in hac fab. ex Arcadia translata sunt in Thessaliam. Vid. Burm. ad vs. 599 et Heynium ad Apollod. d. l. *Pulchrior* etc. Ἱμερόεσσα Κορωνὶς vr. in oraculo Pythiae ap. Pausan. p. 171. *casta*, quae non rem habuit cum alio praeter Apollinem.

545 Coruum Apollo custodem addiderat Coronidi, ne quis eam violaret. Hygin. *Tendere iter, cursum, fugam*, phrases sollemnes; subintelligendam esse in his praeposit. *per*, monet Perizon. ad Sanctii Min. III, 3. p. 305. Drakenb. ad Sil. X, 73 explicat, celerare cursum. Celeritatis notio etiam inest in *motis alis*. *scitetur vt omnia*. Garruli enim et curiosi sunt rerum alienarum; *garrula cornix*, λακέρυζα κορώνη, Hesiod. Ἔργ. vs. 749. Aristoph. Auib. vs. 610. Hinc prouerb. λαλίστερος κορώνης. Anacr. IX, 36. cf. Plin. H. N. X, 12. init.

549—595 Iucunda est haec auium vna volantium confabulatio; eiusque ope duas alias fabulas cognoscimus. Prioris origo ex nomine ipso repetenda est, cum cornix Graecis κορώνη diceretur. *Non vtile*, noxium, figura litotes, qua amici dissuadentes vti solent. *Vide* vox eorum, qui exemplis monent. *meritum*, culpa, peccatum. V. ad 279. *fidem*, qua dedita erat Mineruae. Commode adspersit aliam fabulam similis argumenti. *Cornix pulsa tutela Mineruae*.

553 Vulcanus cum Mineruа concumbere voluit. Sed cum Dea repugnaret, pudicitiamque defenderet, semen Vulcani in terram decidit, vnde puerum natum ἀπὸ τῆς ἔριδος καὶ χθονὸς (a certamine et terra) *Erichthonii* nomen traxisse dicunt. Hunc Mineruа in cista, dracone apposito, seruandum dedit Aglauro, Hersae et Pandroso, Cecropis filiabus; quae cum cistam aperuissent, cornix rem indicauit; sed ob ingratum nuntium tutela Mineruae pulsa est. Ineptam hanc fab. etymologica nominis Erichthonii interpretatio peperit. Antiquiores tantum Vulcani et Terrae filium eum dixerant. Id quam varie deinde tractatum sit, apparet ex Eurip. Ion. 267 sqq. Pausan. I p. 41. Apollod. III, 14, 6. Hygin. P. A. II, 13. Fulgent. Myth. II, 14. Antigon. Hist. Mir. c. 12. Etymol. M. in Ἐριχθεύς. Adde Heynii Antiqu. Aufsätze P. I p. 42. De Cecropis filiabus v. Pausan. p. 7. — *Actaeo* ornatus

Virginibusque tribus, gemino de Cecrope natis,
Hanc legem dederat, sua ne secreta viderent.
Abdita fronde leui densâ speculabar ab vlmo,
Quid facerent. Commissa duae sine fraude tuentur,
Pandrosos, atque Herse. Timidas vocat vna sorores

555. Post hunc vers. olim alius sequebatur, *Seruandam dederat, sed inconfessa, quid esset*, tum seq. *Et legem*. Sed Heins. cum illud additamentum a priore Regio, priore Erfurt. et aliis duobus abesset, praeterea Vatic. Vrbinas et sex alii *Hanc legem* praeferrent, bene loco consuluit illo versu eiecto, et hac lect. recepta. G. — In cod. Berol. legitur hic locus ita: *de Cecrope natis Seruandum dederat, sua ne secreta viderent, Seruandum dederat, sic inconfessa quid esset, Et legem* etc. Librariorum additamentum haec esse, monet etiam Bothius in Vindicc. p. 16, 17, qui tamen legit: *Virginibus que tribus, g. d. C. natis Ac legem dederat*, vt sensus sit: Pallas iis Erichthonium et legem dederat. Comparat X, 50. qui tamen locus non quadrat, ad eius correct. firmandum. Offendit etiam hyperbaton, quod loco infert. E.

caussa additum, quia res gesta in Attica, quae olim *Acte*.

555 Cecrops Graecis dictus est διφυής haud dubie propterea, quod Agypto oriundus in Graeciam peruenerat, et sic vtrique genti annumerari poterat. Hesych. διφυεῖς· οἱ δύο φύσεις ἔχοντες. Hoc vocab. Graec. Noster interpretatur, *geminus*. Etiam Centauri, quos Isocrat. διφυεῖς vocat, ei *gemini* sunt, vt vs. 630. VI, 126. Apollod. III, 14, 1. Cecrops συμφυὲς ἔχων σῶμα ἀνδρὸς καὶ δράκοντος.

557 *Vlmum* nominat, cuius folia densa facile auem abscondere poterant. *leui* tantum ornat. *tuentur*, clausam seruant cistam. *sine fraude*, fideliter. *duae*. Ap. Pausan. vna Pandrosos. *Aglauros* ab Apollod. III, 4, 2. *Agraulos* scribitur, quod Heyne rectius iudicat, cum contra Barnes. ad Eurip. Ion. 23 omnia illa loca, vbi haec scriptura occurrit, mutanda censeat. *nodos diducit* Rode vertit, *löset die Knoten*. Immo *nodi* sunt ipsa vimina texta, quae pr. drr. *diduci*, quando ab iis, qui introspicere cupiunt, distrahuntur. Sic *nodi* reti tribuuntur nexili Virg. Aen. V, 510. Eurip. λῦσαι τεῦχος, soluisse arcam. Alii ἀνοίγειν. Sed Noster specialem notionem subiecit. Plurali *vident* non debebat Schepp. offendi, etenim Aglauros arcesserat sorores diductis nodis. *adporrectumque dr.* Rode, *das Kind halb Mensch, halb Drache*. Tradebant sane nonnulli, eum habuisse crura anguina, quemadmodum eum alii merum anguem fuisse fabulabantur. Hygin. d. l. Sed illam interpret. h. l. non admittunt Ouidii verba. Is potius consentit cum Apollod. et Fulgent. quorum hic, *Minerua eum abscondidit in cistam, dracone apposito*; ille plane, vt Noster, vident τῷ βρέφει παρεσπειραμένον δράκοντα. Apud Eurip. Ion. 22 et 1427 ei ad corporis custodiam duo dracones adiuncti. Sic et ap. Antigon. *Draco* ille sub Erichthonii nomine in statuis Mineruae cernebatur. Pausan. I. p. 58. Hinc pars fabulae orta. — Quam poenam temeritatis passae sint istae, hic non additur. Nempe insania correptae e praerupto loco se praecipitarunt. Euripid. Pausan. Apollod.

Aglauros, nodosque manu diducit; at intus
Infantemque vident, adporrectumque draconem.
Acta Deae refero: pro quo mihi gratia talis
Redditur, vt dicar tutelâ pulsa Mineruae;
Et ponar post noctis auem. Mea poena volucres
Admonuisse potest, ne voce pericula quaerant.
At puto, non vltro, nec quidquam tale rogantem
Me petiit. Ipsâ licet hoc a Pallade quaeras;
Quamuis irata est, non hoc irata negabit.
Nam me Phocaïcâ clarus tellure Coroneus
(Nota loquor) genuit, fueramque ego regia virgo;
Diuitibusque procis (ne me contemne) petebar.
Forma mihi nocuit: nam cum per litora lentis
Passibus, vt soleo, summâ spatiarer arenâ;
Vidit, et incaluit pelagi Deus: vtque precando
Tempora cum blandis consumsit inania verbis;
Vim parat, et sequitur. Fugio, densumque relinquo
Litus, et in molli nequicquam lassor arenâ.
Inde Deos, hominesque voco; nec contigit vllum
Vox mea mortalem: mota est pro virgine Virgo,
Auxiliumque tulit. Tendebam brachia caelo;

560. Veteres *deducit.* Heins. coni. *seducit.* Sed *diducit* bene se habet. V. not. 572. *cum.* Heins. auctoritate Medic. et duorum Moreti *dum.* Male.

563 *dicar pulsa*, pulsa sim. Animantia et Arbores Diis sacrae drr. in eorum *tutela* esse. Phaedr. III, 17. *ponar post*, locum meum cedere coacta sim.

566 Ne coruus putaret, cornicem ideo pulsam esse tutela Mineruae, quod ingrata ei fuerit haec auis, monet, se a Dea ipsa vltro electam esse comitem; atque ita viam sibi pandit ad transformationem suam narrandam. *At puto* amat Noster in obiect. quas remouere vult. III, 266. XI, 425. In seqq. multum ἦθος. *Nota loquor* addit, quia natales iactat. Fostinus. *ne me contemne.*

573 Virg. G. I, 389. Cornix *sola in sicca secum spatiatur arena.* Spatiantur autem cornices *lentis passibus*, idemque incessus etiam virginem regiam decet. *mollis*, pedibus cedens, quo facile lassantur currentes. Opp. *densum*, solidum; adspergine enim maris litus durescit. — *non contigit*, non exaudita est. IV, 163. *Vota tetigere Deos, tetigere parentes.* — *pro virgine virgo.* Claudian. 35, 207. *stimulat communis in arma virginitas.* G. — *Virgo* vel *Virago*, Παρθένος, est Minerua, quare maiuscula litera h. v. exaraui. E.

580 Singula membra in actu quodam mutantur. *coelo* aeque

Brachia coeperunt leuibus nigrescere pennis.
Rejicere ex humeris vestem molibar; at illa
Pluma erat, inque cutum radices egerat imas.
Plangere nuda meis conabar pectora palmis:
Sed neque jam palmas, nec pectora nuda gerebam.
Currebam: nec, vt ante, pedes retinebat arena;
Sed summâ tollebar humo: mox acta per auras
Euehor, et data sum comes inculpata Mineruae.
Quid tamen hoc prodest, si diro facta volucris
Crimine Nyctimene, nostro successit honori?
An, quae per totam res est notissima Lesbon,
Non audita tibi est? patrium temerasse cubile
Nyctimenen? auis illa quidem; sed conscia culpae,
Conspectum lucemque fugit, tenebrisque pudorem
Celat, et à cunctis expellitur aethere toto.
Talia dicenti, Tibi, ait, reuocamina, coruus,
Sint precor ista malo: nos vanum spernimus omen.
Nec coeptum dimittit iter; dominoque jacentem
Cum iuuene Haemonio vidisse Coronida narrat.
Laurea delapsa est, audito crimine, amanti;

581. *horrescere*, quod nonnulli habent, fluxit ex vs. 478. (583 *imam* legendum esse, contendit Bothius p. 18.) 600. *Amanti* habet non nisi quartus Palat. vnde Heins. recepit. *Amantis*, quod agnoscunt reliqui, est ambiguum, potestque et cum *laurea* et cum *crimine* coniungi. G.

recte ac *ad coelum*. *Brachia* melius in alas mutata finxisset. Eadem autem verba 477 s. *Currere* quasi praelusio quaedam volatus etiam XI, 336. Tum initium verbo *tolli*, denique successus verbis *acta euehor* exprimitur. Ap. Virg. Aen. XI, 136 *pinus actae ad sidera*. *Reiicere* in tergum, verb. in hac re proprium, vid. Burm. *molibar*, parabam.

590 Rursus alia adspergitur fabula, sed breuiter, vs. 591—595. *Nyctimene* fuit vel Epopei, regis Lesbiorum, vel, secundum alios, Nyctei filia. Vi eam compressam a patre, prae pudore abiisse in siluas, ibique a Minerua mutatam esse in noctuam, quae pudoris caussa interdiu lateat, scribit Hygin. fab. 204 et 253. Aliter Seruius ad I Georg. 409.

Temerare, incestu contaminare, polluere, vt XV, 501. Omnino est, temeraria, audacia aggredi et violare res sacras et illicitas. VIII, 742. XV, 75. Tibul. III, 5, 7. *conscia culpae* etc. vid. ad vs. 377. Noctua ideo lucem fugit, quod pupulam oculorum adeo laxam gerit et apertam, vt lucem diurnam ferre nequeat.

599 Hesiod. in fragm. a Strabone seruato, ὅτι Ἴσχυς Ἐλατίδης γῆμε Κόρωνιν. Ischyn autem Apollo sagittis confecit. Apud Pindar. Pyth. III, 46 sqq. Delphis versans hoc resciuit per artem

Et pariter vultusque Deo, plectrumque, colorque
Excidit. Vtque animus tumidâ feruebat ab irâ,
Arma adsueta rapit, flexumque à cornibus arcum
Tendit, et illa suo toties cum pectore iuncta
Indeuitato traiecit pectora telo.
Icta dedit gemitum, tractoque à vulnere ferro
Candida poeniceo perfudit membra cruore,
Et dixit: Potui poenas tibi, Phoebe, dedisse;
Sed peperisse prius: duo nunc moriemur in vnâ.
Hactenus; et pariter vitam cum sanguine fudit:
Corpus inane animae frigus letale secutum est.
Poenitet heu! serò poenae crudelis amantem;
Seque, quod audierit, quod sic exarserit, odit;
Odit auem, per quam crimen caussamque dolendi
Scire coactus erat; neruumque, arcumque, manumque

604. *totiens* cod. Berol. vt semper, ex antiqua scribendi ratione, quamquam Seidenstuecker. in Lectt. Varr. in Arte Am. Ouid. etc. Spec. I. p. 6. hanc scripturam ortam putat e nota productionis, a librariis male intellecta, quam veteres longis syllabis apponere soliti fuerint. 607. Scripturam *poeniceo* Ouidiani aeui esse negat Bothius p. 18 et scribi iubet *puniceo*. E.

suam fatidicam. Sed quoniam coruus auis auguralis, propterea is additus fabulae. De *Haem. iuu.* v. ad 543.

601 *vultus excidit* ei, cuius hilaritas mutatur in sollicitudinem et moerorem. *Color excidit*, cum vultum occupat pallor. Contrarium est *vultum recipere* Fast. IV, 615. Bene autem sic notata animi perturbatio. Cf. IV, 175. 229. Similiter Tibul. IV, 2, 4. Propert. IV, 4, 22. Liu. 39, 34. *Adeo perturbauit ea vox regem, vt non color, non vultus ei constiterit.* — *Tumida ira*, quae mox eruptura est in vindictam, poenam, tropo petito vel a mulieribus parturientibus, vel a nubibus tempestatem minantibus. v. Schwarz. ad Plin. pan. 28. *rapit* de impetu irascentis. V, 64. *arcus arripit*. H. l. tamen, praeter vnum, omnes, *capit*. Et saepe haec duo permutata sunt a librariis. *a cornibus*, quoad cornua. *pectora iungere* saepe de amplexu et concubitu. *Indeuitato*, certo, vocab. ab ipso Ouidio cusum, vt *indeclinatus*, *indeiectus* etc. *poeniceus* s. purpureus cruor, Φοινίκιον αἷμα. Purpura enim habet *nigredinem sanguineam* Cassiod. lib. I. Varr. Epist. 2. Cum purpureo cruore *candida* fere membra coniunguntur, auctore Homero.

611 Hunc vs. abesse mallem; adeo languet et otiosus est. *inane animae*, exanimatum, vt alibi *inane sanguinis*. *secutum est*, occupauit.

615 *neruum* et totum *arcum*. Post nomina partium non raro ponitur totum. *sagittas*, quippe *temeraria* (quibus ipse temere, importune vsus erat) *tela*. Sic XIII, 401. *vt referat*, *Tyrinthia*

Brachia coeperunt leuibus nigrescere pennis.
Rejicere ex humeris vestem molibar; at illa
Pluma erat, inque cutum radices egerat imas.
Plangere nuda meis conabar pectora palmis:
Sed neque jam palmas, nec pectora nuda gerebam;
Currebam: nec, vt ante, pedes retinebat arena;
Sed summâ tollebar humo: mox acta per auras
Euehor, et data sum comes inculpata Mineruae.
Quid tamen hoc prodest, si diro facta volucris
Crimine Nyctimene, nostro successit honori?
An, quae per totam res est notissima Lesbon,
Non audita tibi est? patrium temerasse cubile
Nyctimenen? auis illa quidem; sed conscia culpae,
Conspectum lucemque fugit, tenebrisque pudorem
Celat, et à cunctis expellitur aethere toto.
Talia dicenti, Tibi, ait, reuocamina, coruus,
Sint precor ista malo: nos vanum spernimus omen.
Nec coeptum dimittit iter; dominoque jacentem
Cum iuuene Haemonio vidisse Coronida narrat.
Laurea delapsa est, audito crimine, amanti;

581. *horrescere*, quod nonnulli habent, fluxit ex vs. 478. (583 *imam* legendum esse, contendit Bothius p. 18.) 600. *Amanti* habet non nisi quartus Palat. vnde Heins. recepit. *Amantis*, quod agnoscunt reliqui, est ambiguum, potestque et cum *laurea* et cum *crimine* coniungi. G.

recte ac *ad coelum*. *Brachia* melius in alas mutata finxisset. Eadem autem verba 477 s. *Currere* quasi praelusio quaedam volatus etiam XI, 336. Tum initium verbo *tolli*, denique successus verbis *acta euehor* exprimitur. Ap. Virg. Aen. XI, 136 *pinus actae ad sidera*. *Reiicere* in tergum, verb. in hac re proprium, vid. Burm. *molibar*, parabam.

590 Rursus alia adspergitur fabula, sed breuiter, vs. 591—595. *Nyctimene* fuit vel Epopei, regis Lesbiorum, vel, secundum alios, Nyctei filia. Vi eam compressam a patre, prae pudore abiisse in siluas, ibique a Minerua mutatam esse in noctuam, quae pudoris caussa interdiu lateat, scribit Hygin. fab. 204 et 253. Aliter Seruius ad I Georg. 409.

Temerare, incestu contaminare, polluere, vt XV, 501. Omnino est, temeraria, audacia aggredi et violare res sacras et illicitas. VIII, 742. XV, 75. Tibul. III, 5, 7. *conscia culpae* etc. vid. ad vs. 377. Noctua ideo lucem fugit, quod pupulam oculorum adeo laxam gerit et apertam, vt lucem diurnam ferre nequeat.

599 Hesiod. in fragm. a Strabone seruato, ὅτι Ἴσχυς Ἐλατίδης γῆμε Κόρωνιν. Ischyn autem Apollo sagittis confecit. Apud Pindar. Pyth. III, 46 sqq. Delphis versans hoc resciuit per artem

Et pariter vultusque Deo, plectrumque, colorque
Excidit. Vtque animus tumidâ feruebat ab irâ,
Arma adsueta rapit, flexumque à cornibus arcum
Tendit, et illa suo toties cum pectore iuncta
Indeuitato traiecit pectora telo.
Icta dedit gemitum, tractoque à vulnere ferro
Candida poeniceo perfudit membra cruore,
Et dixit: Potui poenas tibi, Phoebe, dedisse;
Sed peperisse prius: duo nunc moriemur in vnâ.
Hactenus; et pariter vitam cum sanguine fudit:
Corpus inane animae frigus letale secutum est.
Poenitet heu! serò poenae crudelis amantem;
Seque, quod audierit, quod sic exarserit, odit;
Odit auem, per quam crimen caussamque dolendi
Scire coactus erat; neruumque, arcumque, manumque

604. *totiens* cod. Berol. vt semper, ex antiqua scribendi ratione, quamquam Seidenstuecker. in Lectt. Varr. in Arte Am. Ouid. etc. Spec. I. p. 6. hanc scripturam ortam putat e nota productionis, a librariis male intellecta, quam veteres longis syllabis apponere soliti fuerint. 607. Scripturam *poeniceo* Ouidiani aeui esse negat Bothius p. 18 et scribi iubet *puniceo*. E.

suam fatidicam. Sed quoniam coruus auis auguralis, propterea is additus fabulae. De *Haem.* *iuu.* v. ad 543.

601 *vultus excidit* ei, cuius hilaritas mutatur in sollicitudinem et moerorem. *Color excidit*, cum vultum occupat pallor. Contrarium est *vultum recipere* Fast. IV, 615. Bene autem sic notata animi perturbatio. Cf. IV, 175. 229. Similiter Tibul. IV, 2, 4. Propert. IV, 4, 22. Liu. 39, 34. *Adeo perturbauit ea vox regem, vt non color, non vultus ei constiterit.* — *Tumida ira*, quae mox eruptura est in vindictam, poenam, tropo petito vel a mulieribus parturientibus, vel a nubibus tempestatem minantibus. v. Schwarz. ad Plin. pan. 28. *rapit* de impetu irascentis. V, 64. *arcus arripit.* H. l. tamen, praeter vnum, omnes, *capit.* Et saepe haec duo permutata sunt a librariis. *a cornibus*, quoad cornua. *pectora iungere* saepe de amplexu et concubitu. *Indeuitato*, certo, vocab. ab ipso Ouidio cusum, vt *indeclinatus*, *indeiectus* etc. *poeniceus* s. purpureus cruor, Φοινίκιον αἷμα. Purpura enim habet *nigredinem sanguineam* Cassiod. lib. I. Varr. Epist. 2. Cum purpureo cruore *candida* fere membra coniunguntur, auctore Homero.

611 Hunc vs. abesse mallem; adeo languet et otiosus est. *inanis animae*, exanimatum, vt alibi *inane sanguinis.* *secutum est*, occupauit.

615 *neruum* et totum *arcum.* Post nomina partium non raro ponitur totum. *sagittas*, quippe *temeraria* (quibus ipse temere, importune vsus erat) *tela.* Sic XIII, 401. *vt referat*, *Tyrinthia*

Odit, cumque manu, temeraria tela, sagittas,
Collapsamque fouet, serâque ope vincere fata
Nititur, et medicas exercet inaniter artes.
Quae postquam frustra tentata, rogumque parari
Vidit, et arsuros supremis ignibus artus;
Tum vero gemitus (neque enim coelestia tingui
Ora licet lacrimis) alto de corde petitos
Edidit: haud aliter, quam cum, spectante iuuencâ,
Lactentis vituli, dextrâ libratus ab aure,
Tempora discussit claro caua malleus ictu.
Vt tamen ingratos in pectora fudit odores,
Et dedit amplexus, iniustaque iusta peregit;
Non tulit in cineres labi sua Phoebus eosdem
Semina: sed natum flammis vteroque parentis

620. Pro *vidit* Heins. ex Schol. Statii ad Theb. VI, 384 dedit *sensit*. Verum ille forsan loc. memoriter laudauit. 622. *licet*. Heins. ex eodem Schol. adsentiente vno Ms. recepit *decet*. Illud tuetur Brouckh. v. not. G.

tela, sagittas. Tibul. II, 6, 15. *fractas, tua tela, sagittas.* Ita et Silius I, 322. *fouet*, nempe amplexu, vt 339. X, 187. *Collabi* et *corruere* de iis, qui morientes cadunt. *vincere fata*, morti eam eripere. *fatum*, vt μοῖρα, de morte. *Medicas artes* et supra in se ipso (I, 524) et nunc in amata, et X, 189 in Hyacintho interfecto, *inaniter*, sine fructu, *exercebat*.

620 *suprema*, omnia, quae in honorem et vsum mortuorum fiunt. v. Burm.

621 Non licet Diis flere. cf. IV. Fast. 521. Eurip. Hipp. vs. 1395, vbi Diana, κατ' ὄσσων δ' οὐ θέμις βαλεῖν δάκρυ. Fortasse haec quoque lex, vt illa, de qua mox ad vs. 678 dicemus, ab Euripide ficta, et ab Ouidio, qui saepe Euripid. exprimit, inde sumta. Hoc quidem certum est, Deos saepenumero ab hoc vel decore vel lege recessisse; vt exemplis bene multis docet Brouckh. ad Propert. II, 13, 54. *alto*, profundo, *de corde*; vt *alto pectore* I, 656.

623 Superflua et mira comparatio. *libratus ab aure* vid. ad vs. 311. Cf. Virg. Aen. II, 222. vbi multo melior similitudo.

627 *Iusta* sunt *funebria*, quod nomen interdum additur; et vocantur *iusta*, quia debentur mortuis. Hinc *iusta facere* aut *peragere*, rite et debitis honoribus sepelire. *Iusta*, omnino modus certus, quo sollemnia officia tempore certo peragenda sunt, vt *iusta militaria* etc. v. Gronou. Obs. I, 4. p. 112. Additur *iniusta*, ὀξυμώρως, quia iniusta nece affecerat Coronida. Sed Schirach. reddit caussam hanc: „namque non admodum bene de eo fuerat merita Coronis." Sollemne erat *amplexus* et oscula *dare* in rogo ponendis. Propert. II, 10, 29. *in cineres labi*, resolui in cineres. Horat. IV od. 13, 28. Arnob. VII p. 251 *dissolutum in cineres labitur*. — *Semina*, prolem suam. Eurip. Iph. Aul. 524. Σισύφειον σπέρμα. *vtero eripuit*. Sic III, 311 ex vtero matris Bacchus eripitur.

Eripuit, geminique tulit Chironis in antrum;
Sperantemque sibi non falsae praemia linguae,
Inter aues albas vetuit considere coruum.

Ocyrhoë.

Semifer interea diuinae stirpis alumno
Laetus erat, mixtoque oneri gaudebat honore.
Ecce venit rutilis humeros protecta capillis
Filia Centauri; quam quondam Nympha Chariclo,
Fluminis in rapidi ripis enixa, vocauit
Ocyrhoën. Non haec artes contenta paternas

633. *Semiuir* scribendum esse, contendit Burm. Sec. ad Anth. Lat. T. II p. 696. *Semifer* enim, vt *letifer*, *mortifer*, *salutifer* et sim. descenderet a *fero*, non a *ferus*; et potius Nominatiuus esse deberet *semiferus*. E. 636. Mss. longe plurimi *Charicio*, quod Naugerius auctoritate Pindari et Schol. Apollon. ad I, 554. in *Chariclo* mutauit, eumque secuti sunt reliqui Edd. 638. *Ocyrhoen*. Sic, inserta lit. *h*, scribendum putauimus.

Virg. Aen. X, 315. *Lichas exsectus iam matre peremta*, et hinc Phoebo, Deo medico, sacer. Ibi Seruius monet, omnes exsectos Phoebo fuisse sacros.

630 *Chiron*, Centaurus, Saturni filius, vixit tempore Argonautarum, nec solum artem chirurgicam inuenit, sed aliis etiam artibus excelluit; itaque praestantissimi illius aetatis viri disciplina eius vsi erant, Iason, Hercules, Achilles, alii. Plura de eius in genus humanum meritis habet Clemens Alex. Strom. lib. I. p. 360. Vocatur *geminus* et vs. 664. *biformis*, a natura Centaurorum. Horum formam e symbolica quadam imagine esse natam, tum Chironis fab. varie esse compositam, nec facile expediendam, monet Heyne in Antiq. Aufsätzen P. I p. 33. Habitabat autem Chiron in iugo Pelii montis. Callim. h. Del. vs. 104.

632 Vetuit esse auem albam; sed bene *considere*, auibus enim tribuuntur *sedes*. Phaedr. I. fab. 3, 13. vbi vid. Burm.

FAB. V, 633—675. *Ocyrhoë*, Chironis filia, non contenta chirurgicam artem a patre didicisse, futurorum etiam scientiam a Diis impetrauerat. Sed cum aliquando, inuitis Diis, et patri et Aesculapio infanti fata instantia caneret, repente conuersa est in equam. Cf. Hygin. P. A. II, 18. qui varias huius fab. formas, etiam ex Euripid. Melanippa et Callim. refert: tum Eratosth. 18. Sine dubio verum mulieris nomen fuit *Hippo*, v. vs. 638. et inde transformatio ficta est.

Semifer, quia inferior corporis pars *feri*, equi, figuram referebat. *Onus*, nempe educationis, de qua *onerosior* IX, 675. Chironis ope Aesculapius factus est χειρουργικὸς et venator. Apollod. III, 10, 3. *venit*, accessit ad patris antrum, in quo infans. *protecta*, tecta. Capillos habebat sparsos in humeris, more vaticinantium. Cf. 673. Fast. I, 503. Tibul. II, 5, 66. ibique Heyn. De *rutilis* capillis vid. ad vs. 319.

638 *Ocyrhoë* est, si vim verbi spectes, quae rapide fluit. Caussa nominis additur, *Fluminis in rapidi* etc. Male igitur Heins. *rapidi* in *patrii* mutatum volebat, vt fluuii filia fuisse designetur. Hygin. d. l. *Euripides in Mela-*

Edidicisse fuit: fatorum arcana canebat.
Ergo vbi vaticinos concepit mente furores,
Incaluitque Deo, quem clausum pectore habebat,
Adspicit infantem, Totique salutifer orbi

639. Burm. ex vno Vossiano *Addidicisse.* Mox pro *canebat* sec. Palat. *mouebat*, quod Gebhardo Crep. 2, 5. placebat. Occurrit sane etiam Virg. Aen. I, 262. *fatorum arcana mouebo;* sed hoc initium tantum fatorum canendorum significat, neque adeo h. l. conuenit. Heins. ex Medic. arridebat *monebat;* quod verbum est vatum. Probat etiam Burm. cui ingrata eiusdem soni repetitio in *arcana canebat.* Sed v. ad I, 299. 640. *vaticinos.* Hoc restituimus Mss. plurimorum auctoritatem secuti. Heins. ex vno Vrbinate innexerat *fatidicos.* Nonnulli *faticinos.* Non mirum est, haec tria saepe esse permutata a librariis. 642. Gebhard. legit *vrbi*, et de Roma capit, quo translatus postea Epidauro fuit Aesculapius. Mirificam profecto vatem nobis exhibuit!

nippa, Hippen, Chironis filiam, Thean antea appellatam dicit. Etiam Clemens Alex. d. l. tradit, Hipponem fuisse Chironis filiam, quae Aeolo nupserit.

639 Renocaui *Edidicisse*, quia Noster h. v. frequentat pro, discere, cognoscere, VII, 99. XIII, 246. Heroidd. VII, 180. III Pont. 7, 4. quibus in locis nulla varietas notata. Neque Ouid. hunc eius vsum nouauit, vt Burm. putabat; sed ita et Cic. Diu. I, 47. Tibul. II, 2, 12. *fat. arc. canebat*, vates erat. *Canere* de vaticiniis et oraculis, quae olim versibus consignata edebantur. Nec tamen omnino displicet altera lectio, *monebat. Monere* enim proprie dicuntur non modo augures et aruspices, sed etiam vel maxime oracula et vates.

640 Describitur mulier Φρενομανής, fatidica. Vaticinantes enim furore diuino rapi, menteque moueri credebantur, vnde iidem Θεόληπτοι, Θεοφορούμενοι, ἐνθουσιῶντες dicebantur. Dicuntur *Deum accipere pectore, clausum tenere pectore, excutere pectore*, Senec. Oedip. vs. 298.

642 A Celso praefat. Aesculapius numeratur primus Medicus, qui rudem adhuc scientiam paullo subtilius excoluerit. Clinicen reperisse traditur ab Hygin. fab. 274. Et nomen σωτὴρ, *salutifer*, multis in nummis ei tribuitur. vid. Spanhem. de Vsu et praestant. numism. p. 416. et p. 500. Medicus enim felix *salutem* i. valetudinem reddit aegrotantibus — *tibi se mortalia* etc. saepe valetudinem corporum suorum et vitam tibi debebunt mortales. *animas reddere ademtas*, mortuos in vitam reuocare, *tibi fas*, possibile erit, in tua potestate erit. Pindar. P. III, 83 narrat, eum herbarum succis, carminibus, amuletis et ferro morbos sanasse, vulnera atque calore aut frigore male adfecta corpora, tum auaritia adductum mortuum aliquem in vitam reuocasse. Similia Pherecydes et Hesiod. tradiderunt, vnde Schol. Eurip. ad Alc. 2 nonnulla adfert. *semel ausus*, Quem Aesculapius in vitam reuocauerit, de eo dissentiunt mythologi, aliis Glaucum, Minois filium, nominantibus, aliis Hippolytum, aliis Tyndareon, aliis alios. Vid. Apollod. d. l. Zenob. I, 18 et Munker. ad Hygin. fab. 49. Hanc igitur ob caussam a Ioue fulmine necatus est. *Diis indign.* Erastosth. τῶν θεῶν δυσχερῶς τοῦτο φερόντων etc. Plutonis de ea re querelas

Cresce puer, dixit: tibi se mortalia saepe
Corpora debebunt; animas tibi reddere ademtas
Fas erit; idque semel Dis indignantibus ausus,
Posse dare hoc iterum flammâ prohiberis auitâ:
Eque Deo corpus fies exsangue; Deusque,
Qui modo corpus eras; et bis tua fata nouabis.
Tu quoque, care pater, non iam mortalis, et aeuis
Omnibus vt maneas, nascendi lege creatus,
Posse mori cupies tum, cum cruciabere dirae
Sanguine serpentis, per saucia membra recepto;
Teque ex aeterno patientem numina mortis
Efficient, triplicesque Deae tua fila resoluent.
Restabat fatis aliquid; suspirat ab imis

654. Alter Regius, *reuoluent*, aeque. Fila Parcarum drr. *reuolui*, *resolui*, *retexi*, *iterari* etc.

habet Diodor. Sic. IV, 71. *prohiberis*, Praesens pro Fut. quia vates futura vt praesentia sibi fingunt. *his tua fata nou.* duplicem experieris metamorphosin. *Nouare* sic et 674. XI, 261.

649 Nunc quidem natura tua immortalis es et aeternus. *manere*, de vita aeterna. *cum cruciab.* etc. Chironis pedem Hercules imprudens sagitta hydrae Lernaeae *sanguine*, veneno, tincta vulnerauit, vel cum apud eum deuertisset, Hygin. P. A. II, 38, vel cum Maleae alium Centaurum transfigere vellet. Pausan. V, p. 387. Apollod. II, 5, 4. Eratosth. 40. Noster priorem rationem secutus est V Fast. 397—414. *recipiuntur* ea, quibus quis vulneratur, aut quae penetrant in corpus. *patiens mortis*, mortalis. *Pati necem* est X, 627. Cum cruciaretur, immortalitatem suam sponte cessit Prometheo, qui Iupiter ea lege immortalitatem promiserat, si daret immortalem, qui pro ipso mori vellet. Lucian. D. Mort. 26. *resoluent* Heins. explicabat, secabunt. Potius est, retorquebunt. Tibul. I, 7, 2, de iisdem Parcis, *stamina non vlli dissoluenda Deo.* Propert. IV, 7, 51. *reuolubile stamen.* Noster X, 31 *retexere.*

655 *Restabat* etc. Similis conversio I, 700. sed h. l. ipse noluit restantia addere, nempe fore, vt Chiron inter sidera referatur. Fast. d. l. *Nona dies aderat; cum tu, iustissime Chiron, Bis septem stellis corpora cinctus eras.* Centauri enim sidus ei Graeci dicarunt. — Filia secundum Eurip. in Menal. grauida ex Aeolo, Hellenis filio, cum patre inscio peperisset, in equam mutata, et ipsa inter sidera relata est. Secundum Callim. a Diana conuersa est, quod venari desierat Deamque colere. Hygin. d. l. Sed ap. Nostrum transformatur, quod Deorum consilia enuntiabat. Ingeniosum autem figmentum, quo vates mutationem suam praesentit et praedicit. *Praeuertunt fata*, transformor, priusquam finierim vaticinium. *Praecludere* sollemne in hac re. Phaedr. I fab. 2, 26. *vocem praecludit metus.* fab. 23, 5, *linguam praecludere*, ad quae loca v. Burm.

Pectoribus, lacrimaeque genis labuntur obortae;
Atque ita, Praeuertunt, inquit, me fata, vetorque
Plura loqui, vocisque meae praecluditur vsus.
Non fuerant artes tanti, quae numinis iram
Contraxere mihi; mallem nescisse futura.
Iam mihi subduci facies humana videtur:
Iam cibus herba placet: iam latis currere campis
Impetus est: in equam, cognataque corpora vertor.
Tota tamen quare? pater est mihi nempe biformis.
Talia dicenti pars est extrema querelae
Intellecta parum, confusaque verba fuere:
Mox nec verba quidem, nec equae sonus ille videtur;
Sed simulantis equam: paruoque in tempore certos
Edidit hinnitus, et brachia mouit in herbas.
Tum digiti coëunt, et quinos adligat vngues
Perpetuo cornu leuis vngula: crescit et oris,
Et colli spatium: longae pars maxima pallae
Cauda fit; vtque vagi crines per colla iacebant,
In dextras abiere iubas; pariterque nouata est
Et vox, et facies: nomen quoque monstra dedere.

666. *fuere.* Heins. aliquando placebat *feruntur*, vt vs. 483. (*fuerunt* ex cod. Berol. et antiq. editt. praefert Bothius p. 18, quippe sonantius in fine versus. 672. *pars vltima* e tribus codd. cum Burm. probat H. Voss. in Both. Vind. p. 170. 675. *dederunt* ex cod. Berol. Heidelb. aliisque maunlt Bothius. Vid. ad vs. 666. E.)

663 *cognata corpora*, quia pater ex parte equus. Sed ille ex parte tantum et *biformis*, cur igitur ego *tota* vertor in equam? *nempe*, quippe.

665 Passim Ouidi fingit, verba loquentis abrupta esse ipsa transformatione, vt 363. Idem nunc latius tractat, et transitum a voce humana ad hinnitus gradatim describit, vt vs. 586 s. ab incessu ad volatum. In talibus, quippe argutiis, placuit sibi ingenium poëtae. *simulantis*, imitantis. Mox edit *certos* hinnitus, quales verus equus edit, non quos aliquis imitans equi sonum effingeret, perspicuos. v. ad V, 296. *brachia* etc. prono corpore coepit brachiis mutatis incedere. *coëunt*, coalescunt interstitiis sublatis. Sic vulnera drr. *coire* et aqua, quae congelatur. Contra I, 742. *Vngula in quinos dilapsa absumitur vngues.* vbi v. not. *perpetuo*, non scisso; vngulae enim equorum sunt solidae. Etiam vestes mutantur cum corpore, 582. I, 236. sed cum nunc *palla fit cauda*, lasciuit ingenium poëtae. *vt iacebant.* v. ad 272. *Iubae* in vno colli latere dependere solent. Verba *pariterque* etc. otiosa et

Flebat, opemque tuam frustra Philyreïus heros, *Battus.*
Delphice, poscebat; nam nec rescindere magni
Iussa Iouis poteras, nec, si rescindere posses,
Tunc aderas. Elin, Messaniaque arua colebas.
Illud erat tempus, quo te pastoria pellis

679. Olim vulg. *Messeniaque.* Sed Vatic. Coelest. Francof. Regius et optimus quisque *Messaniaque* aut *Messanaque.*

languida sunt post descriptionem, quae praecedit. *nomen dedere,* nempe Hippo aut Hippe dicta est. *monstra,* transformatio, vt 367, aut nouata facies.

FAB. VI, 676—707 *Mercurius* Apollinis boues cum abigeret, *Battum,* senem pastorem, quem obuium habebat, rogabat, furtum ne indicaret: quod ille, mercede accepta, promisit quidem, sed mox Mercurio, sub aliena forma eius tentandi causa redeunti, locum ostendit, quo boues pascerentur: quam ob perfidiam *in saxum mutatus est.* Fundamentum fab. in Homer. hymn. in Mercur. copiosissime tractatur. Ibi Mercurius eo ipso, quo natus erat, die ex bubus Deorum, quas Apollo in Pieriae monte pascebat, quinquaginta summa calliditate per Boeotiam abegit ad Alpheum in Peloponneso, atque prope Pylum in antro quodam abscondidit. In itinere prope Onchestum senem vinitorem rogat, ne furtum prodat, sed ille Apollini boues quaerenti, quid viderit, indicat. Sed eandem fab. etiam Hesiodus, Nicander, Didymarchus, Antigonus, Apollon. Rhod. narrauerant, vnde eam Antonin. Lib. Metam. 23 repetiit: quae ratio paullo propius ad Ouidianam accedit. In ea occurrit Battus, qui, mercede accepta, silentium spondet, et a Mercurio redeunte, cum datam fidem falleret, in saxum mutatur; quamquam in aliis quibusdam rebus, vt suis locis videbimus, dissentit.

Philyreius a Philyra matre, quacum Saturnus, sumta equina forma, in Pelio monte congressus habuerat. Apollon. II, 1236. Virg. G. III, 92—94. Sic Chiron erat *heros* sensu antiquo; ἥρως enim olim dicti sunt, qui a Deo Deaue prognati erant. Male igitur Rode vertit *Held,* et Saffteus, *grossmüthiger Sohn.*

677 *nec rescindere.* Non enim rescindere Diis licet acta aliorum Deorum. cf. III, 336. XIV, 784. Fluxit hoc ex Euripid. Hipp. vs. 1328. a quo haec Deorum lex confecta videtur Valkenar. ad d. l. *aderas,* scil. in Thessalia, vbi habitabat Chiron; etenim non nisi praesens Deus opem ferre poterat adflictis. Apollo autem abierat, boues quaerens, in Peloponnesum, vbi *Elis* et *Messenia* s. (e dialecto Dorica) *Messania* arua. Lactant. in Arg. tradit, Apollinem tunc Admeti in Thessalia armenta pauisse. Eius auctoritate decepti Intt. quidam verba *Elin Mess. arua* mutari voluerunt. Temere. Ad illam custodiam Apollo multo serius damnatus erat, occisis Cyclopibus, qui Ioui ad necandum Aesculapium fulmen ministrarant. Apollod. III, 10, 4.

680 Pastorem ab habitu rursus designat. *Pellis* humeros pastorum tegere solebat. Vers. seq. reuocaui lect. antiquam, quam ex parte etiam alii Mss. plurimi adiuuant, in quibus aut *onus dextrae baculus siluestris oliuae,* aut, vt ante Heins. vulgabatur, *Onusque fuit baculus siluestris oliuae.* Etenim bacu-

Texit; onusque fuit dextrae siluestris oliua;
Alterius dispar septenis fistula cannis.
Dumque amor est curae, dum te tua fistula mulcet,
Incustoditae Pylios memorantur in agros
Processisse boues. Videt has Atlantide Maiâ
Natus; et arte suâ siluis occultat abactas.
Senserat hoc furtum nemo, nisi notus in illo
Rure senex, Battum vicinia tota vocabant.

681. Heins. ex Florent. S. Marci, secund. Palat. et Leodic. dedit, *onusque fuit baculum siluestre sinistrae*, quod ob κακοφωνίαν *siluestre sinistrae* damnat Bothius p. 18—20. 682. Heins. putabat, ab ipsa Nasonis manu esse, *septena fistula canna.* (688. plurimi codd. *vocabat*, quod placet H. Vossio in Both. Vind. p. 170.)

lum oleagineum gestare solebant pastores. Apollon. II, 34. atque etiam ap. Virg. Ecl. VIII, 16. Damon incumbit *tereti oliuae.* Et gestabatur *dextera.* Theocrit. Id. 7, 15—19. quocum hic loc. e nostra lect. egregie conspirat. Nam et ibi pastor humeris indutam habet *pellem*, δέρμα, et *dextera* fert *ex oleastro pedum*, ἀγριελαίω δεξιτερᾷ κορύναν. Tali habitu conspiciuntur pastores ap. Goraeum II n. 9. et Borionium in Collect. Antiq. Tab. 87. *Onus*, quidquid gestatur, IV Fast. 241. *onus inguinis. fistula*, cum Apollo alias lyram moderaretur. De eius forma v. ad I, 711.

683 Hoc de *amore* forte Ouid. addidit, quia Apollo, cum serius Admeti armenta pasceret, vel Hymenaeum, Admeti nepotem, amasse, vel ipsius Admeti amore arsisse traditur. *mulcere* passim de carminum et musices suauitate. *Pylus* dictae sunt vrbes tres in Peloponneso. Nunc Pylus Nelei in Triphylia prope Elin intel. Posuit femin. *incustoditae;* erant enim, auctore Hom. 192 πᾶσαι θήλειαι. Has *vidit* Mercurius, quippe in Cyllene, Arcadiae monte, natus. *arte sua*, nota illa, qua excellebat, calliditate. Homer. 76 δολίης δ' οὐ λήθετο τέχνης. Ille enim *callidus, quidquid placuit, ioco*s*o condere furto*, Horat. I Od. 10, 7. vbi hoc ipsum exemplum subiicitur. Dolos in ea re adhibitos memorat Antonin. Lib. multoque latius Homer. d. l. *Artes* autem Latinis omnes dotes animi et corporis. *siluis.* Coryphasium, Messeniae promontorium, Antonin. memorat.

688 *Battum* sine dubio vocabant, vt fit, a vitio quodam. Graecis βάττος vr. balbus; qui non distincte pronuntiare potest verba. Ap. Herodot. IV, 155. Battus rex Cyrenes balbutiens. In Alberti Gloss. N. T. p. 200. Battus pastor balbutiens commemoratur. Inde βατταρίζειν, balbutire. Quamquam illo nomine et is notabatur, qui multa temere effutit, vt notum. *Neleus*, rex Pyliorum, pater Nestoris. Is numerosa et egregia habebat armenta, (Homer. Od. λ, 288) quae autem, cum Pyliorum ager arenosus esset, plurimum extra Nelei fines pascebantur. Pausan. Messen. p. 371. Hinc vocatur *diues*; priscis enim temporibus diuitiae censebantur multitudine armentorum et gregum; itaque nec *custodes* pecorum infimi loci erant. Caeterum Nelei aetas incidit in tempora Centaurorum.

Diuitis hic saltus herbosaque pascua Nelei,
Nobiliumque greges custos seruabat equarum.
Hunc timuit, blandâque manu seduxit; et illi,
Quisquis es, hospes, ait, si forte armenta requiret
Haec aliquis, vidisse nega; neu gratia facto
Nulla rependatur, nitidam cape praemia vaccam:
Et dedit. Acceptâ, voces has reddidit hospes:
Tutus eas, lapis iste prius tua furta loquatur:
Et lapidem ostendit. Simulat Ioue natus abire.
Mox redit; et, versâ pariter cum voce figurâ,
Rustice, vidisti si quas hoc limite, dixit,
Ire boues, fer opem furtoque silentia deme:
Iuncta suo pretium dabitur tibi femina tauro.
At senior, postquam merces geminata, Sub illis
Montibus, inquit, erunt; et erant sub montibus illis.

691. *et illi.* Burm. mauult, *At tu*, vt I, 678. (696. *loquetur* e plurimis codd. praefert H. Voss. p. 170.)

Homer. Il. α, 262. *Equarum* greges Neleus alebat sobolis caussa; hinc *nobiles*, delectae. Cum vnus Battus adesset, non opus erat eum *seducere*, seorsim ducere. *et illi* reuocauimus ex Mss. nam Heins. et hic, et pluribus aliis locis ex ingenio *Eia* infarsit. *Quisquis es*, v. ad I, 679. *vidisse nega.* Homer. 92. ἰδὼν μὴ ἰδὼν εἶναι, καὶ κωφὸς ἀκούσας, καὶ σιγᾶν. *facto*, negotio. *nitidam.* V. ad I, 610. Apud Antonin. chlaenam silentii mercedem accipit.

696 *Tutus*, securus, non sollicitus. Ex *voce* non raro facilius agnoscimus homines, quam ex figura. *silentia deme*, indica furtum occultum. *pretium*, praemium. vid. Burm. ad Phaedr. I, 8, 1. et Heins. ad h. l. *femina*, vacca. Senec. Agam. 352. *coniux tauri.* Contra *vir* de capro et tauro. vid. ad I, 660.

703 Rode secutus est veterem lect. *sub illis montibus, inquit, sunt, et sunt sub m.* putatque cum Glareano, repetitione illa Batti battologiam expressam esse, et Mercurium, vt illam irrideret, et ipsum verba *me mihi prodis?* repetiisse. Mirum! Cum Battus dixisset, *sub* (in, prope) *montibus erunt*, addendum erat, fuisse ibi, nec Battum imposuisse Mercurio. Verba autem *me mihi prodis* (in quibus similis lusus ac 430. I, 641. VI, 385) grauiter et cum vi repetuntur, vt solemus, cum alicui magnam stultitiam exprobramus. *periura*, perfida. Apud Antonin. Battus Mercurii baculo tactus in lapidem mutatur, quem neque aestus neque frigus deserat, locusque, vbi res accidit, Βάττου σκοπιά vr. *Silex* poëtis omnis lapis, et *durus* est epitheton commune lapidum. Hinc 831 *durescere*, in lapidem mutari. *Indicem* putant esse lapidem Lydium, qui aurum explorat, indicat eius bonitatem. At nulla auctoritate doceri potest, *indicem* sic dictum Romanis, et, si dictus esset, nulla *infamia*

Risit Atlantiades; et, Me mihi, perfide, prodis?
Me mihi prodis? ait; periuraque pectora vertit
In durum silicem, qui nunc quoque dicitur Index:
Inque nihil merito vetus est infamia saxo.

Aglauros.

Hinc se sustulerat paribus Caducifer alis;
Munychiosque volans agros, gratamque Mineruae
Despectabat humum, cultique arbusta Lycei.
Illa forte die castae de more puellae

ei inesset. Lactant. in Argum. qui interdum eosdem, quos Ouid. secutus est, auctores consuluit, habet: *in lapidem eum mutauit, qui ab euentu index circa Pylum vocatur.* Hic non genus quoddam lapidum intel. sed vnus ille lapis, in quem Battus propter perfidum *indicium* mutatus est. Sic igitur et Ouidium explicandum arbitror. Sine dubio in quodam Messeniae monte cernebatur seriore etiam tempore saxum hominis formam vtcunque referens. In eum ipsum mutatum esse Battum antiqui tradiderant; vnde ei *Indicis* nomen haesit et cum nomine infamia. *Index* enim et satis inuidiose dicebatur. v. Ernesti ad Sueton. Caes. 17.

FAB. VIII, 708—832. Mercurius amat *Hersen*, Cecropis filiam, rogatque eius sororem *Aglauron*, vt suam sibi in eius amore conciliando operam addicat. Illa vero pro ministerio magnam sibi expetit auri vim. Minerua igitur et memor nuperae perfidiae, (vs. 555 sqq.) et offensa auaritia virginis, Inuidiam adit, eamque rogat, vt veneno suo Aglauron inficiat; quo facto illa lenta tabe conficitur, et cum inuidia sororis tacta Mercurium excludere vellet, in lapidem ab eo mutatur. Apud Hygin. fab. 166. Aglauros cum sororibus, a Minerua ob cistulam apertam insania obiecta, in mare se praecipitat. cf. Pausan. p. 41.

Hinc, ex Pyliis agris. *paribus alis*, leni volatu, cum alae non magnopere mouentur, sed linea propemodum eadem semper manent. Respexisse videtur Virg. Aen. IX, 14. Liuius 1, 34. *suspensis alis.* Qui ita volant, *pendere* dicuntur; mox vs. 726 et IV, 616. Opp. *iactatis*, aut *motis alis*, quibus vs. 835 in coelum auolat.

706 *Munychios*, Atticos. *Munychia*, pars vrbis Atheniensis cum portu. *gratam Min. hum.* nempe *gratae* et *dilectae* Diis vrbes dicuntur, quae sunt in eorum tutela. *Lyceum* Athenis gymnasium, situm extra moenia ad Ilissum, egregie cultum et arboribus consitum; in quo serioribus temporibus Aristoteles scholas habebat. Cecropis autem aetate nec *Lyceum* conditum, nec sollemnia illa, quae iam describuntur, instituta erant.

711 *Die* vicesimo secundo mensis Hecatombaeonis, qui fere respondet nostro Iulio, quinto quoque anno celebrari solebant *de more*, ab Erichthonio rege instituto, et a Theseo renouato, Panathenaea, quibus peplus Mineruae gestabatur. In pompa solemni *puellae castae* et nobilissimae *vertice supposito*, in capite, portabant *canistra* s. corbes, vnde κανηφόροι et λικνοφόροι dictae sunt; nam κανοῦν *canistrum* significat; et λίκνον eodem redit. Ea canistra *coronata* (Ciofan. interpr. ad marginem vsque plena) erant floribus et frondibus, continebantque *sacra*,

Vertice supposito festas in Palladis arces
Pura coronatis portabant sacra canistris.
Inde reuertentes Deus adspicit ales; iterque
Non agit in rectum, sed in orbem curuat eumdem.
Vt volucris visis rapidissima milüus extis,
Dum timet, et densi circumstant sacra ministri,
Flectitur in gyrum, nec longius audet abire,
Spemque suam motis auidus circumuolat alis:
Sic super Actaeas agilis Cyllenius arces
Inclinat cursus, et easdem circinat auras.
Quanto splendidior, quam cetera sidera, fulget
Lucifer, et quanto, te, Lucifer, aurea Phoebe;
Tanto virginibus praestantior omnibus Herse
Ibat; eratque decus pompae, comitumque suarum.
Obstupuit formâ Ioue natus, et aethere pendens
Non secus exarsit, quam cum balearica plumbum

713. *Pura.* Constant. Fan. ex vet. Cod. *tecta.* Alter Cod. Twisdenii *septa*, quod elegans visum Heins. (718. Henr. Voss. l. c. p. 170 mauult *adire;* quod vtrum ex codd. an ex coniectura ortum sit, incertum est. Certe in euulgatis libris hic nulla deprehenditur lectionis varietas. E.) 727. Plurimi *balearia.*

i. vasa, quorum vsus in istis solemnibus, et sic *pura*, non profana; nisi malis cum vno Ms. *tecta;* tegi enim solebant ista canistra. In *arce* autem, Cecropia, Minerua tria habebat templa, e quibus nobilissimum Parthenon. *festas*, in quibus solemnia celebrabantur. Sic *festa theatra* III, 111. vbi vid. not.

715—21. Volatum in orbem quinque formulis variauit. Versus 720 et 21. si abessent, non desiderarentur. Cum similitudine interiecta cf. Virg. Aen. IV, 252 sqq. *Milüus* nobis *Weihe*, e genere auium rapacissimarum. *Miluum* quidem *regalem* tam audacem esse in Africanis oris, vt carnes e macello et e manibus hominum rapiat, Mullerus ad Linnei Syst. Nat. To. II. p. 71. narrat. *motis alis.* Non valde ille mouet alas, sed propemodum natat in aëre, vnde Nostris etiam dicitur *der Schwimmer. agilis*, quippe alatus. *inclinat* i. q. curuat. *easdem circinat auras*, ingeniose, sed tamen paullo audacius in iisdem auris in eundem semper orbem, more circini, mouetur.

723 *Lucifer* s. stella Veneris (vid. ad II, 115) maximum coeli decus, non modo caeteris planetis fixisque stellis maior oculis nostris apparet, sed splendore etiam tanto est, vt a plena eius luce vmbras adeo mittant corpora. Luna autem, vt ait Manil. I, 435 *conditur omne stellarum vulgus.* Itaque tam cum illo, quam cum hac comparantur homines pulchritudine eximii. II ex Pont. 5, 50. Horat. I od. 12, 46. — *praestantior.* formosior. *ibat* elegantius, quam erat.

727 Similitudo paullo altius

Funda iacit: volat illud, et incandescit eundo,
Et, quos non habuit, sub nubibus inuenit, ignes.
Vertit iter, coeloque petit diuersa relicto:
Nec se dissimulat: tanta est fiducia formae.
Quae quamquam iusta est; curâ tamen adiuuat illam,
Permulcetque comas, chlamydemque, vt pendeat apte,
Collocat; vt limbus, totumque adpareat aurum;
Vt teres in dextrâ, quâ somnos ducit, et arcet,
Virga sit: vt tersis niteant talaria plantis.
Pars secreta domûs ebore et testudine cultos
Tres habuit thalamos, quorum tu, Pandrose, dextrum,
Aglauros laeuum, medium possederat Herse.
Quae tenuit laeuum, venientem prima notauit
Mercurium; nomenque Dei scitarier ausa est,
Et caussam aduentûs. Cui sic respondit Atlantis

734. *totumque.* Regius *textumque.* Klotz. ad Tyrt. p. 102. suadet *tortumque.* 737. *cultos.* Ex praestantioribus nonnulli *comtos.*

repetita, nec adeo magnopere probanda. Eandem in aliam rem transtulit XIV, 825. Cum aliis rebus amoris ignis comparatur I, 492—94. *diuersa,* opposita, contraria, h. l. terra. *nec se dissimulat,* non aliam formam sumit. V. ad 374. Merito fidit *formae,* etenim et pulchra et iuuenilis ei tribuebatur. *iusta,* pulchra. Schirach. comparat Fraucogal. *adroit. Iustum,* quidquid in suo genere perfectum est, et omnibus numeris absolutum. Sic *iusta statura, iustus exercitus* etc. *cura* ponitur de cultu, capillorum inprimis. Phaedr. II. fab. 2, 8. *fingi cura mulierum.* vid. Bentlei. ad Horat. I Epist. 1, 94. Facete autem hanc curam iam describit. *Chlamydes* cingebat *limbus* vel purpureus, vel, si ipsa purpurea esset, aureus aut pictus et variegatus. Chlamydi ipsi *aureae* figurae intexebantur. Virg. Aen. IV, 137. V, 250 sqq. Ex posteriore loco possis h. l. et *tortum* tueri, quod Klotzius, nulla tamen caussa addita, suasit. Quomodo autem collocata sit chlamys, vt in humero dextero constricta sinistrum brachium tegeret, vide in Winkelmanni H. A. p. 306. *qua somnos* etc. V. ad I, 671. *ducere,* adducere.

737 Apud Graecos mulieres in *secreta* s. interiore aedium parte sedebant, quae gynaeconitis appellabatur. Cornel. Nep. praef. Singulae habebant suos *thalamos* s. cubicula, quorum parietes et fores distingui olim solebant tinctis animalium cornibus, *ebore* et *testudinum* tegminibus Plin. H. N. XVI, 44. Virg. Georg. II, 463. Schirach. *ebur* et *testud.* h. l. refert ad laquearia. *possederat,* sibi habitandum sumserat.

Pleïonesque genus: Ego sum, qui iussa per auras
Verba patris porto: pater est mihi Iuppiter ipse:
Nec fingam caussas; tu tantum fida sorori
Esse velis, prolisque meae matertera dici.
Herse caussa viae; faueas oramus amanti.
Adspicit hunc oculis îsdem, quibus abdita nuper
Viderat Aglauros flauae secreta Mineruae,
Proque ministerio magni sibi ponderis aurum
Postulat. Interea tectis excedere cogit.
Vertit ad hanc torui Dea bellica luminis orbem,
Et tanto penitus traxit suspiria motu,
Vt pariter pectus, positamque in pectore forti
Aegida concuteret. Subit, hanc arcana profanâ
Detexisse manu tum, cum sine matre creatam
Lemnicolae stirpem contra data foedera vidit;
Et gratamque Deo fore iam, gratamque sorori;
Et ditem sumto, quod auara poposcerit, auro.

743. *genus* habent vnus Gronou. duo Medicei, Geneuenses, Moreti et Palat. vnus. Caeteri, *nepos*. (Malim interpungere post *respondit;* vt verba *Atlantis Pleionesque genus* iungantur cum vv. *ego sum*. E.) 751. Vossii, *tectis secedere*, quod non displicuit Heins. 752. *orbem* dedit Heins. ex melioribus. Sed Burm. mauult *orbes* retinere, quia pro oculis poëtas *orbem* ponere non notauerit. (*orbes* probat etiam H. Voss. l. c. p. 170.)

743 *Plëione*, Atlantis vxor, e cuius filiabus vna Maia, mater Mercurii. *genus* recepi, quia et auctoritate Mss. et vsu poëtico se commendat, cum *nepos* a glossatoris manu profectum esse videatur. Horat. I od. 3, 27 *Iapeti genus*. Se commendat ab vna muneris parte, qua commercium inter Deos et homines. De eodem Iouis *mandata per auras ferre* ap. Virg. Aen. IV, 270. *esse velis*, vt ap. Graecos θέλησον εἶναι.

748 *Oculis îsdem* non vrgendum est. Hoc addidit, vt crimen virginis, de quo 559, in memoriam lectori reuocaret. *flauae*, quae habet *flauos* (de quibus ad vs. 319.) s. pulchros capillos, pulchrae. *Die blonde Minerua.* Sic ξανθῇ Δημήτηρ Homer. Il. ε, 500. vid. et infra ad III, 617.

752 *luminis orbem*, oculum. vid. ad I, 740. *torui* oculi tribuuntur iratis et indignantibus. *penitus*, e profundo pectore. v. ad 179. Virg. Aen. I, 371. *Suspirans imoque trahens a pectore vocem.* Notiones generales vbique Ouid. ad cuiusque personam accommodate exornat, inprimis si illa exornatio mythologiam attingit. Hinc et additur, *positamque* etc. *Aegis*, munimentum illud aëneum, quod in pectore gerit Pallas, insignitum capite Gorgonis, quod et in clypeo eius expressum erat.

755 *Subit*, in memoriam redit. *Lemnicola*, Vulcanus, qui in Lemno, insula maris Aegaei,

Protinus Inuidiae, nigro squalentia tabo,
Tecta petit. Domus est imis in vallibus antri
Abdita, sole carens, non vlli peruia vento;
Tristis, et ignaui plenissima frigoris; et quae
Igne vacet semper, caligine semper abundet.
Huc vbi peruenit belli metuenda virago,
Constitit ante domum, (neque enim succedere tectis

761. Vulg. *in vallibus huius.* Vir doctus in Miscel. Obseruatt. Vol. II To. I. p 32. improbat *vallibus antri*, atque etiam *vallibus huius* insipidum et prosaicum ei videtur. Putat igitur legendum, *imis in vallibus antrum.* Comparat XI, 592 et I Fast. 555. Sed non video, cur in vallibus potissimum antrum habuerit, cum etiam in montibus antra satis obscura et frigida esse possint. Alius vir doctus ibidem in nota adiecta monet, *huius* sic positum non esse insipidum et prosaicum. Itaque et hic retineri malit, praesertim si cum vno Ms. legatur, *domus est huius sub vallibus imis.* Nec hoc placet, quia sola vallis nec omnes ventos, nec omnem solem arcet. *Sub vallibus* autem, quod et duo alii tuentur, Burm. placet. Et amat Ouid. *sub* pro *in.* (H. Voss. l. c. p. 170 cor. *in vallibus Orci.*)

officinam habere credebatur, ibique in primis colebatur. *contra data foedera*, contra datam fidem.

760 sqq. Mineruа inuidiam excitat in Aglauro. Sed vide, quomodo hoc exornauerit. Primum Inuidiam fecit, praeeunte Eurip. in Inone fragm. 5. personam, vt XII, 39 sqq. Famam, et Horat. I od. 35, 17 sqq. Necessitatem. Deinde finxit Mineruae ad eam iter, vt ministerio eius vteretur, vt supra 509 Iunonis ad Deos maris et IV, 432 ad Furias, tum VIII, 788. Cereris ad Famem. Iam, quoniam inuidia, auctore Eurip. maximus omnium in homine morbus, nec illa *Siculi tyranni maius inuenere tormentum*, Horat. I Ep. 2, 58. propterea eius et habitum et domicilium foedissimum descripsit, omniaque eius mala sensibus subiecit. Partes etiam huius descriptionis bene disposuit.

Primum domum et foedam et tristem omnisque amoenitatis expertem describit. *Tabum*, venenum, quo inficit homines. Mox *tabem*, *nocens virus* et *piceum venenum* vocat. *Nigrum* sollemne epitheton veneni. Situs tristitiam bene notant verba *imis in vallibus antri*, imo in angulo, aut ima in cauitate antri, namque *vallis* et cauitatis notionem inuoluit. *Ignaui* ab effectu, vt mox 821 *ignaua grauitas.* Contra *habilis vigor*, qui reddit habiles, Virg. G. IV, 418. Post haec otiosa sunt *et quae — abundet*, in quibus etiam lusus verborum est.

765 *belli metuenda* dicitur, vt *gladii tremendus*, *nasi timendus*, quae exempla attulit Heins. Deest autem in his formulis, *de caussa.* vid. Perizon. ad Sanctii Mineru. II, 3. p. 166. *fas habet*, fas esse, licere sibi putat. *succedere*, propius accedere. Etiam factis Mineruae turpitudo Inuidiae notatur. Cf. 769. 785. — Inuidi rebus malis aluntur, calamitatibus aliorum. Hinc *edit vipereas carnes.*

Fas habet) et postes extremâ cuspide pulsat.
Concussae patuere fores. Videt intus edentem
Vipereas carnes, vitiorum alimenta suorum,
Inuidiam: visâque oculos auertit. At illa
Surgit humo pigre, semesarumque relinquit
Corpora serpentum, passuque incedit inerti.
Vtque Deam vidit, formâque armisque decoram,
Ingemuit; vultumque ima ad suspiria duxit.
Pallor in ore sedet, macies in corpore toto:

771. Vulgo *pigre.* Sed Heins. ait, ex melioribus se *pigrâ* dedisse, idemque in tribus suis Giphan. inuenisse. (Vid. not. *pigre* mauult H. Voss.) 774. Vulgo, *vultumque Deae.* Sed bene Heins. ex praestantioribus *Deae* in *ima.* mutauit. Verum ne sic quidem locus sanus visus est Iutt. offensis formula *vultum ducere ad suspiria.* Faber corrigit, *Visusque decor susp. duxit.* Satis infeliciter. Burm. vult, *ad cultumque Deae susp. mouit.* Non multo melius. Schirach. denique malebat, *ad vultumque Deae s. duxit,* quam lect. sane confirmat glossa Cod. Leid. haec: *Vultus Deae pulcherrimae fuit caussa, cur suspiraret.* Sed ille glossator sic succurrere voluit lectioni obscurae, *vultumque Deae.* G. — *duxit* defendit Triller Obss. Crit. III, 12 p. 202 explicans *adduxit. vultum ducere* et *adducere*, τὰς ὀφρῦς ἄγειν, συνάγειν, est frontem corrugare. Correxit tamen etiam p. 203 *traxit*, vt Am. II, 2, 33. quamquam huic correct. non multum tribuit. Waddelus in Animaduu. Crit. p. 105 iungit verba ita: *duxit ima suspiria ad vultum deae* i. e. vbi vidit insignem deae formam. Sed v. not. E. —

771 *pigra*, sterili ob frigus. Sic Horat. I od. 22, 17. *pigri campi.* Klotzio ad Tyrtaeum p. 102 displicet *pigra*, quia ex antecedentibus iam appareat, humum fuisse sterilem. Suadet ergo *humo nigra*, siue vt simpliciter horrorem loci indicet, siue vt serpentibus tectam dicat. Quod tamen non necessarium puto, cum Noster saepissime repetat, quae iam antea copiosius etiam notata erant. Ego vero *pigre* reuocandum duxi, quod seqq. flagitare videntur. Etenim *surgit pigre* et mox *passu incedit inerti* egregie sibi respondent. — Iam prima Inuidiae commotio interponitur. *Ima suspiria,* quae ducuntur ex imo pectore, vt *alta suspiria*, Claudian. II in Entrop. 533. quae ducuntur *alto de corde*, vt dixit Noster vs. 622. Iam *ducere vultum ad suspiria*, vultum componere accommodate suspiriis, suspiria vultu quoque prodere. Sueton. quidem Tib. 68. dixit, *adducere vultum*, ad grauitatem componere, vbi Casaub. comparat, *obducere vultum*, ad moestitiam componere. Et Senec. Ep. 58 sic, vt h. l. *vultum adducit ad tristitiam.* Hanc igitur lectionem multum praefero omnibus emendationibus propositis, quibus repetitur tantum, quod poëta iam dixerat.

775 Vbi propius accessit, forma eius describitur. Quam bene ea composita sit, facile reperies, si cogitaueris, quae de inuidis praedicari soleant. Conf. Horat. I Ep. 2, 57. Ep. 14, 37 seq. IV od. 3. 16. — *sedet* exquisitius quam, est, apparet, vt I, 267.

Nusquam recta acies: liuent rubigine dentes:
Pectora felle virent: lingua est suffusa veneno.
Risus abest; nisi quem visi mouère dolores.
Nec fruitur somno, vigilacibus excita curis;
Sed videt ingratos, intabescitque videndo,
Successus hominum, carpitque et carpitur vnâ,
Suppliciumque suum est. Quamuis tamen oderat illam,
Talibus adfata est breuiter Tritonia dictis:
Infice tabe tuâ natarum Cecropis vnam;
Sic opus est: Aglauros ea est. Haud plura locuta,
Fugit, et impressâ tellurem repulit hastâ.
Illa Deam obliquo fugientem lumine cernens,
Murmura parua dedit: successurumque Mineruae
Indoluit; baculumque capit, quod spinea totum

778. Ciofan. ex Mss. emendandum censet *fecere*, quod efficacius sit, quam *mouere*. 782. Heins. malebat, *sui est.* Burm. si quid mutaret, maluit, *sibi est.* 788. Heins. coni. *Murmura rauca* vel *raua.* Mox Viuianus ex suis, *successu namque*, quod prob. H. Voss. p. 170. Ita et primus Medic. et alii nonnulli Heins. Id dictum, vt VI, 130. *doluit successu flaua virago.* Quidam ex praestantioribus, *successibus atque* aut *vsque.* Prior Regius, *successus namque.* Florent. S. Marci, *successum vtique.* Heins. mauult ex emendat. Viuiani *successorumque;* vt exstat in cod. Berol. *Successa* enim dixisse et Cic. XVI ad Diu. 21. et *successorum indoluit* dictum, vt *reuereri alicuius* et similia.

v. Gronou. Obs. II c. 3 p. 230 *recta acies.* Cf. vs. 787. *Rubigo* vitium dentium. *Fel* in pectore signum maleuolentiae. *Virere* sic et Claudian. 49, 96. *viscera felle virent.* *suffusa veneno,* μεστὴ ἰοῦ θανατηφόρου. Male Rode: *von Gift triefet ihre Zunge.* Lingua *suffusa* veneno dr. vt os *suffusum* rubore.

778 Immanitas eius et cruciatus. *carpi* drr. quae sensim consumuntur, attenuantur, perduntur. Virg. Aen. IV, 2. *caeco carpitur igne.* Hoc bene ad Inuidiam tabescentem translatum. Sed eadem et *carpit*, cum de existimatione aliorum detrahit. Plin. I Ep. 9. *Supplicium* etc. Isocrat. Euag. cap. 2. Inuidiae hoc vnum inesse ait bonum, ὅτι μέγιστον κακὸν τοῖς ἔχουσιν ἐστίν.

782 *Odium* illud mox praeclare notatum et breuitate et confusione quadam verborum, qua *Aglauros ea est* in finem reiectum. Corrupit haec Rode: *Flösse der Aglauros, einer der Töchter des Cecrops, dein Gift ein.* De *tabe* s. veneno, v. ad III, 49. *Sic opus est*, vt I, 279. *impressa hasta*, vt vim adderet corpori se in aëra tollenti, vt IV, 710. VIII, 366. *tellurem repulit*, quia ipsa aufugit. Poëtis loca *recedere* aut *repelli* drr. a quibus ipsi abimus. V. ad XI, 466.

789 Indoluit, successurum Mineruae consilium de Aglauro in-

Vincula cingebant; adopertaque nubibus atris,
Quâcumque ingreditur, florentia proterit arua,
Exuritque herbas, et summa cacumina carpit:
Adflatuque suo populos, vrbesque, domosque
Polluit: et tandem Tritonida conspicit arcem,
Ingeniis, opibusque, et festâ pace virentem;
Vixque tenet lacrimas, quia nil lacrimabile cernit.
Sed postquam thalamos intrauit Cecrope natae;
Iussa facit, pectusque manu ferrugine tinctâ
Tangit, et hamatis praecordia sentibus implet,
Inspiratque nocens virus, piceumque per ossa
Dissipat, et medio spargit pulmone venenum.
Neue mali spatium caussae per latius errent,
Germanam ante oculos, fortunatumque sororis

790. *Vincula* Heins. habet suspectum. Secundus Medic. pro diuersa lect. *cingula.* Ipse coni. *vngula cingebat*, vt ipsas spinas vocet *vngulam spineam* a similitudine. *Vngulas* enim fuisse instrumenti ferrei in tortura genus, quo carnifices vterentur. Burm. si *vincula* displiceat, refingi posse putat *vimina.* (*vincula* defendit Bothius.) 792. *cacumina.* Vetustiores, *papauera.* 795. Ciofan. ex vtroque suo, Briant. Capranic. ambobus Maffei et tribus Vatic. adfert et probat, *pace nitentem.* 801. Gebhard. II Crep. 2. *ihuergit* pro *spargit* ductu Ms. legit.

vidiae veneno inficienda. *spinea vincula*, spinae; nam quidquid rem ambit, cingit, *vinculum* dicitur, vnde non raro de coronis ponitur. Sic facile carere possumus emendationibus Interpretum. *Spinae* symbolum cruciatus, quem creat. *Totum* non caret vi, neque adeo temere sollicitandum. Caeterum etiam *baculum* in vsu fuit, vt docet Heins. ad 681.

791 Inuidia omnia corrumpit, pestisque est hominum. Hoc sub sensus vocauit. Contra ap. Claudian. 33, 187 sqq. vbi Ceres curru vehitur, omnia florescunt. Cur *summa cacumina?* nempe quia inuidia summa semper petit. Remed. vs. 369.

795 Cecropia cum adiacente vrbe iam tum quidem Mineruae consecrata erat, nondum tamen *ingeniis*, ingenii laude florentibus viris, *opibusque* virebat. *festa*, plena bonorum et laetitiae. *Virere* poëtis i. q. florere. Drakenb. ad Sil. I, 187. *Vixque* etc. Hoc oxymoron et animum ferit, et grauiter Inuidiae indolem notat. *tenet*, retinet. De *Tritonide* v. ad III, 127.

798 Quaerit Euripides In. 5, in qua corporis parte Inuidia sedeat, in manibus, visceribus aut oculis. Noster praecordia, pulmones, ossa nominat. *ferrugo* poëtis i. q. nigredo. V, 404. *hamatis sentibus*, vt *hamatis rubis* Tibul. IV, 3, 10. *piceum*, atrum. *medio pulmone*, per pulmones. *neue male spatium* etc. Sensus: ne inuidiae veneno infecta in aliis rebus haereat et conficiatur.

Coniugium, pulchrâque Deum sub imagine ponit:
Cunctaque magna facit, quibus irritata, dolore
Cecropis occulto mordetur; et anxia nocte
Anxia luce gemit; lentâque miserrima tabe
Liquitur, vt glacies incerto saucia sole.
Felicisque bonis non secius vritur Herses;
Quam cum spinosis ignis supponitur herbis,
Quae neque dant flammas, lenique vapore cremantur.
Saepe mori voluit, ne quidquam tale videret;
Saepe, velut crimen, rigido narrare parenti:
Denique in aduerso venientem limine sedit
Exclusura Deum. Cui blandimenta, precesque,
Verbaque iactanti mitissima, Desine, dixit;
Hinc ego me non sum nisi te motura repulso.
Stemus, ait, pacto, velox Cyllenius, isto;
Caelatasque fores virgâ patefecit. At illi
Surgere conanti partes, quascumque sedendo
Flectimur, ignaua nequeunt grauitate moueri.
Illa quidem recto pugnat se attollere trunco:

804. *pulchraque.* Vnus Basil. *plenaque*, quod Burm. placet. *Plena imago*, cui nihil, nullum membrum, deest. Id autem alienum a consilio poëtae. 809. *non secius* Heins. de suo dedit, sed bene se habet. Quod plurimi Mss. habent *non lentius*, probarem, si poëta ordine inuerso scripsisset, spinosae herbae non lentius vruntur, quam illa. 811. *lenique vapore*, quod nec Burm. displicebat, recepimus e duobus Mss. Possis et cum Medic. vno *lentoque vapore* legere, quod Heins. exemplis illustrauit. Sed vulg. *leni tepore* non conuenit rebus, quae supposito igne cremantur. (*vapore* probat etiam H. Voss. p. 170.)

808 *Liquitur*, liquescit, absumitur, quod verb. sequens similitudo suppeditauit. *lenta tabe*, veneno, cuius vis lenta. *saucia*, *liquefacta.* Horat. I od. 14, 5. *malus saucius* vento. Etiam *vulnerari* dicuntur, quae labefactantur, *incertus sol*, obscurus, cum coelum nubibus est obductum. *Incerta luna* eodem sensu Virgil. Aen. VI, 270, et *incerti caeca caligine soles* Aen. III, 203. *spinosis herbis*, spinis nondum aridis. *vapor*, calor.

813 *rigido*, duro. *aduersa* quaecunque alteri opposita sunt. *iactare*, dicere. IX, 23.

819 De *caelatis foribus* vid. ad vs. 4. *Virga* patefecit fores, vt Minerua 767 extrema cuspide. *quascunque flectimur* ex noto et poëtis familiari graecismo, quem exemplis illustrat Heins. *pugnat se attollere*, vt I, 685. *pugnat euincere somnos.*

Sed genuum iunctura riget, frigusque per artus
Labitur, et pallent amisso sanguine venae.
Vtque malum latè solet immedicabile cancer
Serpere, et illaesas vitiatis addere partes;
Sic letalis hiems paullatim in pectora venit,
Vitalesque vias, et respiramina clausit.
Nec conata loqui est; nec, si conata fuisset,
Vocis haberet iter: saxum iam colla tenebat,
Oraque duruerant, signumque exsangue sedebat;
Nec lapis albus erat, sua mens infecerat illam.

Europa.

Has vbi verborum poenas mentisque profanae
Cepit Atlantiades; dictas a Pallade terras
Linquit, et ingreditur iactatis aethera pennis.

833. *Has* Heins. mutari volebat in *Quas.*

823 *per artus* pro, *per vngues*, ex pluribus Ciofan. et Heins. Mss. recepi; *vngues* enim nec frigus, nec calorem sentiunt. Vult totum corpus dicere, id autem recte per *artus* (iuncturas membrorum, item membra ipsa) et *venas* exprimit. Et passim *frigus* aut *tremor artus occupare* dr. v. Ciofan. (Erkema tamen in Actt. Litt. Rheno-Traiect. Vol. IV p. 345 cor. *per inguen.*)

825 Similitudo apprime claudicans: etenim lapis factus cum carne cancro absumta male comparatur; tum cancer lentissime serpit, neque totum corpus occupat. Frustra subiecit *paullatim*, vt similitudinem quandam ostenderet. *hiems*, frigus, iusto durius de corpore humano. *vitales vias*, canales, quibus respiramus aliaque munera ad vitam sustentandam facimus. *vocis iter*, arteria aspera et os. VI, 355. *via vocis*. Lucret. IV, 514. *iter, qua vox it in auras. tenebat collum*, occupauerat collum, vt 376. *duruerant*. Vid. ad vs. 706. *infecerat*, maculas aut nigrum ei colorem contraxerat. Seruant homines mutati aliquid e pristina natura, Lycaon feritatem, Daphne nitorem etc.

FAB. VIII, 833—875. Agenor, rex Phoenices, filiam habuit Europam, quam amauit Iupiter. Is igitur in taurum versus, virginem raptam dorso transtulit per mare mediterraneum in insulam Cretam, vbi ex ea suscepit Minoëm, Sarpedonem et Rhadamanthum. Fabulam hanc partim Phoeniciam, partim Cretensem, Pherecydes, Hellanicus, Antimachus, Anticlides, Epimenides narrauerant, peculiaribusque carminibus Eumelus, Stesichorus et alii celebrarant. Ex iis, qui restant, vid. Anacr. od. 35. Moschus Id. II. Horat. III od. 27, 25—28. Achilles Tat. init. Apollod. lib. III, 1, 1. Hygin. fab. 178. Palaeph. cap. 16. Eratosth. 14. Noster infra VI, 104 sqq. et V Fast. 605. Fulgent. Myth. 1. putat, Europam a Ioue raptam esse in naue, quae tauri picturam habuerit. Palaephat. autem narrat, Gnosium quendam, nomine Taurum, e Tyro rapuisse cum alias puellas, tum virginem regiam Europam. — Agenor autem vixit secc. circiter quindecim ante aeram Christianam.

Seuocat hunc genitor; nec caussam fassus amoris,
Fide minister, ait, iussorum, nate, meorum,
Pelle moram, solitoque celer delabere cursu;
Quaeque tuam matrem tellus a parte sinistrâ
Suspicit, (indigenae Sidonida nomine dicunt)
Hanc pete; quodque procul montano gramine pasci
Armentum regale vides, ad litora verte.
Dixit: et expulsi iamdudum monte iuuenci
Litora iussa petunt, vbi magni filia regis
Ludere, virginibus Tyriis comitata, solebat.
Non bene conueniunt, nec in vna sede morantur

836. Francius malebat, *caussam fassus amorem.*

836 *Caussa amoris*, amor, vt IV, 519. *caussa veneni* ipsum venenum. Sic carere possumus coni. Francii.

839 Hic versus valde vexauit Interpretes, quorum nonnulli ex astrologicis adeo rationibus eum interpretari conati sunt. *Mater* Mercurii, Maia, vna est ex Pleïadibus, quae locum suum tenent in capite Tauri, qui circulo aequinoctiali diuiditur, Phoenicibusque est meridionale sidus. *Spectare* autem terrae dicuntur regionem eam, in quam vergunt et extenduntur. Sic Liu. XXXIII, 17. *Acarnania spectat solem occidentalem.* Noster autem pro *spectare* dixit *suspicere*, quia fidera in alto sunt; nam *suspicere* est sursum, in altum spectare. Contra Senec. Oedip. vs. 476. *Quasque* (gentes) *despectat vertice summo Sidus Arcadium.* Sensus: tellus, quae extenditur versus Pleïadas s. meridiem. *Sinistra pars* nunc est meridionalis, et cogitandum est, Iouem, cum haec Mercurio mandata daret, stetisse vultu ad occidentem verso. Sic omnia mihi plana videbantur; indicent tamen alii. *Sidonida* ab vrbe capitali. Ab Anacr. od. 35, 4. Europa vocatur Σιδωνίη γυνή. *verte*, abige. Virg. Aen. I, 528. *ad litora vertere praedas.*

843 *iamdudum*, continuo, vt XI, 482. *expulsi*, abacti. Graec. ἐξελαύνειν. Virg. Ecl. I, 22. sic *depellere*, Cul. 44 *propellere.* *magni regis*, Agenoris. *magnus Agenor* Senec. Oedip. 715. Homer. Il. ξ, 321. et, vt ex Schol. ad Il. μ, 397. apparet, etiam Hesiod. et Bacchyl. Phoenicis filiam fecerunt. *Tyrus* tum nondum condita, sed sollemne est *Tyrios* dicere *Phoenicios.* III, 35. Etiam ap. Eurip. Phoen. 642. Cadmus Τύριος, vbi Schol. monet, Phoenicen antea Tyrum dictam. Contra III, 129. Cadmus *Sidonius hospes*, et IV, 571 *Sidone profectus.* Adde Hygin. fab. 178.

846 Miram transformationem narraturus et amplificaturus, praemittit sententiam. *sedes*, persona, subiectum. Heroid. XIX, 173. *Male res iunctae, calor et reverentia, pugnant.* Quinctil. Decl. 12. *non habitant vna pudor et fames.* Atque etiam *morari* i. q. habitare. Munker. ad Hygin. fab. 52. Sequentia brevius expressa ab Auct. Eleg. in Obitum Maec. 88. *Dominator*

Maiestas et amor. Sceptri grauitate relictâ,
Ille pater rectorque Deûm, cui dextra trisulcis
Ignibus armata est, qui nutu concutit orbem,
Induitur faciem tauri, mixtusque iuuencis
Mugit, et in teneris formosus obambulat herbis;
Quippe color niuis est, quam nec vestigia duri
Calcauere pedis, nec soluit aquaticus Auster.
Colla toris exstant: armis palearia pendent:
Cornua parua quidem, sed quae contendere possis
Facta manu, purâque magis perlucida gemmâ:
Nullae in fronte minae, nec formidabile lumen;

848. Gebhard. pro *ille* malebat *ipse* et 852 Heins. *ipse* pro *quippe.* (855. *sed quis c. possis* cor. II. Voss. p. 170.)

Olympi dicitur in nitidum procubuisse bouem. Maiestatem Iovis hic praeclare describit. *Ille* bene inseruit magnitudini declarandae. Virg. Aen. VII, 110. *sic Iupiter ille monebat.* Tibul. I, 4, 23. *Vetuit pater ille valere.* Silius III, 181. *monet hoc pater ille Deorum,* vbi Drakenb. etiam h. l. *ille* tuetur. Quamquam nec *ipse*, quod Gebhardus malebat, deterius est. Et sic Senec. Hipp. 299. vbi nostrum loc. respexit: *Induit formas quoties minores, Ipse, qui coelum nebulasque ducit.* cf. et seqq. *nutu concutit*, vt I, 179 vbi v. not. Forte Nostro haec scribenti in animo versabatur Terent. Eun. III, 5, 42 de Ioue in pluuiam auream conuerso, *At quem Deum! qui templa coeli summa sonitu concutit.*

851 *Taurum* illum expressum vides in Lipperti Dactyl. I, 29, 30. Formositatem eius iam describere incipit; recte igitur sequitur *quippe*, quod Heins. temere mutatum volebat in *Ipse. quam nec* etc. qualis est, cum modo de coelo delapsa conspicitur. II. ex Pont. 5, 38. *non calcata candidiora niue. — duri* respectu mollitudinis niuis. Phaedr. I, fab. 30, 10. de tauro: *proculcatas obteret duro pede. Vestigia pedis*, ipse pes. *Auster* pluuias concitat, vnde *aquaticus*, vocab. ab ipso Ouidio cusum. Occurrit et infra IX, 341. vbi *aquatica lotos*, quae amat loca aquosa.

854 E pectore toroso, quod valde laudatur in tauris (Colum. VI, 13.), eminebat collum. Sunt autem *tori* pars carnosa, pulpa carnis musculosa, in lacertis et pectore, puluillorum instar, eminens. Virgil. G. III, 52. optimos tauros nominat, quibus *plurima* (longa et crassa) *ceruix*, et quibus *crurum tenus a mente palearia* pendent.

855 Laudantur in bubus cornua excelsa, sed Iupiter assumserat *parua*, ne terribilis videretur puellae. Et Columella VI, 20. breuiora tauris, quam bubus, cornua tribuit. *manu facta* dicuntur, quae ab artificibus facta sunt, et opp. naturae operibus. vid Burm. ad Quinctil. Decl. IX, 18.

857 *nullae minae.* Non erat *trux* aut *toruus*, quae alibi fere de tauris praedicantur. *Pacem*, serenitatem et tranquillitatem, *habet*, prae se fert, X, 702. *proelia n. m.* non colluctari cum caeteris bubus conetur. *mitem*,

Pacem vultus habet. Miratur Agenore nata,
Quod tam formosus, quod proelia nulla minetur.
Sed, quamuis mitem, metuit contingere primo:
Mox adit, et flores ad candida porrigit ora.
Gaudet amans, et, dum veniat sperata voluptas,
Oscula dat manibus, vix ah, vix cetera differt.
Et nunc adludit, viridique exsultat in herbâ;
Nunc latus in fuluis niueum deponit arenis;
Paullatimque metu demto, modo pectora praebet
Virgineâ plaudenda manu, modo cornua sertis
Impedienda nouis. Ausa est quoque regia virgo,
Nescia quem premeret, tergo considere tauri.
Tum Deus a terrâ, siccoque a litore, sensim
Falsa pedum primis vestigia ponit in vndis;
Inde abit vlterius, mediique per aequora ponti
Fert praedam. Pauet haec, litusque ablata relictum
Respicit, et dextrâ cornum tenet, altera dorso
Imposita est; tremulae sinuantur flamine vestes.

863. Burm. praefert Vatic. scripturam *vix iam, vix.* Nonnulli *vix et vix* aut, *vix vix*, vnde Heins. coni. *vix vixque et.*

χειροήθης i. mansuetus vocatur ab Apollod.

861 Talibus viget phantasia Ouidii. *Venire* eleganter dicuntur, quae contingunt alicui, vt haereditates (Cic. Verr. IV, 27) et h. l. voluptas. Voc. *caetera* interdum sumi obscoene, putat Burm. Verum illa obscoenitas non nisi e contextu est. Sic omnia vocabula possent obscoena dici. VI, 514. *vix sua gaudia dif.*

865 *in fuluis niueum*, vt I, 112 *flauaque de viridi. plaudere*, mulcere. vid. Heins. *nouis*, e nouis floribus. *premere* et θλίβειν pro, insidere.

871 *Falsa*, fallacia. Fallere vult virginem. *aequor ponti*, vt alibi *freta ponti*, poëtica periphrasis ponti. Intelligitur autem h. l. mare mediterraneum, per quod Europam transtulit in insulam Cretam.

874 *cornum* per Archaïsmum. vid. Priscian. lib. VI, p. 685. Heins. ad h. l. et Burm. Sec. ad Anth. Lat. T. I p. 6. *Imposita est*, Innititur. Verbis *tremulae* et *sinuantur* egregie pinguntur varii motus et sinus, quos efficiebat ventus. Haec postrema latius tractauit V Fast. 607 sqq.

P. OVIDII NASONIS METAMORPHOSEON

LIBER TERTIVS.

Cadmus.

Iamque Deus positâ fallacis imagine tauri,
Se confessus erat, Dictaeaque rura tenebat;
Cum pater ignarus Cadmo perquirere raptam
Imperat, et poenam, si non inuenerit, addit
Exsilium, facto pius, et sceleratus eodem.

3. *natam* e plurimis codd. praefert Bothius, quoniam Agenor, filiam *raptam* esse, nescierit. E.

FAB. I. vs. 1—130. Agenor filios tres ad requirendam Europam sororem dimisit ita, vt, nisi eam reperissent, ad se ne reuerterentur. Cilix, variis peragratis terris, Ciliciam constituit, Phoenix in Africam est profectus, ibique remansit; *Cadmus* autem in Graeciam deuenit, vbi, oraculo monitus, Thebas, aut potius Cadmeam arcem condidit, interfecto prius ingenti dracone, e cuius dentibus humi sparsis viri armati prodierunt, quorum pars Cadmo in condenda vrbe affuit. Eurip. Phoen. vs. 641 sqq. vs. 661 sqq. et Schol. ad haec loca. Apollod. Biblioth. III, 1, 1. 4, 1. Pausan. Boeot. p. 719 et 733. Hygin. fab. 178. Seneca Oedip. vs. 709 sqq. Apollon. Rh. III, 1179 seqq. Primi autem auctores fuerunt Mnaseas, Pherecydes, Hellanicus, Lysimachus. Cadmus cum Phoenicum manu in Boeotiam venit, fusisque Hyantibus Aonas cum suis in vnam gentem coalescere passus est. Cum locum condendae vrbi quaereret, secutus est, siue oraculo monitus, siue sua sponte, bouem ducem, nisi et hoc figmentum etymologica Boeotiae interpretatio peperit. Pausan. p. 719. Quid de dentibus ab eo satis existimandum sit, ad vs. 126 videbimus.

2 *Se confessus erat*, indicauerat, se esse Iouem. Sic et XI, 264. Virg. Aen. II, 591. *Dictaea rura*, Creta, Tyro vicina, et in cuius monte *Dicta* Iupiter natus credebatur, vnde ipse *Dictaeus*.

3 Male Ciofan. *ignarus raptam* coniungit. Imo centies *ignarus* apud Nostrum ita occurrit, vt subintelligenda relicta sit illa res, cuius quis ignarus fuerit, vt I, 658 et infra 243. 287. Vid. et Corte ad Sallust. Cat. 51, 27. Ignorabat Agenor, filiam a Ioue translatam esse in Dictaea rura. *Inuenire*, nunc ad quaerendi studium pertinet, *ausfündig machen*. Apollod. εἰπὼν μὴ πρότερον ἀναστρέφειν πρὶν ἂν ἐξευρῶσιν Εὐρώπην. Sic ille *pius* in filiam, et *sceleratus*, crudelis, in filios. Haec sententia, vt Ὀξύμωρον, placuit Nostro; itaque eam IX, 408 repetiit. Cic. Off. III, 31 de T. Manlio, *qui perindulgens in patrem, idem acerbe seuerus in filium.*

Orbe pererratò (quis enim deprendere possit
Furta Iouis?) profugus patriamque, iramque parentis
Vitat Agenorides, Phoebique oracula supplex
Consulit, et quae sit tellus habitanda, requirit.
Bos tibi, Phoebus ait, solis occurret in aruis,
Nullum passa iugum, curuique immunis aratri:
Hac duce carpe vias, et, quâ requieuerit herbâ,
Moenia fac condas, Boeotiaque illa vocato.
Vix bene Castalio Cadmus descenderat antro;
Incustoditam lente videt ire iuuencam,

13. *condas*. Secund. Palat. *ponas*.

6 *Orbe pererrato*. Nempe aliquamdiu in Thracia habitauit cum Telephassa matre; eaque mortua, Delphos profectus est oraculum consulturus. Apollod. *furta*, puellas raptas. Pluralem posuit, vt sententia esset generalis. *profugus*, exsul. Fast. I, 490. Oraculum consuluit et de sorore, et sine dubio etiam de noua sede capienda: namque in vrbibus condendis coloniisque deducendis summa erat oraculorum auctoritas. Cic. de Diu. I, 1. De sorore oraculum aut nihil respondit (Schol. Eurip. ad vs. 641 ibique Valken.) aut μὴ πολυπραγμονεῖν iussit. Apollod. Oraculum ipsum cuius auctor forte Musaeus, exstat in Schol. Eurip. d. l. et Aristoph. Ran. 1256. Eo monetur per Phlegyas et Phocidem ad Pelagontis armenta tendere, ibique bouem sumere ducem itineris, in vtroque latere signum candidum, in lunae plenae speciem, habentem. Sic et Pausan. Apollod. Hygin. Schol. Eurip. Inde Noster, forte alios auctores secutus, non vna re aberrauit. *aruis* bene se habet. Eurip. πεδία πυροφόρα· *solis*, solitariis, vt 394 *sola antra*. *Nullum passa* etc. expressum diceres ex Euripid. si ibi constaret legendum μόσχος ἀδάμαστος. Nostrum secutus est Senec. d. l. *quam non flexerat vomer, aut tardi iuga curua plaustri*. — *carpere vias*, proficisci, vt *carpere aera*, volare. *herba* ad naturam bouis accommodatius, quam *loco*. In orac. graeco: Vbi illa ἵζηται κλίνῃ τε πέδῳ γόνυ ποιήεντι. Sed ibi nihil de nomine *Boeotia*; Hygin. vero et Schol. Euripid. id nomen vrbi inditum narrant. Alius Schol. ibid. notat, Thebam Syris dictam esse bouem: quod fortasse et ipsum in expedienda hac fab. obseruandum. Lactant. in Arg. *in eam terram deuenit, quae postea a boue Boeotia est dicta*. A. *Boeoto*, Neptuni aut Itoni filio, illud nomen venisse, alii putabant. v. Pausan. p. 711. Schol. Hom. ad Catal. 1.

14 *Descenderat* ex monte Parnasso, in quo *antrum*, vnde oracula dabantur; quod Ouid. a fonte vicino *Castalium* vocat. *presso*, tardo. Burm. comparat e Liu. XXVIII, 14. *Hispanos presso gradu incedere iubet*. Lenz vero: gressu impresso in vestigiis vaccae. *Adoratio* alias fiebat formulis ore prolatis certisque ritibus; Cadmus vero inter eundum *taciturnus* gratias agit Apollini.

Nullum seruitii signum ceruice gerentem.
Subsequitur, pressoque legit vestigia gressu,
Auctoremque viae Phoebum taciturnus adorat.
Iam vada Cephisi, Panopesque euaserat arua;
Bos stetit, et tollens spatiosam cornibus altis
Ad coelum frontem, mugitibus impulit auras:
Atque ita, respiciens comites sua terga sequentes,
Procubuit, teneráque latus submisit in herbâ.
Cadmus agit grates, peregrinaeque oscula terrae
Figit, et ignotos montes, agrosque salutat.
Sacra Ioui facturus erat; iubet ire ministros,
Et petere e viuis libandas fontibus vndas.

18. Gebhard. Crep. I, 12. legit, *Actoremque viae*, quod Burm. merito ineptum iudicat. 19. Medic. Bas. et Gronou. *Panopes euas.* Heins. coni. *Panopea*, vt esset appositio. Etiam Burm. putabat, rectius scribi *Panopea*, oppidum enim *Panopeus* a Strab. IX. p. 416. dici et a Pausan. X, 4. licet a Stephano Πανότη vocetur, Salmas. et Berkelio defendentibus. 20. *Spatiosam* habent libri veteres magno numero, praelatumque est ab Heins. et Gebhardo vulg. *speciosam.* Sed vulgatam probat Bothius p. 189.

19 De *Cephiso* v. ad I, 369. *Panope* aut *Panopeus,* vrbs Phocidis. Illud *bos stetit* et *procubuit* exornauit, mores boum errantium describendo. *Spatiosam,* latam. Mox vs. 56. *spatiosum corpus* et vs. 95. *spatium hostis.* Boues spatiosa fronte Graecis dicuntur εὐρυμέτωποι, et πλατυμέτωποι. Homer. h. Merc. 355. Hi optimi habebantur. Varro R. R. II, 5. Colum VI, 1. *mugitibus*, in oraculo Apollinis vocatur, ἐρίμυκος, *valde mugiens. Impelli* clamoribus a poëtis dnr. non modo aures, sed et aurae, montes etc. *Atque ita*, quo facto, vt I, 377. *comites.* Pausan. τὸν σὺν αὐτῷ στρατόν. *latus,* corpus, *submittere*, aut, vt II, 865. *deponere*, formulae sollemnes de procumbente. In orac. κλίνειν γόνυ. Schol. Hom. ad Il. β, 404. ὀκλήσασα ἀνεκλίθη. Pausan. ἔμελλε καμοῦσα ὀκλάσειν. Pausan. p. 733. narrat, suo adhuc tempore ostendi locum, vbi bos procubuerit, in eoque esse aram cum signo Mineruae, dedicatam a Cadmo.

24 De hoc more salutandi terras peregrinas, quem apud poëtas prisci homines religiose colunt, vid. Ciofan. ad h. l. Fuit satis antiquus. Homer. Od. N, 354.

26 Illam ipsam iuuencam, viae ducem, immolaturus erat, vel Telluri, secundum oraculum, vel Mineruae, auctore Apollod. forte, quia illa *fautrix viri*, vs. 101. Noster *Iouem* substituit. *ministros*, comites, quos sacrorum parandorum ministros esse volebat. Mox *socii* vrr. Schol. Hom. τινὰς τῶν μεθ' ἑαυτοῦ. Ap. Euripid. ipse Cadmus abit χέρνιβας, ad manus lauandas aqua lustrali. In eam rem *viua* aqua adhibebatur. Liu. I, 45. *Quin tu ante viuo perfunderis flumine?* Ipsum oraculum iusserat sacrum fieri ἁγνῶς καὶ καθαρῶς. *Libatio* alias fiebat vino aut lacte, nunc, illis deficientibus, *vndis.*

27 Fons ille, vnde aqua hau-

Siluas vetus stabat, nullà violata securi,
Et specus in medio, virgis ac vimine densus,
Efficiens humilem lapidum compagibus arcum;
Vberibus fecundus aquis. (Hoc conditus antro
Martius anguis erat, cristis praesignis et auro;
Igne micant oculi; corpus tumet omne veneno;
Tresque vibrant linguae; triplici stant ordine dentes.)

(29. *Est*, quod Heins. recep., merito improbat ob antecedens *stabat* et restitui iubet *et* Bothius Vindic. p. 21. E.). 31. Vulgo, *vbi conditus.* Heins. de suo dedit *hoc*, suadet etiam *cui creditus.* (*hoc* ex solo Neapolit. rec. Heins. Reliqui codd. *vbi* i. e. *qua in silua, et quidem antro*, vt expl. Bothius. E.) 34. *vibrant* pro *micant* e margine trium Edd. recepit Heins. Nec *micare* insolens de motu illo. (Bothius mauult *Tres vibrant* omissa copula.)

vienda, proprio nomine *Aretias* dicebatur. Schol. Aesch. Theb. 106. Inde haud dubie fluxit Ἀρεία κρήνη ap. Apollod. et Schol. Eurip. *Dircaeum* nominant Senec. Oed. 714. Palaeph. 6. Omnium pessime Hygin. *Castalium fontem.* Eum Noster ex ingenio descripsit, quales multi fontes esse solent. Liu. I, 21. *Lucus erat, quem medium ex opaco specu fons perenni rigabat aqua.*

28 Nefas erat siluas sacras *violare securi*, vid. Valkenar. ad Eurip. Hippol. vs. 74. Tales siluae *veteres* et *antiquae* dici solebant et opp. *caeduis. violare*, quia arbores sacrae. VIII, 742. *lucos ferro temerasse vetustos. virgis densus*, virgis dense septus, vt Fast. VI, 9. *nemus arboribus densum.* Ib. vs. 411. *lucus iuncis et arundine densus.*

31 Multi occurrunt in antiquitate dracones, custodes locorum, aedium, antrorum. vid. Spanhem. ad Callim. h. Del. vs. 91. Atque etiam genios locorum per serpentes exhibuerunt. Heyn. ad Virg. Aen. V, 84. Ac hic quidem secundum Eurip. custodiebat flumina et fluenta viridia, nempe a Marte sibi tradita, vnde in Orac. vr. δεινὸς Ἐνυαλίου φύλαξ, quem Cadmus iubetur πέμψαι Ἀΐδος εἴσω. Neque tamen propter hanc vnam caussam h. l. et Stat. Theb. X, 606. *Martius anguis* vr. sed et quia Martis filium eum multi faciebant. Eurip. δράκων Ἄρεως. Schol. Sophocl. Antig. 130. Tilphosam Furiam addit matrem. v. Munker. ad Anton. Lib. 2. Erat, auctore Eurip. φόνιος et ὠμόφρων. Eius crudelitati vastitatique, tum Cadmi cum ea pugnae describendae Noster immoratur, quia erat pars fabulae magna. Nouerat antiquitas serpentes mirae magnitudinis. Serpens quidem ille, quem Regulus ad Bagradam, fluuium Africae, interemit, centum et viginti pedes in longitudinem habuisse, nec vllis telis confici potuisse traditur. Plin. H. N. VIII, 14. Hinc et Virg. Aen. II, 203 seqq. licuit vastissimae molis serpentes describere, quem Noster respexit, et vtrumque Silius VI, 150 sqq. Neque tamen negandum est, prodigialiter quaedam hic esse aucta.

Praesignis, insignis, vt Trist. III, 4, 5. *praelustris. cristis et auro*, crista aurea. Intelliguntur autem comae fuluae in capite, praecipuum serpentum

Quem postquam Tyriâ lucum de gente profecti
Infausto tetigere gradu, demissaque in vndas
Vrna dedit sonitum; longum caput extulit antro
Caeruleus serpens, horrendaque sibila misit.
Effluxere vrnae manibus, sanguisque relinquit
Corpus, et attonitos subitus tremor occupat artus.
Ille volubilibus squamosos nexibus orbes
Torquet, et immensos saltu sinuatur in arcus;
Ac media plus parte leues erectus in auras
Despicit omne nemus, tantoque est corpore, quanto,
Si totum spectes, geminas qui separat Arctos.

37. *Longum* pro *longo* ex nonnullis Mss. iam Nauger. notauit. Repertum etiam in Regio et Leid. adoptauit Burm. G. — 42. Pro *saltu* cod. Zulichem. *altus*, prob. H. Voss. p. 170; cod. Medic. *corpus*, quod non displicet Heinsio.

quorundam ornamentum. Aelian. Animal. XI, 27. *Oculi* iratarum aut saeuarum bestiarum dicuntur *igne micare*, *tremere* aut *scintillare*. — *tumere* verb. propr. de serpentibus veneno inflatis. I, 460. Serpentum autem venenum non per totum corpus sparsum est, sed glandulis quibusdam oris inclusum. Et *vibrare* et *micare* sollemnia de celeri motu linguae serpentum. Silius d. l. *Trifido vibrata per auras Lingua micat motu*. Lingua illa duplicem habet cuspidem, IV, 585. sed vibrata triplex, trisulca esse videtur. Plin. H. N. XI, 37. *Lingua tenuissima serpentibus, trisulca, vibrans* etc. *Triplex* dentium *ordo* fictus est. *Caeruleus* nunc est niger. V. nos ad Plin. VIII Ep. 20, 4. Anacr. 29, 11. ὀφρὺς κυανωτέρη δρακόντων. Hinc vs. 63. *atra pellis*. Male Rode: *der blaue Drache*. *Longum* multo aptius consilio loci, quam vulg. *longo*, cum in longo antro paruum caput esse potuisset. φόνιον κρᾶτα ei tribuit Eurip. *mittere sibila*, vt alibi *vocem*.

41 *Ille — arcus*, torquens squamosum et volubile corpus, facit orbes et saltus immensos. Nimis fere cumulauit verba naturae et motui serpentum propria. Simplicius Virg. Aen. II, 208. *Nexus* similiter de luctantibus IX, 58.

43 *leues* tantum ornat, et petitum a natura aëris. Ita autem se solent serpentes erigere. Plin. VIII, 21, 33. de basilisco, *celsus et erectus a medio incedens*. Nostrum expressit Senec. Thyest. 655. *quam supereminens. Despectat alte quercus et vincit nemus*. Sed Ouid. parum sibi constat; etenim vs. 91 sq. Cadmus totum draconem figit in quercu. Magis etiam sui monstri magnitudinem auxit Silius vs. 185. *Sub astra coruscum Extulit assurgens caput, atque in nubila primam Dispersit saniem et coelum foedauit hiatu*. Quae sequitur similitudo, *quanto* etc. luxurianti ingenio tribuenda est. Placuit tamen Silio, qui eam sic reddidit, *Quantas non aequas perlustrat flexibus Arctos, Et geminum lapsu sidus circumligat anguis*. De illo autem serpente coelesti diximus ad II, 173. Ab Arato Phaen. vs. 45. vocatur μέγα θαῦμα, et a Virg. G. I, 244. *maximus*.

Nec mora; Phoenicas, (siue illi tela parabant,
Siue fugam; siue ipse timor prohibebat vtrumque)
Occupat; hos morsu, longis complexibus illos,
Hos necat adflatos funesti tabe veneni.
Fecerat exiguas iam Sol altissimus vmbras:
Quae mora sit sociis miratur Agenore natus,
Vestigatque viros. Tegimen derepta leoni
Pellis erat; telum splendenti lancea ferro,
Et iaculum; teloque animus praestantior omni.
Vt nemus intrauit, letataque corpora vidit,
Victoremque supra spatiosi corporis hostem

48. *amplexibus* plurimi codd. quod defendit Both. p. 22. E. — 49. Vulgo, *adflatu funesta*, *hos tabe.* Heins. dedit *adflatos funesti*, quia prius voc. in vno exstabat. Eidem et placebat ex quibusdam *adflati funesta.* Tum suadebat etiam *efflati*, quod Burm. in vno reperit. (52. Lectioni *derepta*, quam Heinsius e praestantioribus codd. multis exemplis firmat, praefert H. Voss. *direpta.* v. Hand. ad Gronou. Diatr. Stat. p. 558. E.) 56. Heins. aut hic *tergoris* pro *corporis*, aut mox *fid. pectora* legendum censebat, ne idem voc. toties repetatur. (*tergoris* probant etiam Bothius et H. Voss.)

46 Apollod. τοὺς πλείονας τῶν πεμφθέντων διέφθειρεν. Noster omnes, quibus serpentes necare possunt, modos enumerat. *Complexibus* suffocauit eos. Ap. Virg. natos Laocoontis *morsu depascuntur, ipsum spiris ligant ingentibus.* *Tabes*, vt *tabum*, humor corruptus et sordidus. Nunc *tabes veneni*, ipsum venenum. Hanc autem serpentis sui vim habet et Silius vs. 158. *trahit foeda grauitate* (foedo et pestilente odore) *per auras, Ac tabe adflatus volucres*, et vs. 239. *cateruas longius auectas adflatus peste premebat.*

52 Ea Cadmi arma memorat, quibus mox opus erit. Exuuiis ferarum *tegi* olim solebant viri fortes. Virg. Aen. I, 275. Proprie autem pellis dicitur *deripi* membris. vid. Heins. *animus.* Hesiod. Theog. 936. Cadmus ὑπέρθυμος.

56 Simpliciter Apollod. ἀγανακτήσας Κάδμος κτείνει τὸν δράκοντα. Sed illud κτείνειν latissime descripsit phantasia poëtae et exornauit. *Tristia* etc. Nota rursus quatuor vocc. in *a* desinentia. Breuis est Cadmi oratio; agere enim mauult, quam querelas inanes inertesque fundere. *corpora*, quia iam mortui socii, quamquam et de viuis hominibus passim occurrit. V. nos ad Plinii Pan. 33. *Molares*, vt μύλακες, omnino saxa grandia ap. poëtas. Eurip. μάρμαρον. *magnum magno*, vt vs. 95. *victor victi*, XII, 236. *vastum vastior.* Virg. Aen. V, 447. *grauis grauiter concidit.* Homer. μέγας μεγάλωστι. Demosth. de Cor. p. 288. ὃν κακὸς κακῶς ἐπέτριψας. v. Wakef. ad Lucret. VI, 550. Male igitur h. l. Schepper. cor. *Inque anguem magno.* Ex magnitudine autem lapidis missi, ipsius Cadmi statura intelligitur. Quinctil. Inst. VIII, 4, 24. Heroica aetate homines arbores proceritate superasse fingebantur. v

Tristia sanguinea lambentem vulnera linguâ;
Aut vltor vestrae, fidissima corpora, mortis,
Aut comes, inquit, ero. Dixit; dextrâque molarem
Sustulit, et magnum magno conamine misit.
Illius impulsu cum turribus ardua celsis
Moenia mota forent; serpens sine vulnere mansit;
Loricaeque modo squamis defensus, et atrae
Duritia pellis, validos cute repulit ictus.
At non duritia iaculum quoque vincit eadem;
Quod medio lentae fixum curuamine spinae
Constitit, et toto descendit in ilia ferro.
Ille, dolore ferox, caput in sua terga retorsit,
Vulneraque adspexit, fixumque hastile momordit:
Idque, vbi vi multa partem labefecit in omnem,
Vix tergo eripuit; ferrum tamen ossibus haeret.
Tum vero, postquam solitas accessit ad iras
Plaga recens, plenis tumuerunt guttura venis;
Spumaque pestiferos circumfluit albida rictus;
Terraque rasa sonat squamis; quique halitus exit
Ore niger Stygio, vitiatas inficit auras.

60. Duodecim Mss. *et magno conamine misit in hostem.* 63. Male Heins. pro *atrae* suadebat *hirtae*, improbante etiam Burm. 73. *plaga* dedit Burm. e duobus Mss. Vulg. *Caussa.* 76. Quidam *herbas* pro *auras.* Sed Burm. recte monet, *herbas* sanie potius, halitu vero *auras* infici.

ad XII, 352. Talis tantusque etiam Cadmus in hac pugna cogitandus est. Saxo misso succubuit draco secundum Hellanic. Eurip. Hygin. Gladio eum esse interfectum tradiderat Pherecydes. In nostra copiosa descriptione plura arma Cadmus experitur. Similitudo *illius impulsu* etc. bene delecta est; ea enim certam accipimus notionem et roboris, quo Cadmus vigebat, et molis serpentis. *Turres* autem non sunt, vt Lenz putabat, arces, palatia; sed turres in muris munitae vrbis, quae saxis e machinis bellicis missis moueri, concuti, solebant. *Loricae* genus intel. in squamarum speciem ex aere confectum. Virg. Aen. IX, 707.

66 Multum phantasiae in seqq. elucet. *Spina* serpentum admodum *lenta* i. flexibilis est, et in multos orbes curuari potest. *Consistere*, haerere. *Descendere* in corpus drr. tela, vulnera, ipsique adeo milites, qui vulnerant telis. *momordit* hastile more ferarum, quibus aliquod telum inhaeret. *ossa*, spina eiusque vertebrae. *plenae* sunt venae, cum tument.

76 *niger*, pestilens. *Stygio*

Ipse modo immensum spiris facientibus orbem
Cingitur; interdum longa trabe rectior exit.
Impete nunc vasto, ceu concitus imbribus amnis,
Fertur, et obstantes proturbat pectore siluas.
Cedit Agenorides paullum, spolioque leonis
Sustinet incursus, instantiaque ora retardat
Cuspide praetenta. Furit ille, et inania duro
Vulnera dat ferro, frangitque in acumine dentes.
Iamque venenifero sanguis manare palato
Coeperat, et virides adspergine tinxerat herbas;
Sed leue vulnus erat; quia se retrahebat ab ictu,
Laesaque colla dabat retro, plagamque sedere
Cedendo arcebat, nec longius ire sinebat:
Donec Agenorides coniectum in gutture ferrum

propter halitum letiferum. Silius vs. 219. *Stygios aestus fumante exsibilat ore. vitiatas inficit*. e copia poëtica, vitiat aut inficit. Auienus: *Pestifero adflatu serpens vagus inquinat auram*. Cf. Claudian. 35, 202.

78 *trabe*, arbore. *exit*, eminet. Cf. Senec. Oedip. vs. 726. *Impete* antique pro, *impetu*. Sic et VIII, 359. *concitus*, rapidior factus. Sollemne poëtis, praeeunte Homero Il. δ, 452 sqq. ε, 87 sqq. et alibi, militum, hinc et saeuarum bestiarum, impetum cum *amne concito* aut exundante comparare. Cf. Virg. Aen. II, 496. X, 603. *obstantes* etc. Similiter ap. Liu. XXI, 22. serpens in quiete Hannibali oblatus *cum ingenti arborum et virgultorum strage ferebatur*. *proturbare*, prosternere. Cf. VIII, 340.

81 *spolio*, pelle derepta; nam *spoliare* omnino detrahere. Obscure Rode, *mit der Beute des Löwen.* Spolium illud scuti vim habebat. Sic quoque Cadmum magnum facere voluit, vereor tamen, ne prodigialiter. Vir doctus in Ephem. Norimb. mox malebat, *inhiantiaque*. Sine caussa. *Instare* verbum militare. Cadmus cedit, serpens *instat* cedenti. *praetendere* verb. in hac re proprium. v. ad XI, 511. *inania vulnera*, morsus nullum dentis vestigium in ferro relinquentes. Virg. Aen. XII, 755. *morsus inanis*, et ap. Nostrum VII, 786. *vacuus morsus*. De morsu vulnus faciente *vulnus* etiam VII, 782. legitur. *frangitque* non nisi in vno Ms. legitur, sed eo nihil verius. Quam ieiuna est post superiora vulgaris lect. *figitque*. *frangit* probat etiam II. Voss. p. 170.

87 Incipit rursus ταυτολογεῖν; etenim idem quater dicit, *se retrahebat*, *colla dabat retro* etc. Proprie tela dicuntur *sedere*, cum incidunt et haerent in scuto. Flor. IV, 2, 40. Hinc etiam *plaga sedet*, altius descendit et penetrat. *Coniici* dr. culter, cum adigitur, XV, 735. h. l. lancea. v. Gronou. Obs. I, c. 13 p. 114. *gemuit flagellari*, gemuit, quod flagellabatur. *Gemere* de sono cuiuscunque rei oneratae, pressae, pulsae. IV, 449. XIV, 739. III ex P. 3, 10. et quae non sonant, *tacere* drr. *sua robora* plenius quam, *se*.

Vsque sequens pressit, dum retro quercus eunti,
Obstitit; et fixa est pariter cum robore ceruix.
Pondere serpentis curuata est arbor, et imae
Parte flagellari gemuit sua robora caudae.
Dum spatium victor victi considerat hostis;
Vox subito audita est: (neque erat cognoscere promtum,
Vnde; sed audita est) Quid, Agenore nate, peremtum
Serpentem spectas? et tu spectabere serpens.
Ille diu pauidus, pariter cum mente colorem
Perdiderat, gelidoque comae terrore rigebant.
Ecce viri fautrix, superas delapsa per auras,
Pallas adest; motaeque iubet supponere terrae

99. *mente.* Quidam *voce.* (Bothius. quem verbum *diu* ob sequens *ecce* offendebat, cor. *deûm pauidus.*) 101. Vnus *fautor.* Monet Burm. etiam *auctorem*, *sponsorem* et similia de feminis dici. 102. *motaeque.* Cod. Medic. *matrique.* Tum vnus *deponere.* Non male. Saepe, notante Burm. semina *depositum* terrae vrr. atque plantae a rei rusticae scriptoribus *deponi* drr.

96 Apparebant interdum Dii sic, vt in hominum conspectum non prodirent, sed vox tantum eorum audiretur, quae nonnunquam agnoscebatur ab audiente, vt vox Mineruae ab Vlysse in Sophocl. Aiace vs. 14. Nunc missa videtur a Marte, qui Cadmum interfecisset, nisi intercessisset Iupiter. Apollod. III, 4, 2. ibique Heyne. Et transformatio Cadmi in serpentem, quae IV, 562 sqq. narratur, Martis irae tribuitur ab Hygin. fab. 6. In *spectas* et *spectabere* inest lusus non contemnendus.

101 sqq. Pallas partem dentium seri iubet; alteram partem ad Aeeten pertulit. Apollod. I, 9, 23. Noster VII, 121 sqq. quem locum cum hoc conferas. Secundum Pherecydem in Schol. Apollon. III, 1178. Cadmus hos dentes seuit a Marte iussus; sed reliqui hoc consilium Mineruae tribuunt. *Ecce adest.* Sic et II, 496. Virorum illustrium curam olim Deus aliquis Deaue gerebat, eique apparebat, si auxilio indigeret. Exempla sunt in Homero et Virg. obuia. Heroibus hoc datum erat, vt Deos diuina specie ipsis oblatos sine noxa intuerentur. *Pallas.* Cadmo etiam imperium Boeotiae comparasse traditur ab Apollod. *supponere terrae* saepe pro sepelire, vt XV, 370. Ib. 151. Amorr. III, 9, 48. Ergo bene de seminibus sparsis. Tunc vero perspicuitatis caussa recte additur *motae*, aratro proscissae, quemadmodum *mouere terram* et fodere significat. Virg. G. II, 264. Plin. II Ep. 17, 25. Atque τῷ *motae* mox respondet *presso sulcum* etc. Ap. Eurip. 673. dentes spargit εἰς βαθυσπόρους γύας. VII, 122. *aratos spargit in agros;* ap. Pherecyd. εἰς τὴν ἄρουραν, in terram motam. Non igitur adsentior Valken. ad Eurip. 673. qui *matrique* praeferebat, quia hoc ei doctius videbatur, quam vt a librario pos-

Vipereos dentes, populi incrementa futuri.
Paret; et vt presso sulcum patefecit aratro,
Spargit humi iussos, mortalia semina, dentes.
Inde (fide maius) glebae coepere moueri,
Primaque de sulcis acies adparuit hastae;
Tegmina mox capitum picto nutantia cono,
Mox humeri pectusque, onerataque brachia telis
Exsistunt; crescitque seges clypeata virorum.
Sic, vbi tolluntur festis aulaea theatris,
Surgere signa solent, primumque ostendere vultum,
Cetera paullatim; placidoque educta tenore
Tota patent, imoque pedes in margine ponunt.

104. *et vt presso* pro *et impresso* dedit Heins. ex castigatioribus. 108. *nutantia*. Vnus Thuani *micantia*. G.

sit exspectari. *incrementa*, additamenta, quibus augeretur nouus populus. *presso*, impresso. VIII, 332. *pressa signa pedum*. Et ipsum *pressum aratrum* Tibul. IV, 1, 161. *Spargit*. Inde Graecis illi dicti putantur *Sparti*. *mortalia semina*, semina, vnde mortales nascerentur. Verba autem *et*, *vt* — *dentes* si abessent, non desiderarentur.

106 sqq. Eurip. 674. Ἔνθεν ἐξανῆκε γῆ Πάνοπλον ὄψιν ὑπὲρ ἄκρων Ὅρων χθονός. Sed Noster eos sensim nobis e terra prodeuntes ostendit, addita similitudine minime vulgari. *moueri*, sursum ferri, mox dilabi. Claud. XXI, 323. *galea matrem nascente feriunt*, erunnt terram sibi obstantem.

108 *Tegmina capitum*, galeae, habebant *conum*, tuberculum excauatum, cui indebantur cristae, quae fere constabant versicoloribus pennis, vnde *pictus conus*. Eae pennae inter eundum *nutabant*, mouebantur. Est autem *nutare* verb. in hac re proprium. vid. Heins. ad Sil. IV, 460. Sed dum galeae sensim e terra prodibant, cristae *nutare* non poterant. *Exsistunt* II, 264. *seges virorum*. Eurip. vs. 946. terra edit χρυσοπήληκα στάχυν Σπαρτῶν aureis galeis armatam segetem Spartorum, vnde Ouidius *clypeatam* fecit, quod Addisonus sine caussa damnabat. Virg. G. II, 142. *galeis densisque virum seges horruit hastis*. A. Claudian. *messis vr.* cum *Armiger et viridi floreret milite sulcus*.

111 *Aulaea*, vela picta, quorum vsus etiam in theatris erat. Haec, cum ludus initium capiebat, non in altum trahebantur, vt apud nos, sed ex alto demittebantur, ita, vt, quamdiu scena aperta esset, humi iacerent. vid. Gesner. ad Horat. A. P. vs. 154. et Scheffer. ad Phaedr. V. fab. 8, 23. *Signa* omnes intelligunt imagines in aulaeo pictas; nec improbo. quamquam h. n. rarissime ita legitur. Putem tamen et de statuis post aulaeum positis cogitari posse, quas in theatris intentorum velorum coloribus infici Lucret. IV, 77. ait, quibusque melius etiam viri armati comparantur. Eae, dum aulaea *tolluntur*, remouentur, *surgunt* exqui-

Territus hoste nouo Cadmus capere arma parabat:
Ne cape, de populo, quem terra creauerat, vnus
Exclamat; nec te ciuilibus insere bellis.
Atque ita terrigenis rigido de fratribus vnum
Cominus ense ferit: iaculo cadit eminus ipse.
Hic quoque, qui leto dederat, non longius illo
Viuit, et exspirat, modo quas acceperat, auras.
Exemploque pari furit omnis turba, suoque
Marte cadunt subiti per mutua vulnera fratres.
Iamque breuis spatium vitae sortita iuuentus
Sanguineam trepido plangebant pectore matrem,
Quinque superstitibus; quorum fuit vnus Echion.
Is sua iecit humi, monitu Tritonidis, arma,

124. *breuis vitae spatium* cod. Berol. et Heidelb. prob. Bothio, ne concurrant duo *s* in *breuis* et *spatium*. E.

sitiore illo verbi vsu, de quo ad I, 345. atque ex illusione optica iucunde drr. *educi* et *pedes in margine ponere*. *Tenor*, cum sine interuallo res sibi succedunt, continuitas, συνάφεια. *festa theatra*, in quibus ludi celebrantur diebus festis, Supra II, 712. vidimus *festas arces*. I Art. 133. *sollemnia theatra*, in quibus ludi sollemnes habentur.

115 Pherecydes narrauerat, lapidibus eos esse petitos a Cadmo, cum vero putarent, peti se ab aliis e suo numero, manus conseruisse. Schol. Apollon. III, 1185. Hoc alii variarunt. *nouus*, singulari et miro modo creatus. *populus*, coetus. *Aurae*, *anima*, *vita* promiscue ponuntur. Vt *aura vesci*, viuere, *vitales auras accipere*, nasci significat, sic *exspirare auras*, mori. *furere*, acriter pugnare. *subiti*, subito nati. Inde Claudian. d. l. exercitum repente coactum non male cum subita Spartorum origine comparat.

125 *trepido*, trepidante. Membra morientium, aut decisa a corpore, *palpitare* et *trepidare* dicuntur. IV, 133. Virg. Aen. I, 212. *trementia membra*, vbi Heyn. negat, suauem hoc epitheto imaginem sensui obiici.

126 *Quinque*, quibus nonnulli sextum addunt, Creonta. Illorum nomina a Lysimacho et Hellanico seruata multi repetierunt. Pausan. quoniam nihil melius habeat, adsentiri se ait fabulae de eorum origine. Sine dubio *Sparti* dicebantur antiqui illius regionis incolae. Inter hos, Cadmo aduenieute, bellum ciuile ortum, in quo plurimi perierunt, *quinque* autem e primoribus superstites fuerunt, quorum nomina tradita sunt, quia serius totidem familiae Thebanae illustres. *Echiona* Cadmus, ὡς προέχοντα κατ' ἀνδραγαθίαν, generum adsumsit. Pausan. d. l. Iam cum Thebani Spartorum nomen ex etymologia interpretarentur, forte et constaret, ingentem draconem esse a Cadmo interfectum, inde composita est haec fab.

127 *monitu Tritonidis*, i. sapientius, consultius duxit abiicere arma. Similiter Homer. Il. α, 194 sqq. Mineruae monitu Achilles gladium strictum recondit in vaginam. Vnde Pallas *Tritonis* aut *Tritonia* dicta sit, disputatur.

Fraternaeque fidem pacis petiitque, deditque.
Hos operis comites habuit Sidonius hospes;
Cum posuit iussam Phoebeïs sortibus vrbem.
Actaeon. Iam stabant Thebae; poteras iam, Cadme, videri
Exsilio felix: soceri tibi Marsque Venusque

128. Gebhard, Crep. II, 7. ductu Cod. Palat, legit, *fide* (antique pro *fidei*) *pacem*. Male. 132. Naugerius e veteribus nonnullis adfert et probat *Exsilii felix*, quod Burm. illustrat quidem; sed propter Codd. consensum respuit.

Heynio ad Virg. Aen. II, 170, maxime probabile videtur, a Τριτὼ, quod Aeolibus *caput* est, eam dictam esse Τριτογένειαν, e capite Iouis natam. *fidem pacis* etc. postulauit, vt reliqui fide data promitterent se quieturos, idemque et ipse promisit. *operis comites.* Pherecydes: Hos quinque Κάδμος ποιεῖται πολίτας κατοικίσας αὐτοὺς ἐν Θήβαις. Inde Thebani dicti *dracontigenae*. Cf. infra 543 sqq. *iussam Phoeb.* etc. In Oraculo iubetur ὄχθῳ ἐν ἀκροτάτῳ κτίζειν πόλιν εὐρυάγυιαν. Ille vero Cadmeam tantum acropolin condidit, cui postea accessere Thebae, Paus. Boeot. p. 719.

FAB. II. vs. 131–252, *Actaeon*, Cadmi ex Autonoa nepos, Aristaei filius, ob visam sine veste Dianam in ceruum mutatus, a suis ipsius canibus discerptus est. Eurip. Bacch. 337 sqq. Callim. Lau. Pall. 108. Paus. IX, p. 714. et 787. Apollod. III, 4, 4. Hygin. fab. 180, 81. Fulg. Myth. III, 3. Senec. Oedip. 751. Ab his Acusilaus et Stesichorus fab. auctores laudantur. Ac ille quidem poenam illatam a Ioue repetierat, indignante, quod Actaeon Semelen vxorem petiisset, plurimi vero a Diana, vel quod ille nudam vidisset, vel, quod Euripides secutus est, se in venandi arte praetulisset Deae. Anaximenes ap. Fulgentium putauerat, Actaeona, cognitis venationis periculis, timidum esse factum, tamquam ceruum, studioque canum alendarum decoxisse. Posterius etiam Theo Sophocl. Progymn. cp. 6. et Palaeph. 3 amplexi sunt, et solent opes hominis *viscera* eius dici. Heroid. I, 90. *Viscera nostra tuae dilaniantur opes.* Forte Actaeon inter venandum aut a canibus dilaniatus est, aut alio modo periit. Id ad Dianae iram referebatur.

131—42. Transitus, in quo poëta de Cadmi sorte philosophatur, addita sententia graui. Et iam Pindar. P. 3, 163. obseruauerat, non solidam illi contigisse felicitatem. Non male hic apostrophe adhibita, qua Cadmo bona sua, partemque calamitatis enumerat poëta, atque ita commode fab. argumentum proponit, addito iudicio suo, quo quasi solatur Cadmum. *stabant.* Safftius: *Theben blühete nunmehr.* Et sane *stare* frequenter ponitur pro florere, quemadmodum miseri *iacere* dicuntur. Sed h. l. de vrbe absoluta capiendum est. Sic *stare* et XI, 205. *felix.* In Orac. Καὶ σύγε ἐν ἀνθρώποις ὀνομάκλυτος ἔσσεαι αὖτις Ἀθανάτων λεχέων ἀντήσας, ὄλβιε Κάδμε. Id ipsum de eius felicitate disputandi occasionem praebuit.

132 Cadmus Harmoniam (sic, non Hermionen, vt quidam corrupte exhibent) duxerat, *Martis* et *Veneris* filiam, quibus nuptiis omnes Dii interfuerant, quasque

Contigerant. Huc adde genus de coniuge tantâ,
Tot natos, natasque, et, pignora cara, nepotes:
Hos quoque iam iuuenes. Sed, scilicet, vltima semper
Exspectanda dies homini; dicique beatus
Ante obitum nemo supremaque funera debet.
Prima nepos inter tot res tibi, Cadme, secundas
Caussa fuit luctûs, alienaque cornua fronti
Addita; vosque canes satiatae sanguine herili.
At bene si quaeras, Fortunae crimen in illo,
Non scelus inuenies; quod enim scelus error habebat?

140. *satiatae* ex Neap. primo, Vatic. sec. Palat. sec. Medic. priore, Erfurt. et tribus aliis dedit Heins. Caeteri *satiati.*

Musae et Gratiae carminibus suis celebrauerant. Euripid. Phoen. vs. 7. ibique Schol. Hesiod. Theog. vs. 936. 974. Theognis vs. 15, Pausan. p. 719 et 734. Apollod. d. l.

134 *Tot* non ad vnum *natos* sed ad *natos natasque* coniunctim referendum. *Natus* enim non nisi vnus a caeteris scriptoribus commemoratur, Polydorus, qui successit Cadmo in imperio. *Natas* autem habuit quatuor, Autonoën, Ino, Semelen, Agaven. Ino nupsit Athamanti, Autonoë Aristaeo, Agaue Echioni, Semele autem cum Ioue rem habuit. vid. Pausan. et Apollod. d. l. E *nepotibus* memorabiles sunt prae caeteris Melicerta, Bacchus, Pentheus, et hic ipse miserrimus Actaeon. Sollemne autem est, liberos aut, vt h. l. *nepotes* vocare *pignora* (*Liebespfänder*), quibus parentum et liberorum amor arctissime constringitur.

135 *scilicet* ponitur, cum sententiae proferuntur. Sequitur sententia Solonis ad Croesum (Herodot. I, 32.), quam expresserunt multi. Eurip. Troad. vs. 510. Τῶν δ' Εὐδαιμόνων Μηδένα νομίζετ' εὐτυχεῖν, πρὶν ἂν θάνῃ. Cf. Androm. vs. 100, Iphig. Aul. vs. 161. Laudat nostrum locum Lactant. Ira Dei 20, 2. Cum *funus supremum* saepe occurrat, v. Heins. superuacaneam puto Lindenbr. coniect. *suprema munera,* quamquam eam et Brouckh. ad Propert. I, 17, 23. probat.

138 *Prima.* Postea plures accessere, hinc IV, 563. vr. *luctu serieque malorum victus,* *aliena*, quae abhorrent a forma humana, Heroidd. XIV, 90, non minus eleganter, *non sua cornua*, vt infra vs. 203. *ora non sua. satiatae f.* grauius, quam, quae hausistis s. Femininum saepe praefertur a Graecis et Rom. cum de animantibus sermo est. v. Heins.

141 At si rem accurate, et sine praeiudicatis opinionibus examinare velis. *crimen*, culpa. Fortunam habebat malignam. Commode a Burm. allatus est loc. Quinctil. lib. VI. Inst. Or. prooem. *Frustra mala omnia ad Fortunae crimen relegamus.* Phaedr. II. Epilog. 19. *Donec fortunam criminis pudeat sui.* — *error*, quo deductus erat ad Dianae lauacrum. Alii tamen rem sic narrant, vt culpa non vacauerit Actaeon.

Mons erat, infectus variarum caede ferarum:
Iamque dies rerum medias contraxerat vmbras,
Et Sol ex aequo metâ distabat vtrâque;
Cum iuuenis placido per deuia lustra vagantes
Participes operum compellat Hyantius ore:
Lina madent, comites, ferrumque cruore ferarum,
Fortunamque dies habuit satis. Altera lucem
Cum croceis euecta rotis Aurora reducet;

144. *medias* ex vno Palat. pro *medius*. 150. *euecta* in vno Ciofan. Leid. et duobus aliis pro *inuecta*. v. Burm. (*inuecta* tamen recte tuitus est Bothius p. 23.)

143. Intelligitur mons Cithaeron. Eurip. Bacch. vs. 1290. Apollod. d. l. Rode: *Roth war das Gebirge.* Immo *erat* inuoluit praedicatum. *Es gab ein Gebirge*, *dies war roth.* Sic vs. 155. *Vallis erat.* I, 568. *Est nemus.* IV, 432. *Est via decliuis.* Et ita creberrime incipiunt descriptiones locorum. Plin. IX Ep. 33, 2. *Est in Africa colonia. caede ferarum*, sanguine caesarum ferarum.

144 *Dies* ponitur pro Sole, qui diem facit, et vicissim *Sol* aut *Phoebus* pro die. *medias vmbras* doctius quam, si *medius dies* dixisset. Manil. II, 796. *Declinatque diem mediasque examinat vmbras.* Posset tamen et *medius* defendi ex III Art. 723. *meta vtraque*, a parte finitoria orientali et occidentali vid. ad II, 142.

147 *Hyantius*, Boeotus. vid. ad vs. 1. vnde et apparet, melius poëtam dicturum fuisse, *Aonius iuuenis.* Et saepe *Aonius* pro Boeoto ponitur. v. Valken. ad Eurip. Phoen. 645. Sed poëtae terras ab antiquissimis incolis nominant. *operum*, venatus, vt mox *propositum opus.* Venatu delectabatur; etenim a Chirone educatus κυνηγὸς ἀδιδάχθη. Sequens oratio parum ad rem pertinere videri possit. Sed ea voluit poeta iuuenem sua fortuna laetum, nec quidquam mali metuentem describere: quod ipsum inest in voc. *placido.*

149 Regius subintell. putabat, *satis prosperam*, quod non est necesse; nam quamquam τῷ *satis* ex vulgaribus linguae legibus Genitiv. additur, tamen nec exempla cum Accusat. rara sunt. Ipsé Cic. Attic. XII, 50 *satis consilium* dixit. Senec. Herc. Oct. vs. 1830. *Erunt satis praesidia.* vid. Corte ad Sallust. Cat. 58, 9. et Bosius ad Nepot. Epam. 4. Similiter *abunde, affatim*, ἅλις.

150 Vno verbo, crastino die. Solent autem poëtae, vt narrationis tenuitatem fugiant, huiusmodi versus ornatos, tamquam formulas solemnes, inserere. vid. Heyn. ad Virg. Aen. IV, 6. vbi haec poëtarum consuetudo defenditur contra Homium. Aurora bigis *vecta* ante solem coeli complexum decurrere credebatur. Expressit autem Noster Virg. Aen. XII, 76. *Cum primum crastina coelo Puniceis inuecta rotis Aurora rubescit.* Etiam h. l. plerique *inuecta*; sed Burm. placuit *euecta. idem*, pariter, ex aequo. *vapores*, aestus, vt saepe, praeeunte Lucret. Homer. ἀϋτμή. *finditque* etc. Virg. G. II, 353. *vbi hiulca siti findit canis aestifer arua.* Tibul. I, 7, 21. *nodosa*, non *kno-*

Propositum repetamus opus. Nunc Phoebus vtrâque
Distat idem terra, finditque vaporibus arua.
Sistite opus praesens, nodosaque tollite lina.
Iussa viri faciunt, intermittuntque laborem.
Vallis erat, piceis, et acutâ densa cupressu,
Nomine Gargaphie, succinctae cura Dianae;
Cuius in extremo est atrum nemorale recessu,
Arte laboratum nullâ. Simulauerat artem
Ingenio natura suo; nam pumice viuo,
Et leuibus tophis natiuum duxerat arcum.
Fons sonat a dextrâ, tenui perlucidus vndâ,

155. Cantabr. Argentor. et duo alii, *cupresso.* Vtrumque vsitatum. 156. *cura* dedimus cum Mss. quibusdam, tum Edd. Aldi, Gryph. Bersm. et aliis pro *sacra*, quod fluxit ex interpret. Burm. suadet *cara* vel *grata.* Sine caussa. 158. Duo Medic. et vnus Leid. *similauerat*, quam scripturam acriter defendit Barth. ad Claudian. II. Ruf. 81. Sed Gronou. Diatrib. Stat. cp. 6. docet, semper scribendum *simulare* et *assimulare*, eique adsentitur Burm.

tenreich, vt Rode vertit, sed nexa. II, 499. *nexiles plagae.* v. ad II, 560.

156 *Gargaphie*, vallis prope Plataeas cum fonte cognomini. Herodot. lib. IX. cp. 25. et 48. Pausan. Boeot. p. 718. Hygin. fab. 181. vocat *vallem opacissimam*, hinc Noster, *piceis densa et cupressu*, densis pic. et cupr. obsita. Cf. Hessel. ad Vibium Sequestr. p. 100 sqq. *acuta* a forma. vt I, 699. *cura* Dei vr. aut locus, quo Deus delectatur, aut homo, quem tuetur. Virg. Aen. III. 476. Infra X, 529. Ergo nihil hic mutandum. Caussa autem huius *curae* duplex, quia locus et absconditus et iucundus, quod vtrumque Deam ad lauandum inuitabat, et a Nostro notatur. Et habebant Deae suos fontes. *succinctae*, venatrici. Venantes enim succingi solebant. vid. ad II, 412.

157 Cf. XI, 235. s. *recessus*, loca remota. *nemorale*, nemore cinctum. *Simulauerat*, imitata fuerat. Erat merus lusus naturae. *Simulata* apud Cic. N. D. II, 35. quae ad exemplum naturae expressa sunt. *Ingenium* bene tribuitur Naturae ludenti. *pumex*, lapis cauus et pendens, qui facile imitatur formam antrorum et arcuum. *viuus*, eo ipso loco natus, *tophus* oritur ex aquis cum calce mixtis et destillantibus. Simulat autem hic lapis miras saepenumero figuras, vt vel Baumanniana spelunca quemque docere potest. Tum *pumices* et *tophi* omnino sunt saxa, quibus Dearum Nympharumque antra constructa fingebantur. VIII, 561. X, 692. II. Fast. 315. Plin. XXXVI, 21. *Non praetermittenda est et pumicum natura. Appellantur quidem ita et erosa saxa in aedificiis, quae musea vocant, dependentia, ad imaginem specus arte reddendam. natiuum*, a natura factum.

161 *Fons* fuit in ipso antro, vs. 177. — Hygin. fab. 181. eum vocat *Parthenium*. Pausan. autem

Margine gramineo patulos incinctus hiatus.
Hîc Dea siluarum venatu fessa, solebat
Virgineos artus liquido perfundere rore.
Quo postquam subiit; Nympharum tradidit vni
Armigerae iaculum, pharetramque, arcusque retentos.
Altera depositae subiecit brachia pallae.
Vincla duae pedibus demunt. Nam doctior illis
Ismenis Crocale, sparsos per colla capillos

165. *Quo.* Vossian. *Quem.*

Boeot. p. 714. narrat, Megaris Plataeas proficiscentibus ad dextram esse fontem et saxum, quod Actaeonis saxum dicatur, in quo Actaeon e venatu fessus cubare solitus fuerit, et vnde prospexerit Dianam in proximo fonte lavantem. *tenuis*, non profunda, vt Liu. I, 4. *hiatus*, sine dubio lacus aquam colligens. Plin. VIII Ep. 8, 2. de Clitumno, *eluctatus facit gurgitem, qui lato gremio patescit purus et vitreus. ros*, aqua qua quis perfunditur. I, 371. *liquido*, limpido. *perfundere*, nempe ex vrna vs. 172. Non immergebat corpus.

165 *subire* et *succedere* vim appropinquandi habent. *Quo.* Num *quod?* De nymphis Dianam comitantibus, variumque ei ministerium praestantibus, vid. Callim. h. Dian. vs. 13 sqq. *subiecit brachia* exquisitius quam, suscepit pallam; modum enim rei faciendae exprimit. *Vincla pedum*, quaecunque calceamenta. Virg. Aen. IV, 518. *Vnum exuta pedem vinclis.* VIII, 416. Venantium calceus erat *cothurnus*, quali etiam hodie venatores Itali vtuntur, adscendens ad mediam tibiam. Pellis scissa erat multis locis, habebatque foramina, per quae lora traiicerentur. vid. Spanhem. ad Callim. d. l. vs. 16. vbi Diana expetit sibi viginti nymphas Cretenses, quibus calceorum curam committat; nam inter Cretenses et inuenti et maxime in vsu erant istiusmodi calcei, Graecis ἐνδρομίδες dicti. Sic muniti pedes Dianae in Lipperti Dactyl. I, 1, 68. conspiciuntur. *demere* et *adimere* verba in hac re propria. Apud Plautum occurrit *soccos*, item *compedes adimere.*

169 *Crocale*, ἀπὸ τοῦ κεκρυφάλου, quod capitis ornamentum, lat. *reticulum*, quo crines cohibebantur. Id h. l. et passim apud Virg. *nodus* vr. formulaeque sollemnes sunt, crines *nodo* et *in nodum colligere. Ismenis*, Thebana, ab Ismeno fluuio, qui tamen hoc nomen demum accepit ab Ismeno, Amphionis et Niobes filio, cum antea Κάδμου ποῦς vocaretur. vid. Burm. *doctior*, peritior. *doctus* vt σοφὸς, quicunque alicuius artis peritus est. vid. Fischer. Ind. Aesch. h. v. et Burm. ad Phaedr. IV. fab. 16, 8. Et erat artis, crines sic colligere; hinc ministrae, quibus ea cura iniuncta, primum locum tenebant. Amorr. I, 11, 1. *Colligere incertos et in ordine ponere crines Docta, neque ancillas inter habenda Nape.* Hemistichium *quamuis* etc. Crispinus a sciolo monacho adiectum putabat. Immo Ouid. eo monet, artificem, vt fit, suos ipsius crines neglexisse.

Colligit in nodum; quamuis erat ipsa solutis.
Excipiunt laticem Nepheleque, Hyaleque, Rhanisque,
Et Psecas, et Phiale, funduntque capacibus vrnis,
Dumque ibi perluitur solita Titania lymphâ;
Ecce nepos Cadmi, dilatâ parte laborum,
Per nemus ignotum non certis passibus errans,
Peruenit in lucum; sic illum fata ferebant.
Qui simul intrauit rorantia fontibus antra;
Sicut erant, viso nudae sua pectora Nymphae
Percussere viro, subitisque vlulatibus omne
Impleuère nemus, circumfusaeque Dianam
Corporibus texere suis. Tamen altior illis
Ipsa Dea est, colloque tenus supereminet omnes.
Qui color infectis aduersi Solis ab ictu
Nubibus esse solet, aut purpureae Aurorae;

175. Hic vers. in Florent. Neapolit. ac Medic. sec. manu recentiore margini adscriptus est, et proinde spurius Heinsio videbatur. (Recte vero eum tuentur Burm. et H. Voss. in Both. Vind. p. 170.) 176. *ferebant.* Sex libri *trahebant.* Pro *in lucum* alter Regius, *ad fontem.* 183. Leid. *aduerso.*

175 *Non certis passibus*, sine certo consilio et proposito errabat. *Vago pede errare* est Heroidd. XXI, 96. *Non certis manibus* eodem sensu apud Propert. I, 3, 8. Non erat, cur Heins. h. vs. eiici vellet; valet enim ad innocentiam Actaeonis declarandam. Secundum Hygin. eundem locum petebat ad se refrigerandum. Nonnulli venantes *lucum*, i. partem interiorem et sanctiorem *nemoris*, adibant Deorum venerandorum caussa. Plin. pan. 81. — *Sicut erant.* vt II, 272. Dum Nymphas vlulantes Dianam vero non nisi erubescentem facit, decorum obseruat. *texere* exquisite, metaph. a vestibus sumta. Diana *altitudine* s. proceritate et dignitate conspicua erat; vnde reginae ei comparari solent, Helena ap. Homer. Od. δ, 122. Dido ap. Virg. Aen. I, 498 sqq. vbi *Deas supereminet omnes.*

183 Iridis descriptionem esse volunt, cuius dolores retulerit os Dianae pudore suffusae. At quo tandem iure pudoris rubor cum arcus coelestis variis coloribus comparari poterit? Et tamen suauissimam comparationem iudicat Schirach. et maximum ingenii summi testimonium. Intellige ergo nubeculas, quas solis occidentis radiis rubescere interdum videmus. *ictus solis*, radii solis incidentes. Lucret. V, 612. *radiorum ictus*, qui et vs. 486. *verbera solis* dixit e Graeco βολὴ ἡλίου. Non adsentior viro docto in Ephem. Norimb. *aduersi* in *auersi* mutantis; nam *aduersus* dr. qui est e regione, oppositus. Virg. Aen. IV, 701. *Iris mille trahens varios aduerso sole colores.* Sic et V, 89. *Au-*

Is fuit in vultu visae sine veste Dianae.
Quae quamquan comitum turbâ est stipata suarum,
In latus obliquum tamen adstitit, oraque retro
Flexit; et vt vellet promtas habuisse sagittas,
Quas habuit, sic hausit aquas, vultumque virilem
Perfudit, spargensque comas vltricibus vndis,
Addidit haec cladis praenuntia verba futurae:
Nunc tibi me posito visam velamine narres,
Si poteris narrare, licet. Nec plura minata,
Dat sparso capiti viuacis cornua cerui;
Dat spatium collo, summasque cacuminat aures;
Cum pedibusque manus, cum longis brachia mutat
Cruribus, et velat maculoso vellere corpus:
Additus et pauor est. Fugit Autonoëius heros,

(186. *quamuis* cod. Berol. Ciof. et Leid. prob. Bothius, vt concursus literae *m* vitetur. Idem cum cod. Berol. aliisque omittit *est*, quod ob sequens *stipata* admodum durum sit. E.) — 193. *minata.* Vnus Moreti et Leid. *morata*, quod venustum iudicat Heins.

rorae. cf. VI, 48. vbi similis comparatio.

186 *comitum turba*, multas enim habet Diana comites. Callim. h. Dian. vs. 13 sqq. *in latus obliq. adstitit*, corpus inflexit et contraxit in alterum latus, vt parua videretur, nec conspici posset ab Actaeone. Phantasia non. mala. *vt - sic.* Elegans est hic vsus harum partic. Cum non haberet, quas vellet, hausit, quas habuit. *promtas*, paratas. *virilem*, viri, Actaeonis.

192 Prisco seculo mortales impune cernere poterant Deas etiam nudas, Propert. III, 11. 38. ibique Brouckh. Seriore tempore poena adficiebantur, qui Deos inuitos viderant. *Nunc tibi* etc. Similis sarcasmus I, 720. Apud Hygin. Diana *fecit*, vt Actaeoni *cornua in capite nascerentur.* Forte poëtam aliquem secutus, totam transformationem a parte indicare voluit, vt Noster vs. 139. Stesichorus dixerat, Dianam ei ἐλάφου περιβαλεῖν δέρμα. Polygnotus eum et matrem pinxerat ceruae hinnuleum manibus tenentes, pellique ceruinae insidentes, adstante cane venatico. Pausan. X, p. 872.

194 *viuax*, frequens ceruorum epitheton, quia olim credebantur quam longissime viuere. Auson. *Hos* (homines) *nouies superat viuendo garrula cornix, Et quater egreditur cornicis saecula ceruus.* Sed ceruus vix quadragesimum aetatis annum attingit. *spatium*, longitudinem. *cacuminare*, acutas reddere, verb. Ouid. proprium.

198 *pauoris* symbolum ap. Veteres erat ceruus. Homer. Il. α, 225. *heros* quia mater eius ex Harmonia Martis et Veneris neptis, pater Apollinis filius. Is, qui modo *heros* fuerat, nunc *fugit;* quod indignum. *Et se tam celerem* etc. luxuriantis ingenii est. *solitis.* Veteres enim aquis pro speculo vtebantur. Cf.

Et se tam celerem cursu miratur in ipso.
Vt vero solitis sua cornua vidit in vndis,
Me miserum! dicturus erat: vox nulla secuta est.
Ingemuit; vox illa fuit; lacrimaeque per ora
Non sua fluxerunt: mens tantum pristina mansit.
Quid faciat? repetatne domum, et regalia tecta?
An lateat siluis? timor hoc, pudor impedit illud.
Dum dubitat, videre canes; primusque Melampus,
Ichnobatesque sagax latratu signa dedere,
Gnosius Ichnobates, Spartanâ gente Melampus.
Inde ruunt alii rapidâ velocius aurâ,
Pamphagus, et Dorceus, et Oribasus, Arcades omnes;

200. Sic h. vs. ex Leid. edidit Heins. Caeteri, *Vt vero vultus et cornua* etc. G. — Bene defendit h. v. Schrader contra Heinsium in Emendatt. c. 10. p. 197 sq. Etenim et alibi Ouidius ita loqui solet. v. III, 499. XV, 565. Heroidd. XIV, 90. Expressit h. l. Seneca Oedip. 760. Eiecto versu oratio non cohaeret. Recte autem lectionem, *Vt vero vultus et cornua* praefert H. Voss. p. 170. *solitis*, quod e vers. 499 huc migrauit, nostro in loco nisi sensu destituitur, certe admodum friget. Alia ratio est v. 499.

vs. 499. Heins. hunc vs. vt insulsum et frigidum eiici volebat. Sine caussa. Cf. similia I, 640 s. et cum sqq. compara II. 485 sqq. Bene *non sua*, non ei data a natura. Trist. III, 4, 24 de Daedalo et Icaro, *pennas non habuere suas*. Virg. G. II, 82. *non sua poma*. *Pudoris* caussa nulla erat; quis enim domi agnouisset transformatum dominum?

206 Quinquaginta aluisse canes Actaeon traditur, quarum nomina adeo poëtae prisci memoriae mandanda censuerunt. Comprehensa etiam erant prisci cuiusdam poëtae graeci versibus, quos bibliothecae suae inseruit Apollod. vbi tamen non nisi reliquiae quaedam, eaedemque misere corruptae seruatae sunt. Hygin. duos catalogos habet, quorum prior 39 nomina continet, quorum pleraque eadem sunt, quae Ouidiana, etiam eodem prope ordine recensentur. Posterior 46 nomina enumerat ab his diuersa. Aeschylus non nisi quatuor nominauerat. Pollux V, 47. Noster 36 nomina excerpsit. Bene autem fecit, quod, tenuitatis vitandae caussa, nominibus subinde adspersit aliquid de indole et patria singulorum canum, de qua re si quis accurate indicare velit, adeat rei cynegeticae auctores. Venaticorum canum virtutes principes sunt sagacitas. Praestantissimos alebant Creta, Arcadia, Laconia.

208 *Gnosius*, Cretensis, a Gnoso, vrbe Cretensi. Eiusmodi autem repetitiones nominum cum additamento aliquo iam ap. Homer. occurrunt. v. Schrader Obss. I, 2. p. 17 sq. *rapida aura*, Callim. h. Dian. vs. 94 θάσσονας αὐράων.

Nebrophonosque valens et trux cum Laelape Theron,
Et pedibus Pterelas, et naribus vtilis Agre,
Hylaeusque ferox nuper percussus ab apro;
Deque lupo concepta Nape, pecudesque secuta
Poemenis, et natis comitata Harpyia duobus,
Et substricta gerens Sicyonius ilia Ladon,
Et Dromas, et Canace, Sticteque, et Tigris, et Alce,
Et niueis Leucon, et villis Asbolus atris,
Praeualidusque Lacon, et cursu fortis Aëllo,
Et Thous, et Cyprio velox cum fratre Lycisce,
Et nigram medio frontem distinctus ab albo
Harpalos, et Melaneus, hirsutaque corpore Lachne;
Et patre Dictaeo, sed matre Laconide nati,
Labros et Agriodos, et acutae vocis Hylactor;
Quasque referre mora est. Ea turba cupidine praedae
Per rupes, scopulosque, adituque carentia saxa,
Quâ via difficilis, quâque est via nulla; feruntur.
Ille fugit, per quae fuerat loca saepe secutus.
Heu famulos fugit ipse suos! clamare libebat:

213. *fero* e coniectura reposuit Heins. Codd. *ferox*, quod recte defendit Bothius p. 24. verbo *ferox* vt vv. *valens*, *trux*, *pedibus*, *naribus vtilis* dissimiles canum mores describuntur. Restitui igitur hanc codd. lect. E. — 227. Pro *sequuntur* Heins. cum duobus *feruntur* praetulit. Illud tuentur Lenz.

211 *valens*, scilicet robore. *Hylaeus* etc. Heinsio poëta videbatur ad *Hyleum* ab apro Calydonio interfectum respexisse.

214 *Deque lupo* etc. Arist. Hist. Anim. lib. 8. cp. 28. 'Εν Κυρήνῃ μίσγονται οἱ λύκοι τοῖς κυσί.

216 *gerens*, habens. XI, 751. *substricta crura gerens* de mergo aue. Quinctil. Inst. VIII, 3, 10. *Decentior equus, cuius adstricta sunt ilia, sed idem velocior.*

218 *Niuei* aut *candidi* canes probantur venatoribus, non item *albi*. vid. Spanhem. ad Callim. h. Dian. vs. 90 *cursu fortis*. Infra VIII, 311. *cursu inuictus*. Sed *fortis* etiam simpliciter de velocitate VI, 221.

225 *praeda*, fera capta, *praedari* pro venari; ipsique adeo venatores dicuntur *praedatores*. vid. Burm. ad Phaedr. II fab. I, 2. Canes id fecisse h. l. memorantur cupidine praedae, sed apud Apollod. rabies iis iniecta legitur

Actaeon ego sum: dominum cognoscite vestrum.
Verba animo desunt: resonat latratibus aether.
Prima Melanchaetes in tergo vulnera fecit;
Proxima Theridamas; Oresitropho haesit in armo.
Tardius exierant, sed per compendia montis
Anticipata via est. Dominum retinentibus illis,
Cetera turba coit, confertque in corpore dentes.
Iam loca vulneribus desunt. Gemit ille, sonumque,
Et, si non hominis, quem non tamen edere possit
Ceruus, habet; moestisque replet iuga nota querelis:
Et genibus supplex positis, similisque roganti,
Circumfert tacitos, tanquam sua brachia, vultus.
At comites rapidum solitis hortatibus agmen

230. De hoc versu Heins. „Non magis Nasonis est, quam meus. Agnoscunt tamen libri veteres. Eo sublato, omnia erunt concinniora." (Aduersatur H. Voss. p. 170.) 240. *positis* habet Bonon. pro diuersa lectione. Caeteri, *pronis*. 242. *hortatibus*. Vetustiores maxima ex parte, *latratibus*, quod Heins. interpretaba-

a Diana; quam tamen eos et sine Dea inuadere potuisse Pausan. monet. *feruntur*, cum impetu ruunt, bene conuenit ardori canum, neque adeo sollicitandum est. Iam hinc phantasia poëtae cupidinem canum comitumque cum domini conatibus et querelis ante oculos ponit.

230 Sine caussa Heins. h. vs. eiiciendum putabat. Etenim *famuli* possunt esse comites, quos Actaeon alloqui volebat. Sed et canes, si hos intelligere malumus, dominum ex voce agnoscere potuissent. Adde, quod toties, in hac ipsa fab. luxuriat ingenium Ouid. *animo*, voluntati. *Melanchaetes* et reliqui etiam ab Hygin. postremi nominantur. Sed Noster, taedii vincendi caussa, eos, aliis quibusdam interiectis, superioribus addit, tum ingenioso commento peculiarem eorum operam memorat. Recte Heins. monet, verbum *exire* sumtum esse a Circo, vbi equi carceribus *exeunt*. Caeterum huc respexit haud dubie Seneca Nat. Quaest. lib. III. prol. *qui tardius exierant, moram velocitate pensant*. — *compendium*, omne lucrum, quod in quacunque re facere possumus, sed in primis de breuiore via occurrit, quam quis, ambagibus relictis, insistit. vid. Schwarz. ad Plinii Paneg. cap. 95. p. 488. *Anticipat viam* is, qui alterum anteuertit cursu.

238 Cf. II, 667. *nota*, in quibus venari solitus fuerat. vid. ad I, 370. *positis* reuocaui ex Cod. Bonon. et placuit etiam Heins. *Prona genua* an sic recte dicantur, dubito. Sed *ponere genu* formula sollemnis de supplicatione. I, 729. qui loc. nostro simillimus. In tanta enim rerum similitudine fieri haud potuit, quin similia verba similesque sententiae repeterentur.

242 *Hortatur* canes et *monet* venator. vid. Heins. *ignari*, vt vs.

Ignari instigant, oculisque Actaeona quaerunt;
Et velut absentem certatim Actaeona clamant.
Ad nomen caput ille refert; vt abesse queruntur,
Nec capere oblatae segnem spectacula praedae.
Vellet abesse quidem, sed adest; velletque videre,
Non etiam sentire canum fera facta suorum.
Vndique circumstant, mersisque in corpore rostris
Dilacerant falsi dominum sub imagine cerui.
(Nec, nisi finitâ per plurima vulnera vitâ
Ira pharetratae fertur satiata Dianae.)
Semele. Rumor in ambiguo est: aliis violentior aequo
Visa Dea est; alii laudant, dignamque seuerâ
Virginitate vocant: pars inuenit vtraque caussas.
Sola Iouis coniux non tam culpetne probetne
Eloquitur, quam clade domus ab Agenore ductae

tur, clamore et hortatu latratum caninum aemulante. (*hortatibus* praefert H. Voss. 245 *ut abesse* e coniectura scripsit Heins. codd. *et*, quod probat H. Voss. *et* emphatice dictum pro *at* vel *tamen.* Sensus: quamquam ad nomen caput refert, tamen abesse queruntur. v. Burm. Sec. ad Propert. II, 15, 1.)

3. *oculis quaerunt.* IV, 129. *iuvenem oculis animoque requirit.* Sic et Plin. VI Ep. 10.

245 *Ad nomen*, audito suo nomine, vt IV, 145. *refert*, reflectit, tamquam se indicaturus. *capere spectacula*, spectare. *oblata* recte de praeda. *offerri* enim dicuntur, in quae insperato incidimus. *Fera facta* elephantum habet etiam Lucret. V, 1339. Euripid. Bacch. 337. ὠμόσιτοι σκύλακες Actaeonis. In his *vellet* etc. ludit poëta rursus, more suo. *falsus ceruus*, vt I, 754. *falsus genitor.* Male igitur quidam *falsa.* Versus 251 et 52. quos Cod. Sprotii a manu recentiore margini adscriptos habet, caeteri vero ordine exhibent, Heins. vt foedissimum centonem, delendos censet. Inepte sane sunt superioribus additi; sed et alibi solet Ouidius latiori et acriori descriptioni subiicere sententiam languidam. Displicet etiam structura verborum. Nescio tamen, an non et haec similibus locis defendi possit. Certe etiam vs. 58. concurrunt quatuor vocc. in *a* desinentia. Simile additamentum infra vs. 400 s. legitur. (Defendit hos vss. etiam Bothius. Iis omissis sensus et nexus orationis turbatur).

FAB. III. vs. 253 — 315. Iuno dolens, Semelen, Cadmi filiam, a Ioue concepisse, in anum conuersa ipsam adit, persuadetque fraudulenter, vt eo habitu Iouem sibi expetat, quo Iunoni amplexus dare soleat. Iupiter igitur iureiurando coactus, cum tonitribus et fulminibus Semeles aedes intrat; quibus cum conflagraret grauida, vtero eius Bacchum imperfectum eripit, femori suo insuit, atque Nyseïdibus educandum tradit. Cf. Euripid. Bacch. 1 — 9. 89 — 104. 286 — 297. Apollod. III, 4, 5. Diodor. Sic. III, 63. IV, 2. Lucian. Dial. D. 9.

Gaudet, et a Tyriâ collectum pellice transfert
In generis socios odium. Subit ecce priori
Caussa recens, grauidamque dolet de semine magni
Esse Iouis Semelen. Tum linguam ad iurgia soluit.
Effeci quid enim toties per iurgia? dixit.
Ipsa petenda mihi est; ipsam, si maxima Iuno
Rite vocor, perdam, si me gemmantia dextra
Sceptra tenere decet; si sum regina, Iouisque
Et soror et coniux; certe soror. At puto, furto est

261. Heins. Hoc hemistichium *tum linguam* etc. suspectum habebat, et coniic. *quid linguam a. i. solui vel soluo?* deleto vs. seq. quem latinum non putabat, nisi legeretur, *tot io per iurgia* (Heinsii rationem improbat Bothius p. 24 sq. qui praeterea *profeci* tuetur et pro *tum* cor. *dum*. Sed *tum* ob antecedd. *subit ecce caussa recens* bene se habet). 262. *Effeci* Burm. ex Francof. dedit, quia venustius ei videbatur vulgato, *profeci*. 266. Quoniam *id est* a multis praestantioribus abest, propterea Heins. et malebat *contentam;* idque repertum est in Francof. a manu prima. Tum Burm. etiam suadet, *at thalami.* (*furto contenta*, omisso *est* etiam Berol. et Heidelb. quod probat Bothius, quoniam *est* seq. versus huc pertineat).

Eudoc. p. 118 et 373. Hygin. fab. 169. 179. Fulgent. Myth. II, 15. Nempe Bacchus poëtis dictum est πυρογενής; quod pr. vini generosioris vitiumque epitheton. Strabo lib. XIII. p. 628. Porro, Orientalibus *ex femore* alterius *egredi* dr. qui ab eo gignitur. Hinc fabula nasci facile potuit. Alia ad vs. 312 dabimus.

Rumor etc. Cum rumor de Actaeonis poena sparsus esset, in vtramque partem de ea disputatum est. Verum nullo iure de ea disputabatur, cum poenam illam Saturniae leges postulassent. Callim. in lauac. Pallad. 99 sqq. *violentior* visa est etiam Senec. Oedip. 763. vbi *nimium saeui Diua pudoris: — dignamque* etc. decere eam seueritatem tantam in custodiendo pudore suo. *culpetne* etc. vt ap. Tibul. IV, 5, 20. duo Mss. *clamne palamne* pro vulg. *clamue palamue;* quae varietas etiam h. l. notanda, vbi nonnulli *culpetue probetue. collectum,* conceptum, vt *colligere sitim* et similia. Translatum illud ab Europa odium etiam in sqq. fabulae quaedam confirmant.

262 Amant poëtae eiusmodi soliloquia Deorum. Cf. II, 471. IV, 422. Virg. Aen. I, 36 sqq. Exordium est abruptum. Antea tacite secum indignata fuerat, tum cogitauerat, nolle se rursus iurgiis vti; hinc verbis pergit, *Effeci* etc. Cf. VI, 687. vbi praemittitur *Et merito*, IX, 143. Plin. IV Ep. 4. Pan. 70, 6.

263 *si maxima — — regina.* Redundantia in his conuenit affectui Iunonis. *si sum regina.* Sonantius et grauius Virgil. d. l. *incedo regina. Et soror et coniux.* Cic. de N. D. II, 26. *Iuno quae est* soror et coniux Iouis. Acerbe additum, *certe soror.*

266 *furtum*, concubitus, qui vtero non fit manifestus. *thalamus*, coniugium. Coniugium nostrum in breve tempus laeditur, quamdiu actus concumbendi durat. Hae-

Contenta, et thalami breuis est iniuria nostri.
Concipit; id deerat: manifestaque crimina pleno
Fert vtero; et mater, quod vix mihi contigit vni,
De Ioue vult fieri: tanta est fiducia formae.
Fallat eam faxo; nec sim Saturnia, si non
Ab Ioue mersa suo Stygias penetrarit ad vndas.
Surgit ab his solio; fuluâque recondita nube
Limen adit Semeles. Nec nubes ante remouit,
Quam simulauit anum; posuitque ad tempora canos;
Sulcauitque cutem rugis; et curua trementi

272. Pro *in vndas* recepi *ad vndas*, quod multi habent. Morientes enim non *in*, sed *ad* Stygem descendunt. 273. Vnus *furuaque* (quod et Heins. coni.), alius *flauaque*, rursus alius *fuscaque;* quas lectiones omnes defendi posse recte monet Burm.

rent Interpretes in voc. *vni;* quod si pro *soli* accipis, non oritur sensus commodus; sin *semel* interpretaris, mentitur Iuno, quae saepius ex Ioue mater facta est. Itaque Burm. praefert cum Micyllo *vno*, idque coniungit cum sqq. vt adeo sensus prodeat hic: Cum tot alii sint, ex quibus illa possit mater fieri, illa non nisi e solo Ioue vult fieri, quod mihi vix contigit, paucos quae ex Ioue partus edidi. Verum nec haec sententia satis placet. Malim equidem *vni* cum Capoferreo in *ipsi* mutare. Rarius, quam Iuno vellet, ex Ioue conceperat. Id nunc auget: *quod vix* (vix bis terue) *mihi cont. ipsi.* G. — *vni*, quod Gronou. Diatr. Stat. p. 317 ed. Hand. *semel* explicat, defendit Bothius p. 25. Iuno queritur, sibi *vni* vix, i. e. aegre contigisse, vt ex Ioue mater fiat, cum *aliis* foeminis id perfacile contingat. Cum vi tum dictum esset voc. *vix*. E.

273 *ab his*, post haec verba. Sic IV, 329. *Nais ab his tacuit.* Saepe Dii, vt fallerent mortales, familiaris cuiusdam formam induerunt. Praeiuit Homer. Il. β, 20. γ, 122. 386. Cf. et Callim. Cer. 43. Virg. Aen. V, 620. IX, 649—51. et Noster IV, 219. VI, 26 sqq. Apud Apollod. et Lucian. Semele decepta esse tantum legitur a Iunone, sed figmentum de *Beroa* habet et Hygin. Dii, cum in terras delabuntur, neque cerni volunt a mortalibus, *reconditi*, tecti esse solent *nube*.

275 Simpliciter Homer. Il. γ, 386. Γρηῒ δέ μιν εἰκυῖα παλαιγενέϊ. Id iam exornauit Virg. Aen. IX. d. l. *Ibat Apollo Omnia longaeuo similis, vocemque coloremque Et crines albos.* Eum Noster verbis delectis superare laborauit. *simulauit anum*, sumsit formam anus. *sulcauit cutem rugis* venuste. Plaut. *consulcare frontem. frontem rugis arare* dixit Virg. Aen. VII, 417. et Noster passim. vid. Ciofan. ad h. l. *trementi passu* Infra XIII, 533. *passu anili. tulit membra* exquisitius quam, incessit. *Ipsa summam similitudinem exprimit.* Alia *Beroë* fit Iris apud Virg. Aen. V, 620. Alia rursus, Oceani filia, G. IV, 341. commemoratur.

Membra tulit passu; vocem quoque fecit anilem:
Ipsaque fit Beroë, Semeles Epidauria nutrix.
Ergo vbi, captato sermone, diuque, loquendo,
Ad nomen venere Iouis; suspirat, et, Optem
Iuppiter vt sit, ait; metuo tamen omnia. Multi
Nomine Diuorum thalamos subiere pudicos.
Nec tamen esse Iouis satis est: det pignus amoris,
Si modo verus is est; quantusque, et qualis ab altâ
Iunone excipitur, tantus, talisque rogato
Det tibi complexus, suaque ante insignia sumat.
Talibus ignaram Iuno Cadmeïda dictis
Formarat. Rogat illa Iouem sine nomine munus.
Cui Deus, Elige, ait; nullam patiere repulsam:
Quoque magis credas, Stygii quoque conscia sunto
Numina torrentis: timor et Deus ille Deorum.
Laeta malo, nimiumque potens, perituraque amantis
Obsequio Semele, Qualem Saturnia, dixit,

282. *subiere* habent sex Mss. in quibus Francof. vnde Burm. recepit. Plerique *iniere.* Eadem varietas IV, 328. (283. *esse Iouem* Berol. Heidelb. et plurimi codd. prob. Bothio.)

280 Breuiter Hygin. *Alumna, pete a Ioue, vt sic ad te veniat, quemadmodum ad Iunonem, vt scias, quae voluptas sit cum Deo concumbere.* Sed haec nostra oratio multo magis ad fallendum est composita. Verbum *subire* aptum furtiuis amoribus et fallacibus adulteris, iudice Burm. Mihi vero *subiere* idem esse videtur, quod *iniere*, quod alii agnoscunt, intrarunt. *esse Iouis*, scil. *te*, de qua forma loquendi vid. Heins. ad Vellei. II, 88. quod si cui durius h. l. videtur, retineat *Iouem*, quod tuentur omnes Mss. praeter tres. *alta*, magna, nobilissima. *Caesar altus* II Pont. 3, 63. Horat. III od. 4, 37. *formarat*, instruxerat. V. Graeu. ad Iustin. XX, 4, 3.

291 Ordo: *et ille Deus est timor Deorum*, hunc Dii quoque timere solent. Burm. Male itaque Rode, *die Furcht, ja die Gottheit der Götter.*

292 Sic rursus occupat euentum rei. *nimium potens*, nimium valens precibus apud Iouem. *obseq. am.* Etiam Fast. VI, 485. *Arserat obsequio Semele Iouis.* Exposuit de h. v. Burm. ad Quinctil. VIII. Inst. Or. 3, 35. *Veneris foed. inire.* Apol. οἷος ἦλθε μνηστευόμενος Ἥρᾳ. Infra VII, 710. *foedera lecti.* A. A. II, 462. *concubitus foedera.* Silius II, 85. *Veneris iam foedera passae. dare se alicui* alias de obsequio et gratificatione dicitur, sed nunc de amplexibus. *opprimere*, claudere. v. Buenem. ad Lactant. Inst. V, 1.

Te solet amplecti, Veneris cum foedus initis,
Da mihi te talem. Voluit Deus ora loquentis
Opprimere: exierat iam vox properata sub auras.
Ingemuit: neque enim non haec optasse, neque ille
Non iurasse potest. Ergo moestissimus altum
Aethera conscendit, nutuque sequentia traxit
Nubila; quis nimbos, immixtaque fulgura ventis
Addidit, et tonitrus, et ineuitabile fulmen.
Quâ tamen vsque potest vires sibi demere tentat,
Nec, quo centimanum deiecerat igne Typhoëa,
Nunc armatur eo: nimium feritatis in illo.
Est aliud leuius fulmen, cui dextra Cyclopum
Saeuitiae flammaeque minus, minus addidit irae;
Tela secunda vocant Superi. Capit illa; domumque
Intrat Agenoream. Corpus mortale tumultus
Non tulit aetherios, donisque iugalibus arsit.

299. *nutuque* Heins. ex vno dedit pro *vultumque* aut *vultusque*.

299 Apud Apollod. intrat thalamum ἐφ' ἅρματος ἀστραπαῖς ὁμοῦ καὶ βρονταῖς. H. l. sumit habitum, quem coelum tempore tempestatis habet. *sequi* drr. quae facile parent. V. ad Plin. VII Ep. 9, 11. et Pan. 45, 5. *fulgura* et *fulmen* differunt: *fulmen* est telum illud, quod a Ioue in terram demitti credebatur, *fulgur* autem coruscatio.

302 *Qua*, in quantum. Sic explicatur in glossa. *sibi*, telis suis. A Virg. Aen. I, 665. Iouis *tela Typhoëa* commemorantur, vt maxime terribilia, quia *Typhoëus*, immane monstrum, vertice coelum tangens, aliter debellari non poterat. Hinc et Noster eum potissimum memorat. Is secundum alios, quos Noster V, 346. sequitur, fulmine vulneratus aufugit et Aetna monte obrutus est, sed h. l. *deiectus*, interfectus. Phaedr. II, 1, 1. Locus classicus de telis Iouis est ap. Virg. Aen. VIII, 429 sqq. vbi iis admiscentur imber, nubes, venti, fulgores, sonitus, metus, flammae et irae. *secunda*, secundi ordinis, inferiora. Ita *secundum* et δεύτερον et in aliis locutionibus. v. Graeu. ad Hesiod. Ἔργ. 141. *Superi vocant*. Etiam Homer. memorat nomina, quibus Dii res signent. *Lusoria tela* vocat Senec. N. Q. II, 44. vbi docet, auctores huius figmenti *admonere voluisse eos, quibus aduersus peccata hominum fulminandum sit non eodem modo omnia esse percutienda.*

309 *tumultus aetherii* explicandi sunt ex Horat. I, 16, 12. *tremendo Iupiter ipse ruens tumultu* de tempestate cum tonitru; et grauiter nimbi, fulgura, tonitrus, fulmina, quae Iupiter in alto *aethere* sumserat, *aetherii tumultus* drr. Rode vertit

Imperfectus adhuc infans genetricis ab aluo
Eripitur, patrioque tener (si credere dignum)
Insuitur femori, maternaque tempora complet.
Furtim illum primis Ino matertera cunis
Educat. Inde datum Nymphae Nyseïdes antris
Occuluere suis, lactisque alimenta dedere.
Dumque ea per terras fatali lege geruntur, *Tresias.*
Tutaque bis geniti sunt incunabula Bacchi;

316. Vnus *per Thebas*, quod Heins. non displicebat. Immo *per terras* rectius opp. iis, quae in coelo fiebant. Pro *geruntur* idem coni. *reguntur*.

die himmlische Herrlichkeit. Apud Apollod. Iupiter intrans fulmen emittit, et Semele exspirat metu. Secundum Lucian. tectum concepit ignem, quo illa periit. *dona*, insignia, quibus se precibus Semeles coactus instruxerat. *iugalia*, coniugis. *Imperfectus.* Apollod. ἑξαμηνιαῖον βρέφος, sed Lucian. ἑπταμηνιαῖον. *eripitur.* Inde Eurip. 91. νηδύος ἔμβολος. *insuitur femori*, nempe aureis fibulis, ne Iuno eum reperiret. Eurip. 96. ἐῤῥάπται et Graeci de hac re habent. Iam Euripidis aetate erant, qui illud ἐν μηρῷ inde ortum putarent, quod Bacchus Iunoni quondam ὡμήρευσε, *obses fuerit.* Bacch. 293. Sed Eustath. fol. 310 l. 7. rem inde repetit, quod ille in *Mero*, monte Indiae, educatus sit. Cf. Curt. VIII, 10, 11. Plin. VI, 21. Inde autem poëtis dictus μηροῤῥαφὴς et μηροτραφής. *materna*, in vtero matris exigenda, *complet*, transigit. Sic ille *bimater.* De illo partu Iovis agit Lucian. d. l.

313 *Ino.* Sic et Apollod. sed ap. Lucian. Mercurius eum statim in *Nysam* defert. *primis cunis*, ab initio. *inde datum*, a matertera acceptum. *Nysa* vrbs et mons Indiae. Ibi *Nyseides* nymphae (quarum nomina Cysseis, Nysa, Erato, Eriphia, Bromie et Polyhymnia) in antris educarunt Bacchum, quae est vulgaris huius rei narratio. Homer. h. Bacch. p. 99. Ern. Antrum illud duas fores habuisse dicitur, vnde Bacchum *Dithyriten* appellatum volunt. Seru. ad Virg. Ecl. VI, 15. *Nysam* Bacchi nutricem facit. Eam et Hygin. fab. 182. commemorat, Oceani filiam. Pro ea idem alibi *Nysum* laudat. Inde autem factum est nomen *Dionysus.*

FAB. IV. vs. 316—338. *Tiresias*, Thebanus, Eueris filius, vates in tota antiquitate celeberrimus, sed lumine captus. Casus vitae, quos passus est, varie narrantur. In feminam eum esse transformatum ob interfectum, vel in monte Cyllene, vel in Cithaerone draconem referunt etiam Apollod. III, 6, 7. Antonin. Lib. XVI. Hygin. fab. 75. Schol. Hom. ad Od. κ, 493. Caecitatis vero eius caussa varie commemoratur. Qui Pherecydem sequuntur, vt Callim. h. in Lauacr. Pall. vs. 75—103. et e Latinis vnus Propert. IV, 9, 57. eam cladem tribuunt Mineruae, quam nudam viderit Tiresias iuuenis, quae tamen, precibus matris et integritate iuuenis permota, vaticinandi ei artem tribuerit. Cum Nostro consentiunt Apollod. Hygin. Anton. Lib. 17. Phlegon Trall. de Mirab. 4. quibus Hesiodus praeiuerat. Elegiaco car-

Forte Iouem memorant, diffusum nectare, curas
Seposuisse graues, vacuâque agitasse remissos
Cum Iunone iocos, et, Maior vestra profecto est,
Quam quae contingit maribus, dixisse, voluptas.
Illa negat. Placuit, quae sit sententia docti,
Quaerere, Tiresiae. Venus huic erat vtraque nota.
Nam duo magnorum viridi coëuntia siluâ
Corpora serpentum baculi violauerat ictu;
Deque viro factus (mirabile) femina, septem
Egerat autumnos. Octauo rursus eosdem
Vidit, et, Est vestrae si tanta potentia palgae,
Dixit, vt auctoris sortem in contraria mutet;
Nunc quoque vos feriam. Percussis anguibus isdem

330. *vos feriam.* Vnus *percutiam*, quod placet Burm. quia Ouid. delectatur repetitione eiusdem verbi.

mine fab. tractauerat Sostratus. Praeter vaticinandi artem constitutus ei etiam erat longus vitae terminus, quippe qui per septem, aut, vt alii volunt, nouem aetates vixerit, a Cadino inde vsque ad captas ab Argiuis Thebas, et Labdacidis multa oracula ediderit. Frequens igitur eius apud Tragicos veteres mentio. Datum denique ei erat etiam hoc, vt apud inferos solus saperet. Homer. Od. κ, 494. Cic. Diu. I, 20. vid. omnino Spanhem. ad Callim. d. l.

fatali lege, ex fato. Ex opinione enim Veterum omnia fiebant vel ex fati necessitate, vel ex libera Deorum voluntate, vel ex hominum studio. *per terras*, in terra. Virg. Aen. I, 707. *conuenire per limina*, in domo. *Diffundi* eleganter dicitur animus, cum exhilaratur atque laetitiae se dat; tristitia vero *contrahitur*. Cic. Lael. 13. Noster IV, 764. *generosi munere Bacchi Diffundere animos. seposuisse* elegantius, quam, quod alii habent, *deposuisse*. Virg. Aen. I, 562. *secludite curas. vacua*, a laboribus, otiosa. *remissos*, paullo liberiores et petulantiores.

322 *doctus*, (σοφὸς) ob diuinandi peritiam. Libros etiam scripsisse traditur Tiresias. *Venus*, voluptas venerea. Aelian. Anim. I, 25. κοινωνεῖν Ἀφροδίτης ἑκατέρας. *coire* de actu venereo Tiresias primum violabat femellam s. dracaenam, sed postea, ab Apolline monitus, masculum draconem. Tzetzes ad Lycophr. Cassandr. vs. 683. *autumnos*, annos.

329 *sartem*, sexum, vt VI, 680. IX, 675. *imago*, forma, natura, *genitiua*, connata, quam habuit, cum nasceretur. Augustus habebat *genitiuas notas* Sueton. Oct. 80. Caeterum Lucian. de Astrol. monet, fabulam de Tiresiae transformatione fluxisse inde, quod Tiresias docuerit, stellas erraticas esse vtriusque sexus; quae interpretatio non admodum dissimilis est ei, quam de Atlantis, Promethei aliorumque fabulis exhibet Cicero Tusc. V, 3.

Forma prior rediit, genitiuaque rursus imago.
Arbiter hic igitur sumtus de lite iocosa,
Dicta Iouis firmat. Grauius Saturnia iusto,
Nec pro materia fertur doluisse; suique
Iudicis aeternâ damnauit lumina nocte.
At pater omnipotens (neque enim licet irrita cuiquam
Facta Dei fecisse Deo) pro lumine ademto
Scire futura dedit, poenamque leuauit honore.

Narcissus.

Ille per Aönias, famâ celeberrimus, vrbes
Irreprehensa dabat populo responsa petenti.
Prima fide vocisque ratae tentamina sumsit

331. *rursus* Heins. mutari vult in *reddita.* (Erat enim in codd. *redit imago* vel *venit imago.*)

333 *firmat*, confirmat, Lactant. in Argum. *tutatur sententiam Iouis.* Versus, quibus dicta Iouis confirmauit, habent Apollod. et Schol. Hom. Οἴην μὲν μοῖρην δέκα μοιρῶν τέρπεται ἀνὴρ, Τὰς δὲ δέκ' ἐμπίμπλησι γυνὴ τέρπουσα νόημα. *pro materia*, vt postulabat materiae leuitas. X, 133. Ita *pro rerum maiestate* Lucret. V, 2. *aeterna damnauit nocte* grauiter excaecationem exprimit. *neque enim licet* etc. vid. ad II, 677. *scire dedit* graece, dedit scientiam. *leuauit*, tolerabiliorem reddidit. Ap. Homer. Od. 9, 64. Demodoci caecitatem Musa leuauerat arte musica cantuque dulci. *honore*, arte honorifica.

FAB. V. vs. 339—510. Dum exemplum ponit artis Tiresiae, commode noua intexitur fabula, ex qua rursus alia orta est. *Narcissus*, iuuenis pulcherrimus, cum et iuuenes et puellas superbe sperneret, Rhamnusia effecit, vt suae ipsius imaginis, quam in fonte quodam conspexisset, insano amore corriperetur, atque tabescendo mutaretur in florem sui nominis. Thespiensis erat haec fab., quam duplici modo Pausan. IX, 31. p. 772. narrat, quorum alterum, quem Noster secutus est, vulgatum vocat. Ex altero Narcissus sororem habebat sibi simillimam, cuius amissae desiderium contemplanda imagine in fonte lenire volebat. Thespiensem fuisse Narcissum etiam ex Lucian. Var. Hist. lib. 2. To. IV. p. 276. apparet. Paucis fab. attingit Hygin. f. 271. *Echus* fabula, si abesset, non desideraretur; eamque apparet a Nostro insertam esse, atque commode sub finem adhibitam. Exstant Ausonii duo epigrammata (11 et 99.) in Echo, totidemque (97 et 98.) in Narcissum.

Aonias, Boeotias. vid. ad vs. 13. *respondere* proprie dicuntur vates. vid. Munker. ad Lactant. Argum. *irreprehensa*, certa, quibus euentus constaret.

341 *fide* antique pro *fidei*. *fides* autem nunc capiendum, vt in *fide dignus*. *vocis ratae*, vaticinii certi. *Liriopes* genus incertum. vid. Burm. *Caerula* indicat, eam fuisse Nympham fontanam aut fluuialem. *curuum* de fluminibus includentibus aliquid, Virg. G. IV, 361. *illum curuata in montis speciem circumstetit*

Caerula Liriope; quam quondam flumine curuo
Implicuit, clausaeque suis Cephisos in vndis
Vim tulit. Enixa est vtero pulcherrima pleno
Infantem, Nymphis iam nunc qui posset amari,
Narcissumque vocat. De quo consultus, an esset
Tempora maturae visurus longa senectae;
Fatidicus vates, Si se non viderit, inquit.
Vana diu visa est vox auguris. Exitus illam,
Resque probat, letique genus, nouitasque furoris.
Iamque ter ad quinos vnum Cephisius annum
Addiderat, poteratque puer iuuenisque videri.
Multi illum iuuenes, multae cupiere puellae;
Sed fuit in tenerâ tam dira superbia formâ;
Nulli illum iuuenes, nullae tetigere puellae.
  Adspicit hunc, trepidos agitantem in retia ceruos,
Vocalis Nymphe; quae nec reticere loquenti,

(351. h. versum non habet cod. Heidelb. sed in margine alia man. adscr. *Nam quater ad quinos vnum cephisius annos.* E.) 353. *cupiere.* Alii *petiere.* 354. Alii pro *dira* habent *dura*, quod non improbat Burm. quia *tetigere* sequitur, pro quo tamen alii *flexere.* Idem verba *fuit-forma* per parenthesin adiecta putat. G. —

vnda. Etiam ap. Hygin. *Narcissus Cephisi fluminis filius.* Sed quoniam in vicinia Heliconis natus, propterea secundum Claudian. 35, 134. *Helicon* eum *genuisse* dr. Idem vs. 332. de hoc et de Hyacintho, *nunc inclyta germina veris, Praestantes olim pueros.* Solent autem hi duo et Hylas propter *pulchritudinem* coniungi. *tulit*, intulit.

345 *nunc.* vid. ad I, 321. *fatidicus vates*, χρηστήριος μάντις. *videre tempora*, viuendo eo peruenire. — *furor*, insanus amor.

352 *puer iuuenisque*, i. medius erat inter vtramque. vid. ad IV, 17. *Cupere* vt *petere*, de amantibus et connubia optantibus. *tenera*, pulchra. *Superbia* est amantium, qui fastidiosi non redamant. Tibul. I, 8, 69. *fastidia.* Iidem *diri*, crudeles. *Non igitur erat, cur Burm. dura mallet. tetigere*, flectere eius animum potuerunt, vt IV, 163. Et est *flexere* in Varr. Lectt. Lusu autem illo vss. 353. et 55. expressit Catul. Carm. Nupt. 58. *Multi illum pueri, multae optauere puellae. Idem cum tenui captus defloruit vngui, Nulli illum pueri, nullae optauere puellae.*

356 Vt Narcissus ad Echo in siluis versantem et ad fontem commode deduci posset, propterea venans inducitur. *Vocalis*, voce notabilis. Obiter sed commode huius Nymphae fata superiora innectit. *Reddere*, repetere, *nachsprechen*, Plin. H. N. X, 42. *Humanas voces reddunt psittaci.* Mox sic *reportare* et *remittere. sub Ioue* Burm. putat a nequam quodam et sciolo librario profectum; legendum esse cum quinque Mss. *cum*

Nec prior ipsa loqui didicit, resonabilis Echo.
Corpus adhuc Echo, non vox erat; et tamen vsum
Garrula non alium, quam nunc habet, oris habebat,
Reddere de multis vt verba nouissima posset.
Fecerat hoc Iuno, quia, cum deprendere posset
Sub Ioue saepe suo Nymphas in monte iacentes,
Illa Deam longo prudens sermone tenebat,
Dum fugerent Nymphae. Postquam Saturnia sensit;
Huius, ait, linguae, quâ sum delusa, potestas
Parua tibi dabitur, vocisque breuissimus vsus,
Reque minas firmat. Tamen haec in fine loquendi
Ingeminat voces, auditaque verba reportat.

Ergo vbi Narcissum, per deuia lustra vagantem,
Vidit, et incaluit, sequitur vestigia furtim;
Quoque magis sequitur, flammâ propiore calescit
Non aliter, quam cum summis circumlita taedis
Admotam rapiunt viualia sulphura flammam.
O quoties voluit blandis accedere dictis,
Et molles adhibere preces! natura repugnat,
Nec sinit incipiat. Sed, quod sinit, illa parata est
Exspectare sonos, ad quos sua verba remittat.

362. *quae cum* multi codd. quod praefert H. Voss. p. 170. 363. *cum Ioue* cod. Berol. et quinque Heins. quod Burmanno et Heinsio placuit, recte ob antecedens *cum* respuit Bothius p. 26. 368. Pro *tamen* cor. Bothius *tantum*. E. 376. Pro *adhibere* vnus *tentare*. 377. *quod*. Nonnulli *quos*.

Ioue, vt II, 599. *prudens*, consulto.

372. Terent. Eun. I, 2, 5. *Accede ad ignem hunc* (Thain); *iam calesces plus satis*. *Viuax*, quod multum vitae, alacritatis, rapiditatis etc. habet. Gellius N. A. V, 2. *vivacissimus*, rapidissimus, *cursus* equi. Quinctil. Inst. Or. II, 6, 3. *viuaciores*, qui sunt alacriore ingenio. vid. Gronou. Observat. III, 4. p. 458. Ergo *vivacia sulphura* sunt rapacia, quae celeriter ignem capiunt. Remed. 700. *rapidae faces*. *Rapere* enim, vt monet Burm. verbum proprium igni et flammae. cf. quae diximus ad II, 123. Idem Burm. *adhibere preces* publica forma dictum putat. *Molles*, quibus molliuntur pectora dura. Similis locus Tibul. III, 4, 75. *Ne dubita blandas adhibere querelas, Vincuntur molli pectora dura prece.*

Forte puer comitum seductus ab agmine fido,
Dixerat, Ecquis adest? Et, Adest, responderat Echo.
Hic stupet: vtque aciem partes dimisit in omnes;
Voce, Veni, clamat magnâ. Vocat illa vocantem.
Respicit: et nullo rursus veniente, Quid, inquit,
Me fugis? et totidem, quod dixit, verba recepit.
Perstat: et alternae deceptus imagine vocis,
Huc coëamus, ait; nullique libentius vmquam
Responsura sono, Coëamus, retulit Echo;
Et verbis fauet ipsa suis, egressaque siluis
Ibat, vt iniiceret sperato brachia collo.
Ille fugit, fugiensque, Manus complexibus aufer;
Ante, ait, emoriar, quam sit tibi copia nostri.
Retulit illa nihil, nisi, Sit tibi copia nostri.
Spreta latet siluis, pudibundaque frondibus ora
Protegit, et solis ex illo viuit in antris.

381. Vnus *diuisit*, quod placet Heins, qui exempla suppeditat, in quibus *diuidere aures*, *mentem*. 387. Burm. cum vno maluit, *reddidit*, quia seq. *retulit*. 389. Vnus *captato*, quod placet Heins. et Burm. Immo *sperato* est melius. V. not. 390. *aufer* dedit Heins. non nisi e coniect. sed recte. Vulg. *aufert* ferri non potest. (393. *iacet* correxit Bothius, quoniam v. 400 *latet* sequatur, vid. ad I, 93. Sed tamen vss. 400 et 401 spurii esse putantur.)

379. *fidus* sollemne comitum epitheton; ergo tantum ornat. *seductus* aberrauerat. Sequitur colloquium cum Echo, quocum cf. Aristoph. Thesmoph. 1065. sqq. Saepe Graeculi pueriliter sic ludebant. V. Ramler ad Martial. II, 86, 3. Sed h. l. probandus est ille locus; res enim ita instituenda erat, vt Echo accommodate ad hanc fab. naturam suam ostendere posset. *aciem dimisit*, oculos direxit, circumspexit. VIII, 188. *ignotas animum dimittere in artes*. Burm. formulam e re militari ductam arbitrabatur. Non puto.

385. *alternae vocis imago*, Echo. Virg. G. IV, 50. *Vocis offensa imago*. Horat. I. od. 20, 8. *iocosa imago*. *fauet ipsa*, delectatur, ipsa placet sibi propter verba sua. II Amor. 5, 11. *nimiumque suo fauet ille dolori*. *speratum* sollemnis vox de amantibus. II, 862. *sperata voluptas*. IV, 368. *sperata gaudia*. VIII, 55. *sperata cubilia*. Non igitur sollicitandum h. v.

394. *Protegit*, tegit. *in antris*, Claudian. 28, 33. *adytis* (antris) *effunditur Echo clarior*. *solis*, vt vs. 10. *haeret*, manet, durat, verb. propr. in re amatoria. vid. Burm. *crescitque* etc. ex natura cupiditatum humanarum. *Attenuant*, absumunt. A. A. I, 735. *Attenuent iuuenum vigilatae corpora noctes*. Infra 489 ipse Narcissus sic *attenuatur*. *addu-*

Sed tamen haeret amor, crescitque dolore repulsae.
Attenuant vigiles corpus miserabile curae;
Adducitque cutem macies; et in aëra succus
Corporis omnis abit. Vox tantum, atque ossa supersunt.
Vox manet: ossa ferunt lapidis traxisse figuram.
[Inde latet siluis, nulloque in monte videtur;
Omnibus auditur. Sonus est, qui viuit in illa.]
Sic hanc, sic alias, vndis aut montibus ortas,
Luserat hic Nymphas; sic coetus ante viriles.
Inde manus aliquis despectus ad aethera tollens,
Sic amet iste licet, sic non potiatur amato,
Dixerat. Adsensit precibus Rhamnusia iustis.
Fons erat illimis, nitidis argenteus vndis,
Quem neque pastores, neque pastae monte capellae
Contigerant, aliudue pecus; quem nulla volucris,
Nec fera turbarat, nec lapsus ab arbore ramus.
Gramen erat circa, quod proximus humor alebat;
Siluaque, sole lacum passura tepescere nullo.

406. *Adsensit.* Vnus, *accessit*, quod eodem redit. v. Burm. 408. Plerique, *in monte*. 410. Duo *raptus* pro *lapsus*, idque adblandiebatur Heins.

cit, contrahit, succis abeuntibus. Virg. G. III, 483. *sitis miseros adduxerat artus. lapidis*, quia Echo auditur in locis saxosis. *Doctae rupes* tales lapides vrr. a Claudian. d. l. Caeterum Echo ad meras voces attenuata originem debet prosopopoeiae poeticae. — Versus seqq. 400. 1. delendos censet Heins. Et sunt satis inepte adspersi; dictum enim iam ante erat, eam latere siluis et merum sonum esse. G. — Expungunt uncinas Bothius et H. Voss. nullis tamen argumentis additis. E.

403. *Ludere*, ludibrio habere, spernere. Tibul. I, 8, 71. *Hic Marathus quondam miseros ludebat amantes, Nescius vltorem post caput esse Deum.* Superbiam enim illam odisse credebantur Dii. Ibid. 69. *Oderunt, Pholoë, moneo, fastidia Diui.* In iis potissimum Nemesis, cuius pulcherrimum signum erat *Rhamnusium* prope Athenas. V. Herder in libro *zerstreute Blätter* Fast. II. n. 4. *Licet*, pro cupio, locum habet in precibus. Horat. III od. 27, 13. *sis licet felix.*

407. *Fons* ille erat in Thespiensium finibus, Pausaniae adhuc aetate Narcissi nomen gerens. Claritas eius et puritas h. l. vrgetur, quia sic tanto magis formam pueri reddere poterat. *argenteus*, pellucidus. ἀργύρεοι ποταμοὶ aut πηγαὶ etiam apud Graecos. *nitidus* nil nisi clarus, Etiam Heroidd. XV, 157 *nitidus fons.* *Quem neque* etc. fons pla-

Hic puer, et studio venandi lassus et aestu,
Procubuit, faciemque loci, fontemque secutus:
Dumque sitim sedare cupit, sitis altera creuit;
Dumque bibit, visae correptus imagine formae,
Spem sine corpore amat: corpus putat esse, quod vmbra est.
Adstupet ipse sibi, vultuque immotus eodem
Haeret, vt e Pario formatum marmore signum.
Spectat humi positus geminum, sua lumina, sidus,

416. *bibit.* Burm. maluit *videt*, quia iam vs. sup. Narcissum *bibentem* descripserit: Immo ibi modo cupit bibere. 417. *Spem.* Pauci, *rem*, probante Heins. Sed Burm. recte monet, *rem* opponi quidem vmbrae aut nomini, non autem *corpori*. G. — *rem* tamen defendit Bothius p. 29, monens, verbo *corpus* animantia et personas ap. Nostrum designari. Cf. I, 2, 156, 500, 393. III, 33, 44, 55. *quod unda est* cod. Berol. prob. Bothio, qui *umbra e* versu 434 ortum esse dicit. E. 420. Plerique, *ceu lumina*. Heins. vero Bellotium in Apophor. secutus, dedit *sua lumina*, maluit tamen *duo lumina*, quod placet et Schirachio. Burm. praefert Zinzerlingii coniect: *geminum*, *ceu sidera*, *lumen*.

ne intactus, *integer fons* Lucret. I, 925. Horat. I od. 26, 6. *monte.* Aut subintel. *in*, aut *mons* nunc est herba in monte. vid. Burm. *Lacus* vr. et vs. 501. Eum frigore suauem describere voluit; sed hic *tepescere* displicet, quia *tepor* gratus est. Melius Horat. II od. 15, 9: *Excludit ictus feruidos spissa ramis laurea.* Similiter infra V, 389.

414. *Sequitur* locum is, qui amoenitate eius allectus eum adit. Cic. II Legg. 1: *hanc amoenitatem loci sequor.* Potest tamen *secutus* et explicari, impulsus facie, propter faciem. Plin. X Ep. 94. *mores eius secutus.* Non ineptum lusum praebuit v. *sitis*, quod et de vehementiore appetitu dr. *altera*, alia, alius generis. *Imago* autem *formae* i. q. vmbra, quam per omnem h. l. valde variauit. In verbis *spem sine corpore amat* frustra haeserunt Iutt. Intelligitur vmbra, quam corpus esse sperabat, neque tamen erat. Ipse sic explicat verbis subiectis.

418. Pausan. d. l. absurdum hoc figmentum esse iudicat; neminem enim tam stolidum esse, vt sui amore capiatur, hominemque ab vmbra discernere nequeat: Quid autem Noster? Is eo ita delectatus est, vt intolerabilis garrulitatis exemplum nobis reliquerit, neque voluptatem, sed taedium lectoribus parauerit. Semper ad eandem notionem reuoluitur, quin adeo, quae ipse dixerat, Narcissum repetentem inducit. Diutius etiam, quam naturae veritas patitur, eum hoc errore fascinatum tenet. Adde frigida acumina, quibus h. l. distinxit. *Adstupere* dictum, vt *adgemere*, *adsonare*, *alludere* alicui. Stupori conuenit v. *haerere.* Ap. Virg. Aen. VI, 471: regina non aliter haeret, ac si *dura silex aut stet Marpesia* (in Paro) *cautes.* Inde Noster fecit e *Pario form. m. signum.*

420. *geminum sidus*, hoc est *sua lumina*, aut sic: *sua lumina* tamquam *geminum sidus.* vid. tamen Varr. Lectt. Oculi fulgentes, siderum instar, po-

Et dignos Baccho, dignos et Apolline crines,
Impubesque genas, et eburnea colla, decusque
Oris, et in niueo mixtum candore ruborem;
Cunctaque miratur, quibus est mirabilis; ipse
Se cupit imprudens; et, qui probat, ille probatur;
Dumque petit, petitur; pariterque incendit, et ardet.
Irrita fallaci quoties dedit oscula fonti!
In medias quoties, visum captantia collum,
Brachia mersit aquas; nec se deprendit in illis!
Quid videat, nescit; sed, quod videt, vritur illo;
Atque oculos idem, qui decipit, incitat error.
Credule, quid frustra simulacra fugacia captas?
Quod petis, est nusquam; quod amas, auertere, perdes.
Ista repercussae, quam cernis, imaginis vmbra est:
Nil habet ista sui, tecumque venitque, manetque;
Tecum discedat, si tu discedere possis.
Non illum Cereris, non illum cura quietis

(435 pro *tecumque venitque* quod e cod. Gronou. reposuit Burm. et retinuit Mitscherl. etiam in edit. 2da, Bothius e reliqq. codd. mauult: *tecum venitque*, ne continui sint duo amphibrachi. Seq. versu malim *discedet*, quod omnes codd. exceptis Berol. et vno Heins. tuentur. E.)

nuntur in maxima pulchritudinis parte. cf. ad I, 499. *Apollo* et *Bacchus* laudantur a poëtis ob aeternam iuuentutem et formositatem; inprimisque tribuuntur iis pulchri et promissi capilli. Amorr. I, 14, 31. Martial. IV Epigr. 45. Hinc Bacchus εὐκόμης, χρυσοκόμης etc. *Impubes*, lanugine obductas. *decus* exquisitius, quam pulchritudo. *Mixtus* alibi sine praepositione legitur vel cum tertio, vel cum sexto casu.

425. *De cupere* et *petere* v. ad 353. *imprudens*, nesciens, illam imaginem esse vmbram. *qui probat — ardet.* Frigidum acumen. *probare*, pulchrum et amore dignum iudicare. — *incitat oculos*, irritat amorem per oculos.

432. Iam supra vs. 417. poëta hunc errorem indicauerat; itaque aut haec, aut illa resecanda fuissent. *Nil habet sui*, non constat per se, nihil habet proprium. Bene sic describitur vmbra.

437. Nec Ouidium breuitatis cura ab hoc fonte et a Narcisso abstrahere potuit. *fusus*, alibi *reclinatus*, *stratus*; *abiectus*. Sed et graece sic χυθείς, vt Anacr. Od. 52, 16. *opaca*, quam opacat silva. *Inexpleto*, quod contemplanda imagine *expleri*, satiari non poterat. *mendacem*, quae videbatur esse forma, neque tamen erat. Elegans est hic vsus verbi *mentiri*.

Abstrahere inde potest: sed opacâ fusus in herbâ
Spectat inexpleto mendacem lumine formam,
Perque oculos perit ipse suos; paullumque leuatus,
Ad circumstantes tendens sua brachia siluas,
Ecquis, io siluae, crudelius, inquit, amauit?
Scitis enim, et multis latebra opportuna fuistis.
Ecquem, cum vestrae tot agantur secula vitae,
Qui sic tabuerit, longo meministis in aeuo?
Et placet, et video: sed quod videoque, placetque,
Non tamen inuenio: tantus tenet error amantem.
Quoque magis doleam; nec nos mare separat ingens,
Nec via, nec montes, nec clausis moenia portis;
Exiguâ prohibemur aquâ. Cupit ipse teneri;
Nam quoties liquidis porreximus oscula lymphis,
Hic toties ad me resupino nititur ore.
Posse putes tangi. Minimum est, quod amantibus obstat.
Quisquis es, huc exi. Quid me, puer vnice, fallis?
Quoue petitus abis? certe nec forma, nec aetas

438. Heins. coni. *opaca in vmbra.* Sine caussa. 440. Neapolitan. *leuata*, quod non displicet Heinsio. Mox Burm. ex vno Heins. et tertio Leid. probat *tendit*, atque ex eodem Leid. et duobus Regiis, *Et quis*, vt rotundior sit oratio. 454. Vnus Palat. vnus Argent. et Thysii cod. *puer inuide*, quod Dan. Heins. placebat.

443. Burm. opinatur, procacitatem nympharum hic tangi. Sed videtur poëta omnino amantes intellexisse, qui fere loca remota, siluas et antra, quaerere solent. Commoda autem est haec ad silvas apostropha.

448. Plin. VI Ep. I, 1. *Desiderium absentium nihil perinde ac vicinitas acuit.* Sed *via* in his impedimentis male commemoratur; ea enim facile potest transiliri. (*Via* tamen hoc in loco de longo itineris interuallo intelligenda esse videtur, vt *via* saepe de longo itinere dicitur. v. Broukh. et Burm. Sec. ad Propert. III, 3, 3. E.) *Tenere* vox amantium, cum potiti sunt amato, et ferme cum amplexibus coniungitur. VII, 66. 143. *liquidis*, limpidis. *resupino* etc. corpore inclinato sursum erigi conatur.

454. *Vnicus*, quem prae caeteris amamus, quia caeteris praestat vel animi vel corporis dotibus. Multus est in h. v. explicando Heins. ad h. l. Raro ponitur pro, *vnus*.

Est mea, quam fugias; et amarunt me quoque Nymphae.
Spem mihi, nescio quam, vultu promittis amico:
Cumque ego porrexi tibi brachia, porrigis vltro:
Cum risi, adrides: lacrimas quoque saepe notaui,
Me lacrimante, tuas. Nictu quoque signa remittis:
Et, quantum motu formosi suspicor oris,
Verba refers, aures non peruenientia nostras.
In te ego sum, sensi: nec me mea fallit imago.
Vror amore mei; flammas moueoque feroque.
Quid faciam? roger, anne rogem? quid deinde rogabo?
Quod cupio mecum est, inopem me copia fecit.
O vtinam nostro secedere corpore possem!
Votum in amante nouum; vellem, quod amamus, abesset.
Iamque dolor vires adimit, nec tempora vitae
Longa meae superant, primoque exstinguor in aeuo.

(456. Pro *et* Bothius mauult *sed*, quod conuenientius esse dicit.) 460. *Nictu* dedit Burm. ex vno Iuniano, cum caeteri *nutu* aut *motu* habeant. 463. Vulgo, *Ille* aut *ipse ego sum*. Sed Heins. ex Medic. *In te*. (Bothius tamen reiicit *in te* et e cod. Berol. et Heidelb. legit *Iste ego*. Malim cum plurimis codd. *Ipse ego sum*, nimirum ille puer; quod seqq. probant.)

457 *Promittis* exquisitius, quam, facis. *amicus*, hilaris. VIII, 677. *boni vultus*. *Nictus* proprius est amantium, cum blande se inuicem intuentes oculos mouent, osque diducunt ad subridendum, Graecis est σκαρδαμυγμός. Sed h. l. non nisi ad oculorum motum retulerim, quia *risus* iam praecessit. Forte tamen praestat ex plurimis *nutu*. IV, 63 *nutu signisque loquuntur*. A. A. I, 138. *Nec tibi per nutus accipienda nota est*. Ibi quoque non nisi vnus *nictus* praefert; *peruenientia aures*, intell. *ad*. Saepe Homer. ἧκε πόλιν, omisso εἰς; quod imitati sunt Latini.

463 Hactenus error. Eo expeditus Narcissus in desperationem vertitur; cuius autem vim non bene expressit poëta. Alienum ab ea est Oxymoron *inopem me copia fecit*, alienus ille lusus, *Votum — abesset*; ineptum acumen, *Hic, qui diligitur* etc. — *quid deinde rog*. et si rogare libet, quid tandem rogabo?

470 *superant*, supersunt. *primo aeuo*, ineunte aetate. *anima in vna*, dum vnus animam exhalat. Dictum hoc e sermone intimae familiaritatis sibi vindicantis alterius sortem. IV, 108. XI, 388. XII, 229. Sed ab h. l. alienum est, quia Narcissus

Nec mihi mors grauis est, posituro morte dolores:
Hic, qui diligitur, vellem diuturnior esset.
Nunc duo concordes animâ moriemur in vnâ.
Dixit, et ad faciem rediit male sanus eamdem;
Et lacrimis turbauit aquas; obscuraque moto
Reddita forma lacu est. — Quam cum vidisset abire,
Quo fugis? o remane; nec me, crudelis, amantem
Desere, clamauit. Liceat, quod tangere non est,
Adspicere, et misero praebere alimenta furori.
Dumque dolet, summâ vestem deduxit ab orâ,
Nudaque marmoreis percussit pectora palmis.
Pectora traxerunt tenuem percussa ruborem;
Non aliter, quam poma solent, quae candida parte,
Parte rubent; aut vt variis solet vna racemis
Ducere purpureum, nondum matura, colorem.
Quae simul adspexit liquefacta rursus in vnda;

477. O ante *remane* recepit Burm. ex Voss. Heins. suadebat, *oro mane*, vt vltima in *oro* corripiatur. 482. *tenuem*. Florent. S. Marc. primus Vatic. et duo alii *roseum*. 486. *liquefacta*. Heins. coni. *liquenti* vel *liquaci*.

iam senserat, vmbra sua se ardere.

474 *male sanus*, insanus, vel quia redibat ad aquam, quae renouabat dolores, vel propter amorem sui. *Lacrimis* incredibilem tribuit vim.

480 *ora*, extrema pars vestis, vel, vt h. l. in pectore (*summa*, *suprema*) vel infra (*ima*). Iam vt II. Fast. 347. *tunicas ora subducere ab ima* sensu obscoeno, sic h. l. *vestem deducere summa ab ora*, quod facere solebant, qui planctus caussa pectus nudabant. vid. Heins. ad h. l. et Burm. ad Amor. I, 7, 48. Cf. et infra V, 398. Hoc autem figmentum praeclarum est. *Tenuem ruborem* illustrat duplici comparatione, quae probanda quidem est, sed an admirabilem phantasiae vim prodat, et digna sit ingenio summi poëtae, vt Schirach. videtur, nescio. Non debemus nimii esse in laudandis poëtarum veterum locis. In posteriore forsan respexit Horat. II od. 5, 10. *Iam tibi liuidos Distinguet Autumnus racemos, Purpureo varius colore*. Alias huius generis similitudines collegit Bronckh. ad Propert. II, 2, 20. *ducere colorem*, vt VIII, 760. *ducere pallorem*. Virg. Ecl. IX, 49. *duceret vua colorem*.

486 *liquefacta* offendit Heins. quia cera dicatur *liquefieri*, non vnda. Burm. refert inter singularia Ouidii. Passim ap. Nostrum *liquida aqua* pro limpida, clara, vt 451 et I, 370. Plin. V Ep. 6. *purius coelum*, aer

Non tulit vlterius; sed, vt intabescere flauae
Igne leui cerae, matutinaeque pruinae
Sole tepente solent, sic attenuatus amore
Liquitur, et caeco paullatim carpitur igni.
Et neque iam color est mixto candore rubori,
Nec vigor, et vires, et quae modo visa placebant,
Nec corpus remanet, quondam quod amauerat Echo.
Quae tamen vt vidit, quamuis irata memorque,
Indoluit; quotiesque puer miserabilis, Eheu,
Dixerat; haec resonis iterabat vocibus, Eheu.
Cumque suos manibus percusserat ille lacertos,
Haec quoque reddebat sonitum plangoris eumdem.
Vltima vox solitam fuit haec spectantis in vndam:
Heu frustra dilecte puer! totidemque remisit
Verba locus; dictoque Vale, Vale inquit et Echo.
Ille caput viridi fessum submisit in herbâ:
Lumina nox claudit, domini mirantia formam.

(495 et 496. *heuheu* scribendum esse mouet Bothius, coll. Gebhard. ad Tibull I, 7, 10. Burm. et H. Voss. ad Virg. Ecl. II, 58 et Bothio ad Plaut. Capt. 928. E.)

liquidior. Pan. 82 *liquida flumina:* Itaque limpidam redditam recte *liquefactam* dixeris. (*attenuari* dicuntur saepe corpora amore: vid. loca veterum ap. Burm. sec. ad Propert. I, 9, 29. p. 106. E.)

490 *caecus*, clandestinus, occultus, per membra et ossa means. De v. *carpi* v. ad II, 781. vnde apparet, *passim* nunc posse abesse. Ipsa formula *caeco carpitur igni* legitur Virgil. Aen. IV, 2. *et vires* pro, *nec vires.* vid. Burm.

494 *memor*, scilicet iniuriae ipsi factae. Sed displicet Glareano, quod Echo mutata in lapidem *viderit* Narcissum. Respondet Burm. poëtam narrasse quidem iam antea metamorphosin Echus, sed eam simul cum Narcissi transformatione factam esse. Putem *videre* omnino esse sentire, intelligere. Hoc poterat, quia nunc quoque persona erat: Praeterea saepius iam obseruauimus, haec et talia in Ouidio non esse vrgenda. Caeterum ingeniose Echo hic inducitur et fabulae innectitur. Etiam illud *indoluit* ex natura Echus bene confirmatur. Male Heins. etiam vs. 501. *lacus* recepit. Immo *locus*, in quo mutata Echo, remittebat verba. (Gierigio accedit Bothius.)

503 *Dominus luminum*, vt VI, 560. *domina linguae. In Stygia* etc. Manes enim in inferna sede exercent studia antiqua. Vid. ad IV, 444. Nihilo tamen minus Noster nunc ingenio abusus est. *Stygis* enim turbida aqua et limo plena non poterat spectantis formam reddere. *Plan-*

Tum quoque se, postquam est infernâ sede receptus,
In Stygiâ spectabat aquâ. Planxere sorores
Naïdes, et sectos fratri posuere capillos;
Planxere et Dryades; plangentibus adsonat Echo.
Iamque rogum, quassasque faces, feretrumque parabant:
Nusquam corpus erat: croceum pro corpore florem
Inueniunt, foliis medium cingentibus albis.

506 Quoniam in Gronou. *fronti pos.* exstat, Burm. coni. *fonti p.* tamquam busto Narcissi. 508. *quassasque.* Septem Mss. *cassasque.* Id Burm. explicat, quae resectae ab arbore succo suo carent, et aridae sunt.

xere sorores. Ap. Claudian. d. l. Narcissum *fracta Cephissus arundine luget. sectos capillos.* Ex more antiquissimo solebant mortuorum tumulis secti capillorum cincinni imponi. (v. Burm. Sec. ad Propert. I, 77, 21. et Micyll. et Ciofan. ad Heroid. XI, 116.) *Ponere* sollemne in consecrationibus. Tibul. I, 1, 14. *pomum ponere Deo.* Mirum autem est, Nymphas *rogum* et *feretrum* parasse. (Sed *parabant* esse potest: man bereitete.) *Quatere, quassare, percutere, faces* formulae obuiae. V. Heins. ad IV, 758. Iactabantur enim inter eundum. *Flos* autem ille etiam hodie iuxta Heliconem plurimus reperitur, vt narrat Chandler in Itiner. cp. 64.

FAB. VI. vs. 511 — 733. Bacchus, emensus multas terras, Thebas venit. Pentheus vero, Echionis filius, Cadmi ex Agaua nepos, cui Cadmus imperium tradiderat, cum sacra noua accipere nollet, Bacchumque adeo interficere conaretur, dilaceratus est ab Agaua et sororibus, quas Bacchus eum in finem in furorem adegerat. Tractata est haec fabula post Aeschylum, cuius Pentheus interiit, ab Euripide in Bacchis. Habent eam Apollod. III, 5, 2. Hygin. fab. 184. Philostr, Icon. I. Attingit etiam Theocrit. Id. 26. Cf. et Senec. Oed. 404 — 508. et similem loc. ap. Virg. Aen. VII, 385 sqq. Sine dubio Pentheus, cum furorem Bacchicum, qui totas interdum ciuitates inuadebat, coërcere vellet, a Bacchis occisus est. Ferociorem autem eum Ouid. descripsit, quam Euripides. Nullam autem transformationem haec fab. habet; itaque Noster, ne instituti immemor videretur, inde a vs. 574. commode intexuit aliam.

Res, vaticinium de Narcisso impletum; *cognita*, cum esset diuulgata. *vati*, Tiresiae; redit enim eo, quo deflexerat carmen. *Achaidas*, graecas. Apud Homer. omnes Graeci Ἀχαιοί. *auguris.* Aures eius ita purgatae erant, vt omnes auium voces auditu perciperet. Apollod. III, 6, 7. Apud. Eurip. d. l. 347 sedes habet, vbi *οἰωνοσκοπεῖ.* Iam breuiter notat mores Penthei, qui ad hanc rem pertinebant, *Contemtor Superum. ex omnibus*, ex omni familia Cadmi. Caeteri venerabantur Bacchum. vid. vs. 564. *tenebrae*, vt *σκότος*, de caecitate. *cladem*, damnum, quod passus erat, luce ademta. Aliter Tiresiam increpat ap. Eurip. 255 sqq.

Bacchus et Pentheus

Cognita res meritam vati per Achaïdas vrbes
Attulerat famam; nomenque erat auguris ingens.
Spernit Echionides tamen hunc, ex omnibus vnus
Contemtor superûm, Pentheus; praesagaque ridet
Verba senis; tenebrasque et cladem lucis ademtae
Obiicit. Ille mouens albentia tempora canis,
Quam felix esses, si tu quoque luminis huius
Orbus, ait, fieres, nec Bacchia sacra videres!
Iamque dies aderit, iamque haud procul auguror esse,
Quâ nouus huc veniat, proles Semeleïa, Liber.

516. *canis.* Zinzerling. in Promuls. I. cp. 51. ex Mss. corrigit *vittis*, quod Heins. exemplis illustrat. G. — 518. Plurimi codd. *Bacchica*; sed *Bacchia* praetulerunt Intpp. vt alibi *Troia*, *Olympia*, *Parthia* et *sim.* vid. Cuningam. Animadu. ad Horat. o. 15. p. 259 sq. 519. Ante Heins. editum erat *namque*, quod defendit Bothius, quoniam *iamque* orationem interrumpat. Pro *iamque haud* autem alii codd. praebent *quam non.* E.

516 Motus et agitatio capitis signum indignationis. Mouet autem Tiresias *tempora*, et quidem senilia. Sed id graphice expressit. *albentia canis*, tempora cana. Πολιοὶ κρόταφοι Anacr. Od. 56. Et Homer. Il. Θ, 518. senes vocat πολιοκροτάφους γέροντας. Tiresiam, qui quatuor generationibus post, Eteoclis et Polynicis tempore, adhuc vixit, iam senem facit tempore Penthei, secutus Euripidem, apud quem Bacch. vs. 258. Pentheus ei tribuit γῆρας πολιόν. vid. Barnes. ad vs. 178. Et commode h. l. senectutis mentio fit; ea enim tanto maiorem auctoritatem vati, tantoque maiorem fidem eius responsis conciliabat. Nec tamen omnino spernenda est altera lectio, *albentia tempora vittis*, maxime ob XIII, 643. *Hinc Anius niveis circumdata tempora vittis concutiens.* Vitta enim alba insignire solebat tempora augurum.

517 Et ad risum et ad cladem oculorum verbis grauissimis respondet vates. Apud Eurip. 368 non μαντικῇ, sed τοῖς πράγμασιν edoctus veretur, ne Pentheus luctum inferat Cadmi domo. Sed Ouid. vel nexus caussa haec nouauit. *Bacchia sacra*, τελετὰς εὐίους, i. mysteria Bacchica. vid. Perizon. ad Aelian. V. H. II, 31, 20. Dicta sunt, vt omnia sacra enthusiastica, *Orgia*, ἀπὸ τῆς ὀργῆς, a furore, insania. vid. ad IV, 1. Intelliguntur autem h. l. prisca illa orgia, diuersa ab Atheniensium Dionysiis, et *trieterica* dicta, quoniam a Thebanis tertio quoque anno celebrabantur, et quidem in monte Cithaerone nocturnis discursibus. vid. Barnes. ad Eurip. vs. 133. et Perizon. ad Aelian. V. H. XIII, 2.

519 *Iam*, vox vaticinantium, itaque repetitur non sine grauitate. *nouus*, non est recentior, diuersus a priscis huius nominis Diis, sed, vt Francius bene vidit, nobis adhuc incognitus. Euripid. vs. 219. ὁ νεωστὶ δαίμων, vs. 256 et 272 ὁ δαίμων ὁ νέος. Sic saepe *nouus* apud Nostrum, *noui fluctus*, *noua monstra* etc. i. adhuc ignota. *Veniat* exquisitius, quam *veniet*. Tibul. I, 4,

Quem nisi templorum fueris dignatus honore;
Mille lacer spargêre locis, et sanguine siluas
Foedabis, matremque tuam, matrisque sorores.
Euenient: neque enim dignabere numen honore;
Meque sub his tenebris nimium vidisse quereris.
Talia dicentem proturbat Echione natus.
Dicta fides sequitur; responsaque vatis aguntur.
Liber adest: festisque fremunt vlulatibus agri:
Turba ruunt, mixtaeque viris matresque nurusque,
Vulgusque, proceresque, ignota ad sacra feruntur.
Quis furor, anguigenae, proles Mauortia, vestras

79. *Tempus erit, cum me deducat*, vbi v. obs. Heynii.

521 Nisi dignum eum iudicabis, quem colas templis excitandis et dedicandis. *Honorare templis*, aris, statuis, vt graec. τιμῆσαι ναοῖς etc. vid. Perizon. ad Aelian. V. H. II, 31, 12. *lacer spargére*, laceraberis et spargêris. *foedare* de sauguine vulneratorum. Virg. Aen. II, 502. *foedantem sanguine ignes. sub*, in, *tenebris*, vt VII, 2. *sub nocte*. In *sub ten. vidisse* inest acumen.

527 *responsa*, vaticinium, vid. ad vs. 340. *aguntur*, euentum habent. Idem est alterum *fides sequitur*, quod Rode non bene reddidit, *der Glaube folgt den Worten*.

528 *adest*, nempe e Lydia. Eurip. 234. Thebis mulieres coëgit βακχεύειν ἐν τῷ Κιθαιρῶνι, Apollod. Noster breuitatis studio statim irruit in ipsum fremitum. Agri *fremunt*, βρέμουσι, verbum proprium de Bacchantibus, vnde ipse Bacchus Βρόμιος. cf. Longin. XV, 6. *vlulatibus*, ἰαχαῖς, ὀλολυγμοῖς. Ipse Bacch. de se Eurip. vs. 24. Thebas in Graecia primas ἀνωλόλυξα, vlulatu compleui. Nam ὀλολύζειν et *vlulare*, etiam prae gaudio exclamare et vlulare, sed de furibundo Bacchantium clamore in primis dicitur. *Vlulabant* autem voces has, Εὐοῖ Βάκχε, ὦ Ἴακχε, Ἰὼ Βάκχε, Εὐοῖ σαβοῖ, vnde εὐάζειν τὰ ὄργια, quod Virg. Aen. VI, 517. reddidit, *euare orgia*, i. euando celebrare orgia. vid. Drackenb. ad Sil. II, 101. *festis*, quia coniuncti erant huiusmodi vlulatus cum sacris Bacchi.

529 *Turba ruunt*, Inducuntur ergo Bacchi thiasi. Virg. Ecl. V, 30. nam θίασος, *thiasus*, dicta est vocabulo proprio multitudo illa mixta et pompa, quae Bacchum comitabatur, vid. Barnes. ad Eurip. vs. 56. *mixtaeque* etc. Feminae et mares, pauperes et nobiles sacris his arcanis interesse poterant. Eurip. vs. 208 seqq. Verba *ruunt* et *feruntur* egregie pingunt studium, quo superstitiosa et leuis multitudo certatim aduolat ad *ignota* (nam ignota et noua scire cupiunt) *sacra*. *Ruere* sic etiam XV, 730. Phaedr. V. fab. 1, 3. Significat enim, sine ordine et summa cum contentione currere. *matres* et *nurus* sollemne Nostro, cum omnis generis et aetatis mulieres commemorat. Et *nurus* poëtis omnis mulier. Brouckh. ad Propert. II, 5, 26. *mixtae viris*. Eurip. 36. γυναῖκες ὁμοῦ δὲ Καδμου παίσιν ἀναμεμιγμέναι. *proceres*, ipse Cadmus cum filiabus et Tiresia. Eurip. 299.

531 Summa orationis: Non vincimur vi armorum fortiumque

Attonuit mentes? Pentheus ait. Aerane tantum
Aere repulsa valent? et adunco tibia cornu?
Et magicae fraudes? vt quos non belliger ensis,
Non tuba terruerint, non strictis agmina telis;
Femineae voces, et mota insania vino,
Obscoenique greges, et inania tympana vincant?
Vosne, senes, mirer? qui longa per aequora vecti

(532. *Attonuit*, quod pro *Attollit* recte restituit Heinsius, probat etiam Burm. Sec. ad Propert. I, 1, 2 coll. Heroid. IV, 50.) 534. *fraudes*. Cantabr. *frondes*, quod et Heins. et Burm. placet. *belliger* Heins. ex primo Gronou. in quo pro diuersa lect. exstat, dedit. Barber. *bellifer*. Caeteri *bellicus*.

virorum, sed inanibus tympanis pueri mollis obscoenorumque gregum, quod Thebanorum origine indignissimum. In hac origine et in illa mollitie explicanda totus est, proditque animum rei turpitudine commotissimum. Abundat antithetis. *Quis furor* crebra vox indignantium. VI, 170. Virg. G. IV, 495. Tibul. I, 10, 33. *Anguigenae*, Thebani ex anguis dentibus prognati, Graecis Σπαρτοί. Eorum vrbs *draconigena* III Fast. 865. Vtrumque voc. ab ipso Ouidio signatum videtur ad formam *terrigena* etc. *proles Mauortia*, nam draco ille Martis filius fuerat. *attoniti*, qui, audito Bacchantium fremitu, et ipsi furorem concipiunt. Vid. Iani ad Horat. I od. 16, 7.

532 *Aera*, cymbala, quorum vsus in mysteriis Bacchi non minus, quam in sacris Cybebes; multa enim vtrisque sacris communia. Erant concaua, atque inter se concussa tinnitum acutum dabant et pungentem veluti animos. vid. IV Fast. 189. *repulsa*, pulsa, vt Tibul. I, 3, 24. 8, 22. *adunco tibia cornu*, tibia Phrygia, inuenta a Mida rege, et incurua, cum caeterae tibiae essent rectae. Virgil. Aen. XI, 737. *vbi curua choros indixit tibia Bacchi*. Cornu additum augebat sonum.

534 *magicae fraudes*. Eurip. vs. 234. Bacchus γόης et ἐπῳδός. Cum sacra Bacchi essent nocturna, arcana et cum multis praestigiis coniuncta, Pentheo videbantur *magicae fraudes*. vide tamen Var. Lect. *belliger ensis*, vt Martial. V epigr. 25. *belligera hasta*. Horat. Sat. I, 9, 31. *hosticus ensis*. — *tubae* vsus erat in bellis. vid. ad I, 98. *terruerint*, in fugam conuerterint. Supra I, 727. *profugam per totum terruit orbem*. Horat. II Od. I, 19. *fulgor armorum terret equos*.

537 *Obscoeni greges*, Sil. Ital. XVII, 112. *Semiuiri chori*. — *tympana*, orbes intenti corio, pulsabantur manibus et edebant sonum raucum. Eurip. 124. βυρσότονα κυκλώματα, et vs. 156. βαρύβρομα. *inania*, non timenda.

538 *Senes* cum Cadmo e Phoenicia profecti orbem pererrauerant. vid. vs. 6. Hos non omnes necasse videtur serpens a Cadmo interfectus. *Hac Tyron* etc. Certum signum nouae sedis captae, si *penates* ibi constituerentur. Nouae autem sedi nomen vrbis, vnde venerant profugi, imponi solebat. Expressit vero, vt Nauger. iam monuit, Virgil. Aen. I, 68. *Ilium in Italiam portans victosque penates*.

Hac Tyron, hac profugos posuistis sede Penates;
Nunc sinitis sine Marte capi? vosne, acrior aetas,
O iuuenes, propriorque meae; quos arma tenere,
Non thyrsos; galeaque tegi, non fronde, decebat?
Este, precor, memores, quâ sitis stirpe creati;
Illiusque animos, qui multos perdidit vnus,
Sumite serpentis. Pro fontibus ille lacuque
Interiit: at vos pro famâ vincite vestra.
Ille dedit leto fortes; vos pellite molles,
Et patrium reuocate decus. Si fata vetabant
Stare diu Thebas; vtinam tormenta virique
Moenia diruerent, ferrumque ignisque sonarent!
Essemus miseri sine crimine, sorsque querenda,

547. *pellite* dedit Heins. ex optimis Mss. pro vulg. *vincite.* Vnus Palat. *perdite.* 550. *sonarent.* Heins. coni. *domarent.* Immo illud melius, diciturque non modo de igne, (v. Drakenb. ad Sil. I, 129) sed et de armis. Virg. Aen. IX, 732.

540 *Acer* de iuuenili vigore. *propior meae.* Elegantius Ascanius ad Euryalum Aen. IX, 275 *mea quem spatiis propioribus aetas Insequitur. thyrsus,* baculus aut hasta, quam gestabant, quaque terram pulsabant Bacchantes. Reuinctus erat hedera aut pampinis, vnde ab Eurip. vs. 25. κίσσινον βέλος, ab Ouidio vero XIII. Epist. 33. *pampina hasta* vocatur, vid. mox vs. 667. Speciem eius e gemmis expressam habes apud Perizon. ad Ael. V. H. III, 18 et in Lipperti Dactyl. I, 184. 390. *fronde.* Bacchantes coronati erant hedera, pampinis, aut aliarum arborum frondibus. *Tegi* verb. sollemne in hac re.

544 Sollemne est posteris maiorum facta in memoriam reuocare. Argumentum autem hoc a *serpente* ductum non dedecet orationem in opere mythologico. *fontes* et *lacus* eodem redeunt, sed dictum hoc ad formulam *pro aris et focis. molles,* effeminati. Male Burm. τῷ *pellite* praefert *perdite,* quod melius conueniat v. *dedit leto.* Immo vult minus dicere, vt duplex oppositio sit, *fortes — molles, leto dare — pellere,* quemadmodum ante *interiit — vincite. Reuocare,* restituere, vocabulo vocis ad facta translato. v. Gronou. Obs. II, 19. Praefero tamen, quod omnes Mss. praeter duos, habent, *retinete.* Heren. III, 3. *retinere fortitudinem,* conseruare. Vellei. II, 79, 5. *retinere dignitatem,* dignitatis memorem se gerere. Etiam in Nuce 52 *retinere decus.*

551 *Essemus — carerent.* Idem ter dixit, quia vrget id, quod caput rei est. Verbis *stare, diruere* et *capi* ira nimis auget rem. *Quem neque* etc. Tibul. I, 7, 43. *Non tibi sunt tristes curae, nec luctus, Osiri* (quem cum Baccho confundebant Graeci), *Sed varii flores, et frons redimita corymbis, Fusa sed ad teneros lutea palla pedes, Et Tyriae vestes, et dulcis tibia cantu.* Et ad ipsum Bacchum Horat. II, 19, 25. *Quamquam choreis aptior et iocis Ludoque dictus, non sat*

Non celanda foret; lacrimaeque pudore carerent.
At nunc a puero Thebae capientur inermi,
Quem neque bella iuuant, nec tela, nec vsus equorum;
Sed madidus myrrhâ crinis, mollesque coronae,
Purpuraque, et pictis intextum vestibus aurum.
Quem quidem ego actutum (modo vos absistite), cogam
Adsumtumque patrem, commentaque sacra fateri.
An satis Acrisio est animi, contemnere vanum
Numen, et Argolicas venienti claudere portas;
Penthea terrebit cum totis aduena Thebis?
Ite citi, (famulis hoc imperat) ite, ducemque
Attrahite huc vinctum. Iussis mora segnis abesto.
Hunc auus, hunc Athamas, hunc cetera turba suorum

(553. et sqq. cum interrogationis signo legi mauult H. Voss. p. 170. E.). 557. Plurimi *adsistite.* 564. *suorum* languere videtur Burm. praefert igitur e Cantabr. *sequentes*, mauult tamen *frequentes.* Languorem illum equidem non video. Regem corripere non nisi *sui* poterant.

idoneus Pugnae ferebaris, sed idem Pacis eras mediusque belli. Etiam secundum Eurip. 419 amat ὀλβοδότειραν εἰρήνην. *Crinis* Bacchi passim laudatur. vid. ad vs. 421. Eum ornare solebat. Eurip. 234. ξανθοῖσιν βοστρύχοισιν εὔκοσμος κόμην. *madidus*, delibutus. Vnguebantur autem veteres etiam oleo myrrheo, de cuius praestantia v. ad X, 500. *molles coronae*, nempe hederaceae, vnde Bacchus κισσοκόμης. *Semper hedera tempora vincta gerit.* Tibul. III, 6, 2. Hederae autem *mollitudo* tribuitur a poëtis. Virg. Ecl. V, 31. De *purpurea* Bacchi veste vid. Salmas. ad Tertullian. de Pallio p. 329. Talem etiam Homer. h. Bacch. 5 ei tribuit. *pictis* eo ipso, quod aurum intextum. II, 734.

557 Lectio *adsistite* conuenit quidem verbis Eurip. 780 vbi Pentheus scutatos et equites arcessi iubet, sed non perinde moribus et consilio Penthei e notatione Ouidii sibi arrogat. *absistite*, scil. a sacris nouis. *adsumtum*, quem falso sibi arrogat. XI, 789. De *Acrisio* Bacchum spernente v. IV, 606 sqq. Sed *Argos* Deus ille serius profectus est. Apollod. Etiam Eurip. 20 ipse narrat, Thebas primam esse Graeciae vrbem, quam intrarit. *vanum*, quod non est numen. *Penthea* cum vi pro, me. XIII, 17. *ducem*, venerat enim cum comitibus.

564 *Auus*, qui in viuis adhuc erat, sed regnum Pentheo tradiderat, eum *inhibere*, coërcere, laborat. Eurip. 330 — 42. *Acrior*, ferocior, iracundior fit ex irae natura, quam poëta loquaciter quatuor formulis indicat, sed egregie illustrat similitudine subiecta, in qua pro generali illo, *sic torrens decur-*

Hac Tyron, hac profugos posuistis sede Penates;
Nunc sinitis sine Marte capi? vosne, acrior aetas,
O iuuenes, propriorque meae; quos arma tenere,
Non thyrsos; galeaque tegi, non fronde, decebat?
Este, precor, memores, quâ sitis stirpe creati;
Illiusque animos, qui multos perdidit vnus,
Sumite serpentis. Pro fontibus ille lacuque
Interiit: at vos pro famâ vincite vestra.
Ille dedit leto fortes; vos pellite molles,
Et patrium reuocate decus. Si fata vetabant
Stare diu Thebas; vtinam tormenta virique
Moenia diruerent, ferrumque ignisque sonarent!
Essemus miseri sine crimine, sorsque querenda,

547. *pellite* dedit Heins. ex optimis Mss. pro vulg. *vincite.* Vnus Palat. *perdite.* 550. *sonarent.* Heins. coni. *domarent.* Immo illud melius, diciturque non modo de igne, (v. Drakenb. ad Sil. I, 129) sed et de armis. Virg. Aen. IX, 732.

540 *Acer* de iuuenili vigore. *propior meae.* Elegantius Ascanius ad Euryalum Aen. IX, 275 *mea quem spatiis propioribus aetas Insequitur. thyrsus*, baculus aut hasta, quam gestabant, quaque terram pulsabant Bacchantes. Reuinctus erat hedera aut pampinis, vnde ab Eurip. vs. 25. *κίσσινον βέλος*, ab Ouidio vero XIII. Epist. 33. *pampina hasta* vocatur, vid. mox vs. 667. Speciem eius e gemmis expressam habes apud Perizon. ad Ael. V. H. III, 18 et in Lipperti Dactyl. I, 184. 390. *fronde.* Bacchantes coronati erant hedera, pampinis, aut aliarum arborum frondibus. *Tegi* verb. sollemne in hac re.

544 Sollemne est posteris maiorum facta in memoriam reuocare. Argumentum autem hoc a *serpente* ductum non dedecet orationem in opere mythologico. *fontes* et *lacus* eodem redeunt, sed dictum hoc ad formulam *pro aris et focis. molles*, effeminati. Male Burm. τῷ *pellite* praefert *perdite*, quod melius conueniat v. *dedit leto.* Immo vult minus dicere, vt duplex oppositio sit, *fortes* — *molles, leto dare* — *pellere*, quemadmodum ante *interiit* — *vincite. Reuocare*, restituere, vocabulo vocis ad facta translato. v. Gronou. Obs. II, 19. Praefero tamen, quod omnes Mss. praeter duos, habent, *retinete.* Heren. III, 3. *retinere fortitudinem*, conseruare. Vellei. II, 79, 5. *retinere dignitatem*, dignitatis memorem se gerere. Etiam in Nuce 52 *retinere decus.*

551 *Essemus* — *carerent.* Idem ter dixit, quia vrget id, quod caput rei est. Verbis *stare, diruere* et *capi* ira nimis auget rem. *Quem neque* etc. Tibul. I, 7, 43. *Non tibi sunt tristes curae, nec luctus, Osiri* (quem cum Baccho confundebant Graeci), *Sed varii flores, et frons redimita corymbis, Fusa sed ad teneros lutea palla pedes, Et Tyriae vestes, et dulcis tibia cantu.* Et ad ipsum Bacchum Horat. II, 19, 25. *Quamquam choreis aptior et iocis Ludoque dictus, non sat*

Non celanda foret; lacrimaeque pudore carerent.
At nunc a puero Thebae capientur inermi,
Quem neque bella iuuant, nec tela, nec vsus equorum;
Sed madidus myrrhâ crinis, mollesque coronae,
Purpuraque, et pictis intextum vestibus aurum.
Quem quidem ego actutum (modo vos absistite), cogam
Adsumtumque patrem, commentaque sacra fateri.
An satis Acrisio est animi, contemnere vanum
Numen, et Argolicas venienti claudere portas;
Penthea terrebit cum totis aduena Thebis?
Ite citi, (famulis hoc imperat) ite, ducemque
Attrahite huc vinctum. Iussis mora segnis abesto.
Hunc auus, hunc Athamas, hunc cetera turba suorum

(553. et sqq. cum interrogationis signo legi mauult H. Voss. p. 170. E.). 557. Plurimi *adsistite*. 564. *suorum* languere videtur Burm. praefert igitur e Cantabr. *sequentes*, mauult tamen *frequentes*. Languorem illum equidem non video. Regem corripere non nisi *sui* poterant.

idoneus Pugnae ferebaris, sed idem Pacis eras mediusque belli. Etiam secundum Eurip. 419 amat ὀλβοδότειραν εἰρήνην. *Crinis* Bacchi passim laudatur. vid. ad vs. 421. Eum ornare solebat. Eurip. 234. ξανθοῖσιν βοστρύχοισιν εὔκοσμος κόμην. *madidus*, delibutus. Vnguebantur autem veteres etiam oleo myrrheo, de cuius praestantia v. ad X, 500. *molles coronae*, nempe hederaceae, vnde Bacchus κισσοκόμης. *Semper hedera tempora vincta gerit.* Tibul. III, 6, 2. Hederae autem *mollitudo* tribuitur a poëtis. Virg. Ecl. V, 31. De *purpurea* Bacchi veste vid. Salmas. ad Tertullian. de Pallio p. 329. Talem etiam Homer. h. Bacch. 5 ei tribuit. *pictis* eo ipso, quod aurum intextum. II, 734.

557 Lectio *adsistite* conuenit quidem verbis Eurip. 780 vbi Pentheus scutatos et equites arcessi iubet, sed non perinde moribus et consilio Penthei e notatione Ouidii sibi arrogat. *absistite*, scil. a sacris nouis. *adsumtum*, quem falso sibi arrogat. XI, 789. De *Acrisio* Bacchum spernente v. IV, 606 sqq. Sed *Argos* Deus ille serius profectus est. Apollod. Etiam Eurip. 20 ipse narrat, Thebas primam esse Graeciae vrbem, quam intrarit. *vanum*, quod non est numen. *Penthea* cum vi pro, me. XIII, 17. *ducem*, venerat enim cum comitibus.

564 *Auus*, qui in viuis adhuc erat, sed regnum Pentheo tradiderat, eum *inhibere*, coërcere, laborat. Eurip. 330 — 42. *Acrior*, ferocior, iracundior fit ex irae natura, quam poëta loquaciter quatuor formulis indicat, sed egregie illustrat similitudine subiecta, in qua pro generali illo, *sic torrens decur-*

Corripiunt dictis; frustraque inhibere laborant.
Acrior admonitu est; irritaturque retenta,
Et crescit rabies: remoraminaque ipsa nocebant.
Sic ego torrentem, quâ nil obstabat eunti,
Lenius, et modico strepitu decurrere vidi:
At quâcumque trabes obstructaque saxa tenebant,
Spumeus, et feruens, et ab obice saeuior ibat.
Ecce cruentati redeunt; et, Bacchus vbi esset,
Quaerenti domino, Bacchum vidisse negarunt.
Hunc, dixere, tamen comitem, famulumque sacrorum
Cepimus: et tradunt manibus post terga ligatis,
Sacra Dei quondam Tyrrhenâ gente secutum.

566. Berneg. Cod. *a monitu*, quod valde adblanditur Burm. qui etiam exempla adfert, vbi *a* pro *post* ponitur. (Berol. *amonitu* i. e. *a monitu*.) 567. Baron. *reuocaminaque* aeque bene. Vulgo *moderaminaque*. 570. Gebhard. e Mss. *obstrusaque*. G. 576. uncinas, quas huic versui apposuerunt, delet H. Voss. in Bothii Vindic. p. 170, nullis tamen argumentis commemoratis. Mihi versus ab omnibus codd. exhibitus, genuinus esse videtur. Sed legere malim *quendam*, vt sensus sit: Tradunt aliquem, quem gente Tyrrhenum sacra Bacchi secutum esse dicunt. Quapropter vero poëta ita loqui nequeat, vt monet Gierig, huius rei caussam nullam video. Immo, reiecto versu, nimis nude posita essent verba: *et tradunt m. p. t. ligatis*. E.

rit, melius, *sic ego tor. dec. vidi. decurrere* proprie de fluuiis, qui fere ex altioribus locis defluunt. *tenebant*, cursum eius morabantur. *obex*, trabes obstructa, I Fast. 563. *obex montis*, mons obiectus. *ab obice*, propter obicem. *saeuior*, rapidior. Vis aquarum cum *ira* et *saeuitia* comparatur. *obstructa*, obiecta. V. Heins.

572 *Cruentati.* Apud Euripid. 434 se vinciri patitur, sed ibi quoque comitem se Bacchi mentitur. *Sacra — secutum.* Hunc quoque vers. Heins. et Burm. spurium iudicant. Recte. Poëta enim ipse hic loquitur; is vero Bacchum non poterat ita nominare. De *Tyrrhenis* v. ad vs. 583.

576 Bacchus mutata forma adducitur vinctus, minantique Pentheo et vitam suam enarrat et miranda Bacchi facta. Cf. Homer. h. Bacch. p. 83. Ern. Hygin. fab. 134. Apollod. III, 5, 3. Quae Aglaosthenes in Naxicis tradiderat, excerpsit Hygin. P. A. I, 17. Cf. et Senec. Oed. 449. sqq. et, qui paucis rem attigit, Propert. III, 15, 25. (Adde Seru. ad Virg. Aen. I, 66. et IV, 468.) Omnes in eo consentiunt, *Tyrrhenos* nautas rapere voluisse Bacchum, eosque cunctos, praeter gubernatorem pium, in delphinos esse mutatos, cum antea repente variae nauis partes hedera et pampinis essent circumdatae. Nempe ad commendanda sacra huius Dei, ab homine et inter homines nati,

Adspicit hunc oculis Pentheus, quos ira tremendos
Fecerat; et, quamquam poenae vix tempora differt,
O periture, tuâque aliis documenta dature
Morte, ait, ede tuum nomen, nomenque parentum,
Et patriam, morisque noui cur sacra frequentes.
Ille metu vacuus, Nomen mihi, dixit, Acoetes;
Patria, Maeonia est; humili de plebe parentes.

fingenda erant multa miracula et exempla hominum ab eo punitorum. Post Homeric. hymn. plurimi et in eo conspirant, *Naxon* eum nauigare voluisse, siue quia Naxicus scriptor primus fab. inuenerat exornaueratue, siue quia illa insula Orgiis celebris. Commodo autem Noster haec admiscuit, partim quia metamorphosin habent, qua reliqua huius fab, pars caret, partim quia Penthea docere poterant, quam potens ille Deus esset. Narratio haec praeclara est et morata in primis, longior tamen, quam vt furens Pentheus omni aures praebuisse credi possit. Hoc sensit ipse poëta; itaque vs. 692 quasi excusationem sibi parat, sed non satis probabiliter; qui enim attente diu alterum audit, eo ipso consilio, vt *ira vires mora absumere* possit, is, re cognita, non dirum supplicium decernit. Caeterum Lucian. in Dial. Marin. tradit, proelio victos esse Tyrrhenos a Baccho.

577 *Tremendi*, igne micantes; ignis enim *tremere* dr, *edere*, vt I, 761, *tuum nomen*. Haec tria fere olim quaeri solebant ex advenis.

582 *Acoetes*, Ἀκοίτης. Hoc nomen alii interpretantur vigilem, quia gubernatorem nauis vigilem semper esse oporteat, alii contra, tam pauperem, vt cubili careat. Prius verum, alterum ineptum. Idem nomen gubernatori etiam ap. Hygin. sed Homer. *Medides* dr. *Maeonia* est Lydia, a Maeonibus, priscis Lydiae colonis, sic dicta. Etiam ap. Eurip. 464 interrogatus ὅστις εἶ γένος, respondet, Λυδία μοὶ πατρίς. Sed paullo ante vs. 576. *Tyrrhena gente* profectus fingebatur, atque etiam vs. 696. *Tyrrhenus* vocatur. Etiam Homer. d. l. hos Bacchi vectores vocat Τυρσηνούς, a quo nec dissentiunt caeteri auctores, Apollod, Hygin. Lucian. Senec. Oedip. vs. 449. Nempe *Tyrrheni* e prisca Pelasgorum stirpe fuerunt, atque etiam aliquamdiu Lydiam incoluisse videntur. v. Heyne in Comment. de Castoris Epochis, et Excursus III ad Aen. VIII. Sed Hygin. qui eundem cum Nostro auctorem secutus esse videtur, *Tyrrheni*, inquit, *qui postea Tusci sunt dicti*, *cum piraticam facerent*. Nempe *Maeonia* dicta est etiam Tuscia, in quam priscis temporibus Maeonum colonia deducta esse vulgari Veterum errore credebatur. vid. Heyn. d. l. Hinc Virg. d. l. *Maeonia iuuentus* de Etruscis, et Sil. Ital. XV, 35. *Maeonius lacus* est Trasimenus. Et Tusci rei nauticae studiosi erant, Dionys. Halic. I, 25. eosdemque sacris Bacchicis fuisse additos e monumentis multis eorum apparet.

Non mihi, quae duri colerent, pater, arua iuuenci,
Lanigerosue greges, non vlla armenta reliquit.
Pauper et ipse fuit: linoque solebat et hamo
Decipere, et calamo salientes ducere pisces.
Ars illi sua census erat. Cum traderet artem;
Accipe, quas habeo, studii successor et heres,
Dixit, opes: moriensque mihi nihil ille reliquit,
Praeter aquas. Vnum hoc possum appellare paternum.
Mox ego, ne scopulis haererem semper in îsdem,
Addidici regimen, dextra moderante, carinae
Flectere; et Oleniae sidus pluuiale capellae,
Taygetenque, Hyadasque oculis Arctonque notaui,
Ventorumque domos, et portus puppibus aptos.
Forte petens Delon, Chiae telluris ad oras

586. Plurimi codd. *hamis;* sed *hamo*, quod septem libri tuentur, praetulerunt Intpp. Expressit locum Senec. Octav. 411, vt monet Ciofan. 597. H. Voss. scribi iussit *Ceiae*, addens: „Ceia tellus hoc loco Cos." E.

584 Describit se pauperrimum ad miserationem faciendam. Ornate effert tria vitae genera. In *armentis* et *aruis* omnes olim diuitiae. Pauperrima autem erat *piscatorum* conditio. vid. Virg. Aen. XII, 517. sqq. Theocrit. Id. 21. ibique Harles. qui et de instrumentis piscatoriis exponit. Cf. Burm. ad h. l. *durus*, robustus et laboriosus, qui graues labores peragit. Omnis vita rustica *dura* est. *linum* retia piscatoria. *decipere* suauiter pro, capere. Virgil. G. I, 139. *fallere aues visco.* Verbum proprium est, *inescare*, δελεάζειν. *salientes* a natura piscium. Cf. A. A. I, 763. et infra XIII, 923.

588 *Census*, diuitiae, opes, reditus, quia bona ciuium Romanorum in censum deferebantur. *Studium*, vitae genus, vt I, 694, vbi de venatu. Iucunde *successor et heres*, tamquam magnarum facultatum. Iucunde et illud, *nihil mihi reliquit praeter aquas.*

593 *Addiscere*, discere aliquid praeter id, quod iam tenemus. v. Burm. Simile est *addocere artes* ap. Horat. I Epist. 5, 18. Nautarum est regere nauem, nosse sidera et portus. *Regimen*, gubernaculum, clauus. Iam sidera illa memorat, quae prae caeteris nautas olim ducebant. *Olenia capella*, Amalthea, cuius lacte Iouem nutritum ferunt. Ea inter sidera relata locum suum habet in humero sinistro Heniochi s. aurigae. Hygin. Poet. Astr. II, 13. Vocatur *sidus pluuiale*, et V Fast. 113. *signum pluuiale*, quia pluuiam nuntiat. *Taygete*, vna ex Pleiadibus. *Hyades* stellae in capite Tauri, quae cum oriuntur et occidunt, largos imbres cient. Gellius N. A. XIII, 9. *Ventorum domos*, regiones, vnde spirant.

597 *Diae*, quod primum Constant. Fan. ex Abstemii cod. pro-

Adplicor, et dextris adducor litora remis;
Doque leues saltus; vdaeque innitor arenae.
Nox vbi consumta est; Aurora rubescere primum
Coeperat: exsurgo, laticesque inferre recentes
Admoneo, monstroque viam, quae ducat ad vndas.
Ipse, quid aura mihi tumulo promittat ab alto
Prospicio; comitesque voco, repetoque carinam.
Adsumus en, inquit, sociorum primus Opheltes:

tulit, tum Heins. ex Langerm. recepit, verum esse non potest. *Dia* enim est eadem quae *Naxos* (Plin. H. N. IV, 12), in quam deferri Bacchus volebat, vs. 636. 690. Difficile est verum nomen hic reponere, quoniam nescimus, vnde Acoetes soluerit, nec caeteri auctores aliquid certi suppeditant. In hymno Homeric. et ab Hygin. nullus locus commemoratur. Apud Apollod. Bacchus ex *Icaria* in *Naxon* transferri vult, nautae autem eam insulam praeternauigantes *Asiam* petunt, vt praedam ibi vendant. Per *Asiam* Heyne intel. Asiam proprie dictam, Lydiae partem. At, qui, relicta Icaria, Naxon praeternauigant, ii non deferuntur cursu in Lydiam, sed magis magisque ab ea discedunt. Reuocaui antiquiorem lect. eamque plurimorum codd. *Chiae*. Non autem intel. *Chios* insula celebris prope Ioniam. Quamquam enim Lydus Delon petens commode ad dexterum eius litus appellere potuisset, non tamen Naxon ad dexteram habuisset, sed e regione et longe remotam. Sed cogitandum videtur de *Ceo*, quam Romani nonnulli et *Ceam* dixerunt, et Ptolem. *Κίαν*, vt adeo forte et h. l. e consilio nonnullorum *Ciae* rescribendum sit. Ea quinque millia passuum distabat ab Helena, quemadmodum haec a Sunio totidem passus. Plin. H. N. IV, 12 s. 20. Idem tradit, eandem et *Hydrussam* (ὑδρόεσσαν), aquis abundantem, Graecis esse dictam. Ei igitur bene conuenit, quod Acoetes mox narrat, se *laticis inferendi* caussa huc appulisse. Ouidius igitur, qui haec suo modo exornauit, eum finxit e sinu Saronico soluisse. *Tellus* etiam de insula dr. poëtis. Heyne ad Virg. Aen. III, 73 in Var. lectt. *saltus do*, exsilio e naue in litus. *leues*, vt Horat. II Sat. 6, 98 *leuis exsilit*.

603 *Promittere* de bonis prognosticis, vt *denuntiare* de malis Virg. G. I, 453. *Sociorum* duodecim nomina habet Hygin. eadem fere, quae h. l. Noster ea per totum locum disposuit, ne vno loco cumulata taedium adferrent. Erant autem illi secundum Homer. hymn. et alios piratae; neque piratica antiquissimis temporibus infamis erat. Secundum Seru. ad Virg. Aen. I, 71. *dormientem in litore rapiunt*, sed ap. Apollod. et Hygin. ipse conducit nauem, vt Naxon deferatur. *Puerum*. Apud Homer. νεηνίῃ ἀνδρὶ ἐοικώς. *Virginea forma*. Eurip. Bacch. vs. 353. θηλύμορφος ξένος. Talis etiam in monumentis repraesentatur. cf. IV, 18 seqq. *mero somnoque grauis*, qui crapulam nondum edormiuit. Homer. Il. α, 225. οἰνοβαρής. Heroidd. XIV, 33. *Cibo vinoque graues somnoque iacebant*. *Titubare* et lingua et pes ebriorum dr. (Hinc *titubans gradus* de ebrio ap. Columell. X, 309.)

Vtque putat, praedam deserto nactus in agro,
Virginea puerum ducit per litora forma.
Ille, mero somnoque grauis, titubare videtur,
Vixque sequi. Specto cultum, faciemque, gradumque:
Nil ibi, quod posset credi mortale, videbam.
Et sensi, et dixi sociis: Quod numen in isto
Corpore sit, dubito; sed corpore numen in isto est.
Quisquis es, ô faueas, nostrisque laboribus adsis:
His quoque des veniam. Pro nobis mitte precari,
Dictys ait, quo non alius conscendere summas
Ocior antennas, prensoque rudente relabi.
Hoc Libys, hoc flauus, prorae tutela, Melanthus,
Hoc probat Alcimedon, et, qui requiemque modumque
Voce dabat remis, animorum hortator Epopeus:

607. Vnus Medic. et Argentin. *virgineae formae.* Vtrumque recte. 609. *cultum.* Quidam *vultum.* (610. *quod credi posset* cod. Berol., quod probat Bothius.) 616. *prensoque.* Mss. fere omnes *perssoque.* Heins. coni. *tensoque.* (618. *regimenque modumque* cor. H. Voss.)

609 Dii, quando formam humanam sumserant, incessu, voce, oculis aliisque rebus declarabant, aliquid diuini inesse sibi. Virg. Aen. I, 327. V, 647. Sed quaerere libet, quomodo *titubanti gradus* diuinus esse potuerit. *Quod nomen* etc. Gubernator in h. Hom. Ἧ γὰρ Ζεὺς ὅδε γ' ἐστὶν, ἢ ἀργυρότοξος Ἀπόλλων, Ἠὲ Ποσειδάων, ἐπεὶ οὐ θνητοῖσι βροτοῖσιν ἔικελος.

615 Non nuda nautarum nomina ponit, sed adspergit aliquid de singulorum virtutibus. *Dictys* laudatur ab agilitate, qua excellere laudi ducebatur nautis. *antennae*, ligna illa transuersa in malo, vnde suspenduntur vela. *flauus*, qui habet flauos i. pulchros capillos, de quibus ad II, 319 et 749. Sic ξανθὸς Μενέλαος apud Homer. Cur autem pulchritudinem in hoc nauta laudauerit, non video. Si, cum *Melanthus* nigrum notet, ludere voluit, lusus ille ineptus est. *Melanthus* Hygin. *Melas*, quod forma quidem, non autem significatione differt. *prorae tutela*, proreta, πρωράτης, cuius erat regere proram. Alibi *tutela nauis* est simulacrum Dei tutelaris in puppi collocatum.

619 Erat *Epopeus* κελευστὴς, *pausarius*, hortator remigum, qui remigibus *modum* dabat, et nunc pergere iubebat, nunc *cessare* ab opere, atque etiam canendo *animum* addebat defatigatis. Modum autem dabat vel *voce*, et interdum quidem satis acerba (Senec. Epist. 56.), vel portisculo, i. malleolo, quem manu tenebat. vid. Gronou. Obseruat. IV, 26. et Drackenb. ad Sil. Ital. VI, 366. Locus elegans in eam rem est apud Xenoph. Oecon. 21, 3. *coeca*, temeraria, insana, quae excoecat animum,

Hoc omnes alii. Praedae tam caeca cupido est.
Non tamen hanc sacro violari pondere pinum
Perpetiar, dixi: pars hic mihi maxima iuris.
Inque aditu obsisto. Furit audacissimus omni
De numero Lycabas; qui Thusca pulsus ab vrbe
Exsilium, dira poenam pro caede, luebat.
Is mihi, dum resto, iuuenili guttura pugno
Rupit: et excussum misisset in aequora; si non
Haesissem, quamuis amens, in fune retentus.
Impia turba probant factum. Tum denique Bacchus,
(Bacchus enim fuerat) veluti clamore solutus
Sit sopor, aque mero redeant in pectora sensus,
Quid facitis? quis clamor? ait: qua, dicite, nautae,
Huc ope perueni? quo me deferre paratis?
Pone metum, Proreus, et quos contingere portus
Ede velis, dixit; terra sistêre petita.
Naxon, ait Liber, cursus aduertite vestros.

627. *Rupit.* Sixi et vnus Leid. *fregit.* Heins. maluerat *raptat.* (629. *nunc denique* cod. Berol. quod elegans dicit Bothius. 631. *in pectore* multi codd. quod exquisitius esse videtur Wakefieldio ad Lucret. III, 504.). 633. *perueni.* Vnus Heins. *deueni*, quod Burm. eleganter dictum videtur, quia pr. de iis, qui in mala incidunt.

quo minus videat, quid sit pium aut impium. Hygin. addit, eos propter formam constuprare Bacchum voluisse. Apud Homer. vinculis eum ligare volunt, sed illa sponte cadunt de manibus.

621 *pondus*, quidquid imponitur naui, h. l. corpus. XV, 694. sic est *onus* de corpore Dei nauem premente. Nauis *violatur* pondere, quia res impia est, Deum vi abductum in ea retinere. *pars hic* etc. Erat Acoetes gubernator nauis. Homer. d. l. vs. 15. Hygin. d. l. *iuuenili*, adeoque forti. X, 675. *iecit iuueniliter*, summa vi. *Rupit* de conatu capiendum, rumpere voluit. Hygin. nil definit, *iniuriam ab iis passus est.*

630 *Soluitur* somnus, cum depellitur, fugit. *a mero*, post merum digestum. Seruius d. l. *experrectus in naue, quo duceretur, interrogauit. Responderunt illi, quo vellet. Liber ait, ad Naxum, insulam sibi sacratam.*

634 *Proreus* Graecis est is, quem Ouid. vs. 617. *prorae tutelam* dixit. Ab Hygino in antiquo exemplari abfuit h. n. itaque nonnulli putarunt, Nostrum ex nomine officii fecisse nomen proprium. V. Munker. ad Hygin. *Naxon.* v. ad vs. 577. *domus*, patria. *hospita*, benigno vos hospitio excipiet. Contra *inhospita tecta* I, 218. vbi vid. not.

Illa mihi domus est; vobis erit hospita tellus.
Per mare fallaces, perque omnia numina iurant
Sic fore; meque iubent pictae dare vela carinae.
Dextera Naxos erat. Dextra mihi lintea danti,
Quid facis, ô demens? quis te furor, inquit, Acoete,
Pro se quisque, tenet? laeuam pete. Maxima nutu
Pars mihi significat; pars, quid velit, aure susurrat.
Obstupui; Capiatque alius moderamina, dixi:
Meque ministerio scelerisque artisque remoui,
Increpor a cunctis; totumque immurmurat agmen,
E quibus Aethalion, Te scilicet omnis in vno
Nostra salus posita est! ait. Et subit ipse, meumque
Explet opus; Naxoque petit diuersa relicta.
 Tum Deus illudens, tamquam modo denique fraudem
Senserit, e puppi pontum prospectat adunca.
Et flenti similis, Non haec mihi litora, nautae,
Promisistis, ait; non haec mihi terra rogata est.
Quo merui poenam facto? quae gloria vestra est;
Si puerum iuuenes, si multi fallitis vnum?

642. *nutu.* Vnus *limo*, scil. *oculo*, quod non a librario profectum Burm. putat.

638 *Per mare* iurare solebant nautae. *omnia numina*, bene notat leuitatem nautarum. — In externa prorae parte *pingebatur* aut Deus nauis tutelaris, aut aliud quoddam insigne, vnde naui nomen esset. I, Trist. X, 2. hinc *picta carina*. Sed interdum totam adeo nauem pingebant.

642 *Pro se quisque*, καθ' ἑαυτὸν ἕκαστος, quantum quisque potest. De formula *quis furor* v. ad 531. *aure*, paullo insolentius, in aurem.

645 *ministerium* voc. nauticum. Virg. Aen. VI, 302. *velis ministrat*. Sic et Tacit. Mor. Germ. 44. *Artem* Lenzius interpretatur de fraude. *Aethalion*. Hygin. *Ethalides*. *Explet meum opus*; vices meas peragit. *diuersa*, loca opposita, contrariam coeli partem spectantia.

652 Non haec mihi litora promisistis, quae non sunt litora, sed mare: non haec terra, quae non est terra, sed aqua, mihi rogata est. Burm. Lenzius vero putat, eum prospexisse iam Delon propinquam. Hanc interpretationem adiuuat Schepperi coni. *portum* pro *pontum*. — *Quae gloria*, etc. vt Tibul. I, 8, 49. *puero quae gloria victo? Iuuenes* dici solent nautae et remiges:

Iamdudum flebam. Lacrimas manus impia nostras
Ridet, et impellit properantibus aequora remis.
Per tibi nunc ipsum (nec enim praesentior illo
Est Deus) adiuro, tam me tibi vera referre,
Quam veri maiora fide. Stetit aequore puppis
Haud aliter, quam si siccum nauale teneret.
Illi admirantes remorum in verbere perstant;
Velaque deducunt, geminaque ope currere tentant.
Impediunt hederae remos, nexuque recuruo
Serpunt; et grauidis distinguunt vela corymbis.
Ipse, racemiferis frontem circumdatus vuis,
Pampineis agitat velatam frondibus hastam.

666. Pro *vuis* Schol. Statii ad Theb. IV, 656 *vmbris*, quod valde adblanditur Burm. quia frons eleganter dr. *vmbrari*, *σκιάζεσθαι*, frondibus.

658 *Praesens* Deus, qui nobis auxilio suo adest. Sed h. l. ambigue dictum videtur, et simul de praesentia corporis capiendum. Cf. XIV, 679. *Veri fide*, vt Heroidd. XVI, 60. *Veri vix habitura fidem.* vbi vid. Heins.

662 Pergunt verberare mare (τύπτειν ἅλα Homeric.) remis. Similiter piscator *verberat amnem funda.* Virg. G. I, 141. *Vela deducunt* ex antennis, vbi, quamdiu opus iis non erat, ligata pendebant, vt *gemina ope*, velis remisque, currant. Lenzius contra: contrahunt vela, antea expansa, tamquam in vado essent, et geminatis viribus remos mouent.

664 In hymn. Hom. vinum fluit per nauem, mox in velo expanditur vitis, malum cingit hedera, scalmique omnes coronis ornantur. Hygin. *remos in thyrsos mutauit, vela in pampinos, rudentes in hederam.* Haec igitur auctor quisque suo modo exornauit, omnium copiosissime Senec. Oed. 451—56. vbi etiam mare in pratum mutatur. Similia phaenomena leguntur IV, 394. Claudian. X, 188 Venere aduentante, et XXIV, 366 Baccho per aequora rubra nauigante, vbi nostrum locum respexit, in quo omnia fere Bacchi insignia ostenduntur. *Impediunt*, cingunt, vt II, 433. Hedera brachiis suis s. clauiculis, quas plurimas inter folia emittit, omnia amplectens bene *serpere* dr. eique *nexus* tribuuntur. *Serpit* adeo circum tempora Virg. Ecl. VIII, 13. *Nexiles hederae* VI, 128. Eius racemi in orbem circumacti, vt in vite, *corymbi. grauidi*, vt *grauidae aristae* I, 110. *distinguunt*, per interualla ornant. Plin. V Ep. 6, 16. *Xystus distinctus buxo.* Est autem haec antiquior lectio, quam reuocaui. Nam Heins. ex priore Regio et aliis *distringunt* male inuexerat. Melius est, quod idem suadebat, *destringunt.* Non bene Rode: *und zieht fest die Segel zusammen.* Caput Bacchi plerumque hedera cinctum, interdum tamen et pampinis, vt monumenta antiqua docent. Itaque *vuae* in hoc miraculo offendere non debent. *Vmbris*, quod Burm. placet, nunc nimis foret poëticum, nec quisquam facile *racemiferas* dixerit vmbras.

Quem circa tigres, simulacraque inania lyncum,
Pictarumque iacent fera corpora pantherarum.
Exsiluere viri; siue hoc insania fecit,
Siue timor: primusque Medon nigrescere pinnis
Corpore depresso et spinae curuamina flecti
Incipit. Huic Lycabas, In quae miracula, dixit,
Verteris? et lati rictus, et panda loquenti
Naris erat, squamamque cutis durata trahebat.
At Libys, obstantes dum vult obuertere remos,

668. *inania.* Gronou. et Arg. *immania*, quod ex Mss. probant Bresm. et Giphan. 674. Vnus *sina*, quod Burm. ex *sima* ortum putabat, de quo v. Heins. ad XIV, 95.

agitat, more Bacchantium iactat.

668 *Tigres* et *pantherae*, a Baccho in India deuictae, iungebantur eius currui, iisque addebantur etiam *lynces*. Bene *inania* de hac illusione miraculosa. IV, 401. *falsa saevarum simulacra ferarum. pictae*, maculosae. Sic *picturatae aues* Claudian. 40, 3.

670 Senec. (Oedip. 461 — 65.) qui h. l. respexit, omnes nautas vna mutatione complectitur. Sed Noster plures nautas separatim et in actu quodam in nouam formam transeuntes ostendit, atque ita per partes et in pluribus transformationibus delphinorum formam naturamque describit, de qua cf. II, 265. Ex hac fabula delphinus vocatur *Tyrrhenus piscis* Senec. Agam. 451. *siue hoc — timor.* Scriptores vtroque trahunt. In h. Homer. cum vnus in leonem mutatus impetum in reliquos faceret, hi metu perterriti prosiliunt in mare et delphini fiunt. Etiam ap. Hygin. et Seru. leonibus et pantheris repente procurrentibus terrentur. Sed alteram caussam Apollod. habet, ἐμμανεῖς γενόμενοι. Ap. Aglaosthenem Bacchus comites suos symphoniam canere iubebat, qua audita Tyrrheni saltare incipiebant, saltantesque in mare se proiiciebant inscii. Etiam ab Apollod. βοὴ αὐλῶν commemoratur. *Pinnae*, (*Finnen*) instrumenta natandi, piscibus loco manuum et pedum datae. Tales pinnas delphini in ventre habent duas, *nigra* cute obductas, sed et dorsum, in quo vna pinna sesquipedalis, nigrum colorem refert, quemadmodum venter album. Hoc nomine deceptus Lactant. in Argum. nobis narrat, nonnullos in *aues* esse mutatos. *depresso*, cum antea erecto, vt homo, fuisset. *flecti* quoad *curuamina*, quia delphinis corpus repandum.

673 *In quae miracula*, in quam miram, horrendam faciem verteris. Virg. G. IV, 441. *omnia transformat sese in miracula rerum.* Infra IV, 590 sic sunt *monstra.* Caeterum reprehendit iam Scaliger Ouidium, quod *squamas* tribuerit delphino.

676 *obuertere remos* i. q. *inhibere remis*, πρύμναν κρούεσθαι, conuerso remigio retrorsum ire, quod facere solent fugam meditantes. *Obstabant* enim remi, vt nauis coeptum cursum tenere non posset. *obuertere nauem* vertit Cic. illud Arateum, ἀνακόπτειν νῆα.

In spatium resilire manus breue vidit, et illas
Iam non esse manus, iam pinnas posse vocari.
Alter ad intortos cupiens dare brachia funes,
Brachia non habuit; truncoque repandus in vndas
Corpore desiluit: falcata nouissima cauda est;
Qualia diuiduae sinuantur cornua Lunae.
Vndique dant saltus; multâque adspergine rorant;
Emerguntque iterum; redeuntque sub aequora rursus;
Inque chori ludunt speciem; lasciuaque iactant
Corpora; et acceptum patulis mare naribus efflant.
De modo viginti (tot enim ratis illa ferebat)
Restabam solus: pauidum, gelidumque trementi
Corpore, vixque meum firmat Deus, Excute, dicens,
Corde, metum, Diamque tene. Delatus in illam,
Accensis aris, Baccheia sacra frequento.

(690. Plurimi Codd. *Chiamque*, sed *Diamque* i. e. Naxon cum Intpp. praefert Martini Var. Lectt. lib. II, c. 8. p. 80 ed. van der Kemp.) 691. Olim ed. *Accessi sacris.* Duo veteres *accedo.* Sed

679 *Funes*, retinacula ancorarum. *Tortos funes* dixit Virg. Aen. IV, 575. *dare*, extendere, porrigere. *trunco*, sine manibus. *nouissima*, extrema pars caudae. *falcari* et *sinuari*, curuari in formam falcis et sinus. Haec verba cum et ipsa similitudini inseruiant, similitudo, quae adspergitur, commode abesse poterat. *diuidua luna*, cum dimidius eius orbis cernitur. vid. Heins. Ab hac lunae specie fluxit verbum *lunari*, curuari. *Lunata cauda* delphinis tribuitur Senec. d. l.

683 Amant delphini non solum *saltus* et altissimos et velocissimos, verum etiam eiusmodi *lusus*, quales hic describuntur. *Lasciua*, quia in chori speciem ludunt. *Lasciui* autem drr. chori et saltationes propter motum molliorem. Tibul. II, 1, 88. Noctis currum sequuntur lasciuo Sidera fulua choro. Plin. IX Ep. 33, 9. delphinus *priorem lasciuiam repetit.* Praecesserat, *exsilit*, *mergitur*, *variosque orbes implicitat expeditque.* Virg. Aen. VIII, 673 in clypeo delphines *in orbem aequora verrebant caudis.* In capite foramen habent (*ein Spritzloch*), quo *acceptum mare*, haustam aquam marinam efflant, quod idem et balaenas maximo cum strepitu facere scimus.

687 *viginti.* Hygin. duodecim habet. *Vix meum*, vix memorem mei, exanimatum. Similiter Graeci ytuntur suo ἐμὲ; monente Heins. *firmat*, animum mihi addit. *Diam tene*, tene viam, quae ducit ad Diam. *Accendi*, calefieri. Ita *accensae vndae* Silius V, 605. vbi v. Drakenb. Hinc et *arae* drr. *accendi*, in quibus sacra fiunt. Tura autem dari Baccho sole-

Praebuimus longis Pentheus ambagibus aures,
Inquit; vt ira mora vires absumere posset,
Praecipitem famuli rapite hunc, cruciataque diris
Corpora tormentis Stygiae demittite nocti.
Protinus abstractus solidis Tyrrhenus Acoetes
Clauditur in tectis; et dum crudelia iussae
Instrumenta necis, ferrumque ignisque parantur;
Sponte sua patuisse fores, lapsasque lacertis
Sponte sua, fama est, nullo soluente, catenas.
Perstat Echionides: nec iam iubet ire, sed ipse
Vadit, vbi, electus facienda ad sacra, Cithaeron
Cantibus et clara bacchantum voce sonabat.
Vt fremit acer equus, cum bellicus aere canoro

Heins. ex primo Palat. Cantabr. et quinque aliis, *accensis*. Mauult tamen, *Accensusque Deo* aut *Adscitusque sacris*. Mss. Bersm. *Accessi terris*. G. 693. *adsumere* cod. Palat., quod cum D. Heinsio probat Wakef. Silu. Crit. P. V, p. 3. qui locum interpretatur: „Diu auscultauimus; et cuinam tuo bono? Vt scilicet in te tandem magis saeuiremus: hic est enim tuae narrationis exitus." Sed tamen *absumere*, quod, excepto cod. Berol., qui *consumere* profert, omnes codd. tuentur, praeferendum. Pentheus sibi speciem iusti et moderati iudicis hoc verbo praebere studet. vid. Gierig. ad vers. 577. E.

bant. IV, 11. Fit ergo Acoetes *famulus sacrorum* Bacchicorum vs. 574. In h. Hom. Deus eum retinet, facitque πανόλβιον.

692 Vid. ad vs. 577. Sine nexu grammatico, e natura irae, mox conuertitur ad famulos. *Praecipitem rapite*, maxima cum vi et celeritate auferte. *Demittere orco* dixit Virg. Aen. IX, 527. et *demittere corpora morti* Aen. X, 662. Sed Noster *demittere Stygiae nocti*, ex cuius imitatione Sil. Ital. V, 241. *damnare Stygiae nocti*. Ap. Eurip. eum vult ligare ad praesepe, sed insania correptus loco Bacchi taurum alligat.

696 *solida tecta*, carcer bene munitus. Sic IV, 645 *solida moenia* et VI, 573 *moenia solido saxo*. Ex *instrumentis necis* ardentes laminae commemorantur a Cic. Verr. V, 63. quo etiam h. l. *ferrum* et *ignis* respicere videntur. *crudelia*, crudelitati inseruientia. *Nullo soluente* otiosum videtur Capoferreo, quia praecessit *sponte sua*, quod ideo mutat in *innocuis*. Male. Solet Noster passim ita redundanter loqui, vt I, 90. *quae vindice nullo, Sponte sua, sine lege*, et vs. 102. *Ipsa — per se*, vbi vid. not. Et nunc quidem illud *sponte sua*, in quo vis miraculi, vrgendum erat.

701 Exitus Penthei, quem apud Eurip. vs. 1023 — 1152. nuntius narrat. *Cithaeron* electus ad orgia celebranda, quia Bacchus amat montes, vnde ipse ὄρειος.

704 *acer*, ferox, generosus; *fremit*, hinnit. *longis*, diu continuatis vno tenore. *ictus*, motus. Vid. ad IX, 583. Ap. Eurip. 910

Signa dedit tubicen, pugnaeque adsumit amorem:
Penthea sic ictus longis vlulatibus aether
Mouit; et audito clangore recanduit ira.

Monte fere medio est, cingentibus vltima siluis,
Purus ab arboribus, spectabilis vndique campus.
Hic oculis illum cernentem sacra profanis
Prima videt, prima est insano concita motu,
Prima suum misso violauit Penthea thyrso
Mater: Iō, geminae, clamauit, adeste sorores.
Ille aper, in nostris errat qui maximus agris,
Ille mihi feriendus aper. Ruit omnis in vnum
Turba furens. Cunctae coëunt, cunctaeque sequuntur
Iam trepidum, iam verba minus violenta loquentem,
Iam se damnantem, iam se peccasse fatentem.

713. *Io geminae.* Medic, *Ogeone* cum glossa, *a loco dictae:* Hinc Burm. coni. quod et Heins. in mentem venerat, *Et Ogygiae,* i. Thebanae; Thebae enim *Ogygiae* dictae. 716. *cunctaeque* dedit Heins. ex altero Patau. manult tamen *rabidaeque.* Schepper. *fremituque.* Vulgo, *trepidumque.*

sqq. insania iniicitur Pentheo, vt duos soles, duasque Thebas cernere sibi videatur, atque ita Bacchico habitu vestitus ludibrio spectantium exponitur. Eum auctorem secuti sunt alii, etiam poëtae Latini, Pacuv. et Virg. Aen. IV, 469. Ab his Noster discedens *ira* potius eum motum vsque ad finem seruat. *clangore,* nempe cymbalorum.

708 Describitur Cithaeron, ad cuius radices vallis erat opaca pinubus. Eurip. Bacch. vs. 1050. Dianae hanc siluam sacram fuisse, Pseudo-Virg. Cul. 108. memorat. *purus et* καθαρὸς dicitur locus ab arboribus nudus. Liu. 24, 14. *purus et patens campus. spectabilis,* qui totus spectari potest, oculis patet.

710 Secundum Eurip. 1040 sqq. ex arbore spectantem conspiciunt Cadmi filiae lapidibusque petunt et thyrsis, tum, arbore eruta, delapsum lacerant. *profanis,* non initiatis, ἀβακχεύτοισιν. Eurip. vs. 472. *insano concita motu,* θεοῦ πνοαῖσιν ἐμμανὴς, vs. 1092. *Mater* erat sacerdos Bacchi. ibid. vs. 1112. Ei Pentheus *aper* videtur, sed apud Eurip. *leo.* Apollod. omnino θηρίον. *Prima* cum vi repetitum; nam id quoque Bacchi opus, quod mater *prima* fecit ista.

716 Non displicet Schepperi coniectura, *fremituque* pro, *cunctaeque*, quam confirmare videtur Eurip. vs. 1129. quem loco Noster expressit, ὄχλος τε πᾶς Ἐπεῖχε Βακχῶν. Ἡ δὲ πᾶσ᾽ ὁμοῦ βοή. Et facile *fremituque* potuit corrumpi in *trepidumque,* quod est in Mss. fere omnibus. Caeterum *cunctae coëunt* languet post antecedentia.

Saucius ille tamen, Fer opem, matertera, dixit,
Autonoë: moueant animos Actaeonis vmbrae.
Illa, quid Actaeon, nescit; dextramque precanti
Abstulit: Inoö lacerata est altera raptu.
Non habet infelix quae matri brachia tendat:
Trunca sed ostendens disiectis corpora membris,
Adspice, mater, ait. Visis vlulauit Agaue,
Collaque iactauit, mouitque per aëra crinem;
Auulsumque caput digitis complexa cruentis
Clamat, Iö comites, opus haec victoria nostrum est.
Non citius frondes autumno frigore tactas,
Iamque male haerentes alta rapit arbore ventus,
Quam sunt membra viri manibus direpta nefandis.
Talibus exemplis monitae noua sacra frequentant,
Turaque dant, sanctasque colunt Ismenides aras.

722. Post hunc versum Vrbin. Langerm. et vnus Medic. tum Edd. quaedam inferunt illum, *Ille etiam vellet cum brachia tendere matri*, qui huc transscriptus videtur ex 1, 635. Sed nunc quidem Imperf. *vellet* minime conuenit τοῖς *habet* et *tendat*. Et verba *Non habet* etc. referuntur ad antecedentia *dextram precanti*. 724. *disiectis*. Heins. malebat *direptis* vel *discerptis*.

719 Apud Eurip. primum matrem implorat, quod sane veri est similius, praesertim cum mater agmen mulierum duceret, primaque in filium impetum faceret. Verba eius vs. 1118 sunt, Οἴκτειρε δ', ὦ μῆτερ, με, μηδὲ ταῖς ἐμαῖς Ἁμαρτίαισι παῖδα σὸν κατακτάνῃς. Sensum eorum et vim augoris Noster paullo ante *Iam trepidum — fatentem* bene et per gradationem expressit; et matrem mox vs. 724 multo grauius, quam verbis, mouere vult, *Trunca* etc. *Actaeonis*, dilanitati et ipsius, *vmbrae* hic bene adhibitae. *dextram* protendere solent precantes. *disiectis* non erat sollicitandum ab Heins. Eurip. 1134. quaelibet διεσφαίριζε σάρκας, tamquam pilam iactauit, ita vt pars sub saxis iaceret, pars in densis frondibus siluae, neque facile reperiri posset.

726 Bacchantes solebant et caput et comam, quam promissam atque solutam gerebant, iactare. Eurip. vs. 493. vid. Barnes. ad vs. 150. et Virg. Aen. VII, 394. *Auulsum caput*. Hinc intell. Horat. Serm. II, 3, 303. *Opus nostrum*. Eurip. vs. 1177. Ἐμὸν, ἐμὸν τὸ γέρας. Et Bacchum vocat καλλίνικον, pulchrae *victoriae* auctorem.

729 *frondes*, folia. *autumno*, autumnali. *tactas* eleganter, paullulum morsas. Auson. Id. 8, 10. *Mordeat autumnas frigus subtile pruinas.* Et saepe *autumnas dies*, *autumna tempestas*. *male*, non satis firmiter, vt Horat. I Sat. 3, 31. *alta*, tantum ornat. *Quam sunt* etc. Mulieres id effecere, non robore suo, sed Deo εὐμάρειαν addente earum manibus. Eurip. 1126.

P. OVIDII NASONIS METAMORPHOSEON

LIBER QVARTVS.

Minyeides.

At non Alcithoë Minyeïas orgia censet
Accipienda Dei; sed adhuc temeraria Bacchum
Progeniem negat esse Iouis, sociasque sorores
Impietatis habet. Festum celebrare sacerdos,

1. *Minyeïas.* Sic recte emendarunt Scaliger et Heins. hoc nomen, quod iam Lactant. tempore corruptum erat; in eius enim Argum. est *Minei filia*.

FAB. I. vs. 1—415. Minyeides solae non potuerunt tristi Penthei exitu moueri, vt Baccho sacra facerent. Cum igitur interea opus facerent, laboremque variis fabellis, quae sic commode intexuntur, leuarent, in vespertiliones mutatae sunt. Tractarunt hanc fabulam etiam Aelian. V. H. III, 42. atque e Nicandro et Corinna Anton. Lib. X. Ac hi quidem aliud facinus addunt, quod vnum de mulieribus illis Plutarch. Quaest. Graec. To. VII Opp. p. 197 Reisk. narrat.

Minyeides quae fuerint, non certo definiri potest, cum patronymica saepe nepotibus, pronepotibus et omnino posteris tribuantur. Si Plutarchum et Anton. audias, fuerunt Minyae filiae. De Minya autem eiusque genealogia v. Pausan. Boeot. p. 783. Fuit filius Chrysae, filiumque habuit Orchomenum, conditorem Orchomeni vrbis. Sed nihil ille de his mulieribus. Aeliano drr. Μινύων θυγατέρες, vt fuisse dicantur e populo Minyarum, i. e. populo Minyae imperio subiecto. Pausan. d. l. et Corinth. p. 178. Nomina earum varie exhibentur. Nostro vna est *Alcithoë*, altera *Leuconoe*, tertiam non nominat. A Plutarcho vrr. *Leucippe*, *Aristippe*, *Alcithoe*, Aeliano (et Antonino Liber.) *Leucippe*, *Arsippe*, *Alcathoe:* quae varietas vel librariis debetur, vel, vt saepe in mythis factum, ipsis auctoribus. Fuisse autem illae (quod et Aelian. tradit) mulieres honestae videntur maritorumque amantes, quae domi rei familiari operam dare mallent, quam noua sacra frequentare. Hinc, vt sacris illis honos accederet, poena ficta est, quam Bacchus ab istis sumserit.

De *Orgiis* v. ad III, 518. *Accipere*, celebrare. Eodem sensu *capere orgia* Virg. Aen. VII, 403. *temeraria*, impia in Deum, etiam VI, 32.

4 *sacerdos*, Tiresias. Bacchantes *pellibus* ceruorum et damarum tegi solebant, quae dicebantur *nebrides*; nam νεβρὸς est hinnulus. vid. Schol. Eurip. ad Phoen. vs. 798. *tegere* verb. propr. in sacris, cum vel caput velatur sertis, vel in Bacchana-

Immunes operum dominas, famulasque suorum,
Pectora pelle tegi, crinales soluere vittas,
Serta comis, manibus frondentes sumere thyrsos,
Iusserat; et saeuam laesi fore numinis iram
Vaticinatus erat. Parent matresque nurusque;
Telasque, calathosque infectaque pensa reponunt;
Turaque dant; Bacchumque vocant, Bromiumque, Lyaeumque,
Ignigenamque, satumque iterum, solumque bimatrem.
Additur his Nyseus, indetonsusque Thyoneus,

8. *et saeu.* Gruterus legit *aut s.* 10. Viuianus legit *infestaque* et explicat, non festa. Atque ita vnus Gronou. a manu prima. G. 11. *Lyaeum* omisso *que* Berol. cod., quod tamen abesse nequit. Est versus hypermeter, de quibus egregie egit Cl. Weichert in Comment. de Versu Poetarum Epicorum Hypermetro. Grimae 1819, 4. et nominatim de geminata copula *que* p. 16 sqq. Cf. IV, 780 et VI, 507. E.

libus corpus nebridibus. *crinales vittae*, vittae, quibus crines coërcebantur. Bacchantes enim, vt modo vidimus, passis capillis currere solebant. Etiam ap. Virg. Aen. VII, 403. haec orgia sic indicuntur, *Soluite crinales vittas. serta*, frondes pampineos aut hederaceos. *comis* reuocaui e plurimis Mss. namque *serta coma*, quod Heins. et Burm. e quibusdam placuit, minus suaue est. *laesi*, spreti.

10 Relictis rebus omnibus accurrunt. Expressit Eurip. Bacch. vs. 117. vbi ruunt ἀφ' ἱστῶν, παρὰ κερκίδων, *a telis et a radiis. calathi* erant in vasis muliebribus, fiscellae e viminibus factae, quae ab ima parte angustae, paullatim se in latitudinem laxabant, graec. τάλαροι. Etymol. M. τάλαρος, καλαθίσκος, κόφινος. Speciem eius exhibet Spanhem. ad Callim. p. 652. In eo pensa sua reponebant lanificae. *infecta*, pro imperfecta, paullo insolentius dictum. Sic et VI, 202.

11 Argumentum recenset hymnorum, quibus celebrauerint Bacchum. Hymni enim complectebantur nomina, virtutes et res gestas Deorum. Cf. Orpheus hym. 51. vbi eadem fere nomina. Et habemus hic loc. classic. de Baccho, quocum cf. III Fast. 713. Horat. III. od. 25. Senec. Oedip. vs. 404 sqq. *Bromius.* vid. ad III, 528. *Lyaeus*, qui curas soluit, a λύειν. *Ignigena*, πυρογενής. De hoc et de sqq. duobus v. III, 309 sqq. et quae nos et ibi et ad vs. 253 notauimus. (Adde Burm. Sec. ad Anthol. Lat. T. I p. 12.) Nomen autem *bimater* ab ipso Ouidio signatum videtur. Graecis hanc ob caussam διθυρος dictus a multis creditur. vid. Muret. Var. Lect. XIX, 1.

13 *Nyseus* a *Nysa*, monte et vrbe Indiae, vbi educatus. III, 314. *Thyoneus* ἀπὸ τοῦ θύειν, a furendo, vnde et Bacchantes *Thyades.* Schol. Apollon. ad Argon. I, 636. *Indetonsus* pro *intonsus*, ἀκειρεκόμης, frequens et Apollinis et Bacchi epitheton,

Et cum Lenaeo genialis consitor vuae,
Nycteliusque, Eleleusque parens, et Iäcchus, et Euan;
Et quae praeterea per Graias plurima gentes
Nomina, Liber, habes. Tibi enim inconsumta iuuentas:
Tu puer aeternus, tu formosissimus alto
Conspiceris coelo: tibi, cum sine cornibus adstas,
Virgineum caput est. Oriens tibi victus, ad vsque
Decolor extremo quâ tinguitur India Gange:

21. *tinguitur* e quinque Mss. recepimus c. Burm. quia est v. elegans, et quia India non *cingitur* a Gange. Burm. suadet *finditur*, quia India in duas partes a Gange diuiditur.

ob comam promissam, quam etiam in monumentis habent. *Longae comae*, Bacchi apud Martial. IV Epigr. 45. *Decet intonsus crinis vtrumque Deum.* Tibul. I Eleg. IV, 38.

14 *Lenaeus* ἀπὸ τοῦ ληνοῦ, a torculari, a calcatoria. *genialis vua*, quae facit, vt genio indulgeamus, laeti et hilares simus, egregium adeo vuae epitheton. X, 95. *genialis platanus.* XI, 95. *genialiter agere festum.* XIII, 929. *genialia serta.* Virg. G. I, 302. *genialis hiems*, apta conuiviorum hilaritati. Tibul. II, 3, 63 *iucundae consitor vuae. Nyctelius*, cuius sacra noctu celebrantur. Virg. G. IV, 521. *nocturnus Bacchus. Eleleus, Iacchus* et *Euan* a vocibus Bacchantium.

16 Repente, veluti furore abreptus et ipse, Liberum alloquitur. Similiter Claudian. 34, 33, forte ex imitatione Nostri. *inconsumta*, ἄφθονος, perpetua, aeterna. Tibul. I, 4, 37, *Solis aeterna est Phoebo Bacchoque iuuentas.* Additur *puer*, nam media est Bacchi aetas inter iuvenem et puerum III Fast. 773. *Conspiceris*, pro, *es*, non modo sonantius, sed etiam efficacius ad sensum. Nam *conspici* dicuntur, qui dote aliqua aut virtute insignes aliorum oculos in se conversos tenent. Fuisse autem Bacchum *formosissimum*, docet Brouckhus. ad Tibul. II, 3, 35. Hinc et *candidus* vocatur, v. c. Horat. I od. 18, 11. quo epitheto virgines vere insigniri solent. *Coelo* Bacchus impositus post victorias partas. Vs. 613. Regius et Burm. putant, Ouidium hic sequi eos, qui Solem et Bacchum eundem esse tradebant, quam rationem sane Virg. G. I. 5—7 secutus est. *Cornua* parua dantur Baccho non tam a pictoribus, quam a poëtis. Deponi poterant; haerebant enim non in capite, sed in filamine quodam. Erant autem cornua apud Veteres symbolum maiestatis et potentiae. vid. Th. Bartholin. de Vnicorn. cap. 2 et 3. Hinc Bacchus *corniger*, κεραῖος, κερασφόρος, ταυροκέρων. De *virgineo capite* vid. ad III, 607.

21 De expeditione Bacchi Indica, cuius crebra apud poëtas mentio, vid. Nonni Dionysiaca

Penthea tu, venerande, bipenniferumque Lycurgum
Sacrilegos mactas; Tyrrhenaque mittis in aequor
Corpora. Tu biiugum pictis insignia frenis
Colla premis Lyncum: Bacchae Satyrique sequuntur;
Quique senex ferulâ titubantes ebrius artus
Sustinet, aut pando non fortiter haeret asello.
Quacumque ingrederis; clamor iuuenilis, et vna
Femineae voces, impulsaque tympana palmis,

27. *aut* pro *et* dedi cum primo et sec. Palat. tertio et quarto Medic. Vrbin. aliisque nonnullis melioribus.

et Diod. Sic lib. IV. *Ganges* priscis temporibus erat terminus Indiae. Curt. VIII, 9. hinc *extremus Ganges*. *Tinguitur* exquisitius quam, irrigatur. Propert. I, 6, 32. *decolor* de colore vitiato et deformi dicitur. II. l. color fuscus intelligitur. Fusci enim sunt Indi propter solis aestum. Propert. III, 11, 16. vid. Brouckh. ad Propert. IV, 3, 10. *Furuam gentem* Indos dixit Iuvenal. XII, 86. Nempe *furuos* dicebant recentiores, quos antiqui *fuscos*. *decolor Indus* est etiam V Trist. III, 24. et *decolor India* Senec. Hipp. 345. *Colorati Indi*, nempe Aethiopes, Virg. G. IV, 293. *ad vsque*. vsque ad eam terram, qua.

22 In laudibus Bacchi commemorari etiam solet poena, qua affecerat contemtores orgiorum suorum. *Lycurgus*, Dryantis filius, Edonum in Thracia rex, cuius impietas et supplicium varie narratur. vid. Homer. Il. ζ, 130 sqq. Schol. Horat. ad II od. 19. Hygin. fab. 132. Diod. Sic. III, 61. Plutarch. de aud. poët. p. 6. ed. Krebs. Apollod. III, 5, 1. Apud Homer. Bacchi nutrices cum *bipenni* persequitur, eamque ob caussam a Ioue excoecatur; iuxta Hygin. vero, cum Bacchum de regno fugasset, pantheris obiicitur ab eodem Deo, postquam insania correptus vxorem et filium interfecerat. *bipennifer* vocatur etiam V Trist. III, 39. *Securiger* Senec. Oedip. vs. 471. Apud Homer. d. l. fert βουπλῆγα, quod, interprete Eustath. genus securis significat, quo tauri occidi solebant. Βουπλὴξ δὲ — πέλεκυς βοὸς ἀναιρετικός. *sacrilegos*, contemtores sacrorum et insolentes in Deum ipsum. *Tyrrhena corpora*, Tyrrhenos. III Fast. 723. *Tyrrhena monstra*. *Venerande*, sancte, sollemne in inuocationibus Deorum.

25 *Lynces*. V. ad III, 668. *premis*, scil. iugo. *picta*, auro argentoque distincta. *Satyri*, perpetui et fideles Bacchi comites. XI, 89. V Trist. 3, 37. *senex*, Silenus, Bacchi praeceptor et perpetuus comes. In monumentis antiquis vel ferula nitens, vel asino insidens repraesentatur. vid. Perizon. ad Aelian. V. H. III, 18; vbi ex vtroque genere gemmae. *ferula*, νάρθηξ, baculus oblongus, cauus et recipiendo igni aptus, quo in primis Bacchus et ministri eius vti solebant. vid. Barnes. ad Eurip. Bacch. vs. 147, et Perizon. d. l. vbi eius species expressa. Imitatus Nostrum est Claudian.

Concauaque aera sonant, longoque foramine buxus.
Pacatus mitisque, rogant Ismenides, adsis;
Iussaque sacra colunt. Solae Minyeïdes intus,
Intempestiuâ turbantes festa Mineruâ,
Aut ducunt lanas, aut stamina pollice versant,
Aut haerent telae, famulasque laboribus vrguent.
E quibus vna leui deducens pollice filum,

30. Sine caussa Heins. coni. *vncoque foramine*, quod multo etiam durius foret altero. 31. *Pacatus* ex vno recepit Heins. pro *placatus*. De hac varietate sollemni v. Lambin. ad Lucret. I, 9. 36. *filum*. Duodecim *fusum*, vt VI, 22. Sed v. Burm. ad Amorr. I, 14, 7. G.

Rapt. Pros. I, 19. *Ebria Maeoniis fulcis vestigia thyrsis*. Virg. Aen. III, 659. Trunca pinus *vestigia firmat*, — *artus*, pedes, *non fortiter haerere*, non firmiter insidere. Cic. p. Deiot. 10. *Vix haerere in equo senex poterat*. Silenus asino haerens in monumentis tenetur a Fauno.

30 *buxus*, tibia e buxo. *longo foramine*, longa serie foraminum. XII, 158. *longaue multifori delectat tibia buxi*. Horat. A. P. 203. contra *tibia tenuis simplexque foramine pauco*. Phrygiae tibiae *biforem cantum* tribuit Virg. Aen. IX, 618. *Pacatus* et mitis vocc. sollemnia in inuocationibus Deorum.

32 *Solas* has Deo aduersatas esse, monet etiam Aelian. *turbare*, profanare, quod 390 substituitur. Cic. H. R. 16. *Sacra ludosque conturbare*, Quinctil. Decl. 265. *publica sacra turbare*, *intus*, in aedibus, cum reliquae mulieres in Cithaerone baccharentur. *intempestiua Minerua*, cum alieno tempore operam darent lanificio, cui Minerua praeerat. Aelian. *αἱ μὲν περὶ τοὺς ἱστοὺς εἶχον καὶ ἐπονοῦντο περὶ τὴν Ἐργάνην*. *Textis operari Mineruae* dixit Tibul. II, 1, 65. *Aut* — *vrgent*, triplex mulierum graecarum opus. *ducunt lanas*. v. ad II, 411. Plenius Claudian. 20, 385 *vellera per tenues ferri producere rimas*. *Versari* a lanificis dr. et *stamen*, filum, et *fusus*, vt 221. VI, 22. Tibul. II, 1, 64. *Fusus apposito pollice versat opus*. *Haerent* rei, aut in re aliqua, qui sedulo eam tractant. *Haerere in libris* Cic. Attic. 13, 4. *haerere in iure*. Orat. I, 38.

36 *Vna*, Leucippe. *deducere* v. ad I, 4. *leui pollice*, vt VI, 22. Hercules contra Epist IX, 77. *crassa robusto deducit pollice fila*. *detinet*, lanificio occupatas retinet. Etiam ab Anton. vtr. *φίλεργος*. *opus leuamus* ipse explicat, *quod tempora longa videri non sinat*. Infra 295. sic *minuere laborem*. VI, 60 *fallere laborem*. Trist. IV, 1, 14, cantando *fallitur ancillae decipiturque labor*. Ibid. 1, 6. *graue mollit opus*. Adeo Noster hoc variavit. Virg. G. I, 293 texens mulier *longum cantu solatur laborem*. Sed cum h. l. cf. inprimis G. IV, 345. vbi Clymene inter sorores vellera carpentes Deorum amores narrat, *vario sermone*, variis fabellis vicissim narrandis. *vacuas*, non occupatas aliis rebus audiendis, III, 319 *vacua Iuno*. Sic sen-

Saucius ille tamen, Fer opem, matertera, dixit,
Autonoë: moueant animos Actaeonis vmbrae.
Illa, quid Actaeon, nescit; dextramque precanti
Abstulit: Inoö lacerata est altera raptu.
Non habet infelix quae matri brachia tendat:
Trunca sed ostendens disiectis corpora membris,
Adspice, mater, ait. Visis vlulauit Agaue,
Collaque iactauit, mouitque per aëra crinem;
Auulsumque caput digitis complexa cruentis
Clamat, Iö comites, opus haec victoria nostrum est.
Non citius frondes autumno frigore tactas,
Iamque male haerentes alta rapit arbore ventus,
Quam sunt membra viri manibus direpta nefandis.
Talibus exemplis monitae noua sacra frequentant,
Turaque dant, sanctasque colunt Ismenides aras.

722. Post hunc versum Vrbin. Langerm. et vnus Medic. tum Edd. quaedam inferunt illum, *Ille etiam vellet cum brachia tendere matri*, qui huc transscriptus videtur ex I, 635. Sed nunc quidem Imperf. *vellet* minime conuenit τοῖς *habet* et *tendat*. Et verba *Non habet* etc. referuntur ad antecedentia *dextram precanti*, 724. *disiectis*. Heins. malebat *direptis* vel *discerptis*.

719 Apud Eurip. primum matrem implorat, quod sane veri est similius, praesertim cum mater agmen mulierum duceret, primaque in filium impetum faceret. Verba eius vs. 1118 sunt, Οἴκτειρε δ', ὦ μῆτερ, με, μηδὲ ταῖς ἐμαῖς Ἁμαρτίαισι παῖδα σὸν κατακτάνῃς. Sensum eorum et vim angoris Noster paullo ante *Iam trepidum — fatentem* bene et per gradationem expressit; et matrem mox vs. 724 multo grauius, quam verbis, mouere vult, *Trunca* etc. *Actaeonis*, dilaniati et ipsius, *vmbrae* hic bene adhibitae. *dextram* protendere solent precantes. *disiectis* non erat sollicitandum ab Heins. Eurip. 1134. quaelibet διεσφαίριζε σάρκας, tamquam pilam iactauit, ita vt pars sub saxis iaceret, pars in densis frondibus siluae, neque facile reperiri posset.

726 Bacchantes solebant et caput et comam, quam promissam atque solutam gerebant, iactare, Eurip. vs. 493. vid. Barnes. ad vs. 150. et Virg. Aen. VII, 394. *Auulsum caput*. Hinc intell. Horat. Serm. II, 3, 303. *Opus nostrum*. Eurip. vs. 1177. Ἐμὸν, ἐμὸν τὸ γέρας. Et Bacchum vocat καλλίνικον, pulchrae *victoriae* auctorem.

729 *frondes*, folia. *autumno*, autumnali. *tactas* eleganter, paullulum morsas. Auson. Id. 8, 10. *Mordeat autumnas frigus subtile pruinas.* Et saepe *autumnas dies*, *autumna tempestas*. *male*, non satis firmiter, vt Horat. I Sat. 3, 31. *alta*, tantum ornat. *Quam sunt* etc. Mulieres id effecere, non robore suo, sed Deo ἐνδυναμοῦντι addente earum manibus. Eurip. 1126.

P. OVIDII NASONIS METAMORPHOSEON

LIBER QVARTVS.

Minyeides.

At non Alcithoë Minyeïas orgia censet
Accipienda Dei; sed adhuc temeraria Bacchum
Progeniem negat esse Iouis, sociasque sorores
Impietatis habet. Festum celebrare sacerdos,

1. *Minyeïas.* Sic recte emendarunt Scaliger et Heins. hoc nomen, quod iam Lactant. tempore corruptum erat; in eius enim Argum. est *Minei filia*.

FAB. I. vs. 1 — 415. Minyeides solae non potuerunt tristi Penthei exitu moueri, vt Baccho sacra facerent. Cum igitur interea opus facerent, laboremque variis fabellis, quae sic commode intexuntur, leuarent, in vespertiliones mutatae sunt. Tractarunt hanc fabulam etiam Aelian. V. H. III, 42. atque e Nicandro et Corinna Anton. Lib. X. Ac hi quidem aliud facinus addunt, quod vnum de mulieribus illis Plutarch. Quaest. Graec. To. VII Opp. p. 197 Reisk. narrat.

Minyeides quae fuerint, non certo definiri potest, cum patronymica saepe nepotibus, pronepotibus et omnino posteris tribuantur. Si Plutarchum et Anton. audias, fuerunt Minyae filiae. De Minya autem eiusque genealogia v. Pausan. Boeot. p. 783. Fuit filius Chrysae, filiumque habuit Orchomenum, conditorem Orchomeni vrbis. Sed nihil ille de his mulieribus. Aeliano drr. Μινύου θυγατέρες, vt fuisse dicantur e populo Minyarum, i. e. populo Minyae imperio subiecto. Pausan. d. l. et Corinth. p. 178. Nomina earum varie exhibentur. Nostro vna est *Alcithoë*, altera *Leuconoe*, tertiam non nominat. A Plutarcho vrr. *Leucippe*, *Aristippe*, *Alcithoë*, Aeliano (et Antonino Liber.) *Leucippe*, *Arsippe*, *Alcathoë*: quae varietas vel librariis debetur, vel, vt saepe in mythis factum, ipsis auctoribus. Fuisse autem illae (quod et Aelian. tradit) mulieres honestae videntur maritorumque amantes, quae domi rei familiari operam dare mallent, quam noua sacra frequentare. Hinc, vt sacris illis honos accederet, poena ficta est, quam Bacchus ab istis sumserit.

De *Orgiis* v. ad III, 518. *Accipere*, celebrare. Eodem sensu *capere orgia* Virg. Aen. VII, 403. *temeraria*, impia in Deum, etiam VI, 32.

4 *sacerdos*, Tiresias. Bacchantes *pellibus* ceruorum et damarum tegi solebant, quae dicebantur *nebrides*; nam νεβρὸς est hinnulus. vid. Schol. Eurip. ad Phoen. vs. 798. *tegere* verb. propr. in sacris, cum vel caput velatur sertis, vel in Bacchana-

Immunes operum dominas, famulasque suorum,
Pectora pelle tegi, crinales soluere vittas,
Serta comis, manibus frondentes sumere thyrsos,
Iusserat; et saeuam laesi fore numinis iram
Vaticinatus erat. Parent matresque nurusque;
Telasque, calathosque infectaque pensa reponunt;
Turaque dant; Bacchumque vocant, Bromiumque, Lyaeumque,
Ignigenamque, satumque iterum, solumque bimatrem.
Additur his Nyseus, indetonsusque Thyoneus,

8. *et saeu.* Gruterus legit *aut s.* 10. Viuianus legit *infastaque* et explicat, non festa. Atque ita vnus Gronou. a manu prima. G. 11. *Lyaeum* omisso *que* Berol. cod., quod tamen abesse nequit. Est versus hypermeter, de quibus egregie egit Cl. Weichert in Comment. de Versu Poetarum Epicorum Hypermetro. Grimae 1819, 4. et nominatim de geminata copula *que* p. 16 sqq. Cf. IV, 780 et VI, 507. E.

libus corpus nebridibus. *crinales vittae*, vittae, quibus crines coërcebantur. Bacchantes enim, vt modo vidimus, passis capillis currere solebant. Etiam ap. Virg. Aen. VII, 403. haec orgia sic indicuntur, *Soluite crinales vittas. serta,* frondes pampineos aut hederaceos. *comis* reuocaui e plurimis Mss. namque *serta coma,* quod Heins. et Burm. e quibusdam placuit, minus suaue est. *laesi*, spreti.

10 Relictis rebus omnibus accurrunt. Expressit Eurip. Bacch. vs. 117. vbi ruunt ἀφ' ἱστῶν, παρὰ κερκίδων, *a telis et a radiis. calathi* erant in vasis muliebribus, fiscellae e viminibus factae, quae ab ima parte angustae, paulsatim se in latitudinem laxabant, graec. τάλαροι. Etymol. M. τάλαρος, καλαθίσκος, κόφινος. Speciem eius exhibet Spanhem. ad Callim. p. 652. In eo pensa sua reponebant lanificae. *infecta*, pro imperfecta, paullo insolentius dictum. Sic et VI, 202.

11 Argumentum recenset hymnorum, quibus celebrauerint Bacchum. Hymni enim complectebantur nomina, virtutes et res gestas Deorum. Cf. Orpheus hym. 51. vbi eadem fere nomina. Et habemus hic loc. classic. de Baccho, quocum cf. III Fast. 713. Horat. III. od. 25. Senec. Oedip. vs. 404 sqq. *Bromius.* vid. ad III, 528. *Lyaeus,* qui curas soluit, a λύειν. *Ignigena*, πυρογενής. De hoc et de sqq. duobus v. III, 309 sqq. et quae nos et ibi et ad vs. 253 notauimus. (Adde Burm. Sec. ad Anthol. Lat. T. I p. 12.) Nomen autem *bimater* ab ipso Ouidio signatum videtur. Graecis hanc ob caussam δίθυρος dictus a multis creditur. vid. Muret. Var. Lect. XIX, 1.

13 *Nyseus* a *Nysa*, monte et vrbe Indiae, vbi educatus. III, 314. *Thyoneus* ἀπὸ τοῦ θύειν, a furendo, vnde et Bacchantes *Thyades.* Schol. Apollon. ad Argon. I, 636. *Indetonsus* pro *intonsus*, ἀκειρεκόμης, frequens et Apollinis et Bacchi epitheton,

Et cum Lenaeo genialis consitor vuae,
Nycteliusque, Eleleusque parens, et Iacchus, et Euan;
Et quae praeterea per Graias plurima gentes
Nomina, Liber, habes. Tibi enim inconsumta iuuentas:
Tu puer aeternus, tu formosissimus alto
Conspiceris coelo: tibi, cum sine cornibus adstas,
Virgineum caput est. Oriens tibi victus, ad vsque
Decolor extremo quâ tinguitur India Gange:

21. *tinguitur* e quinque Mss. recepimus c. Burm. quia est v. elegans, et quia India non *cingitur* a Gange. Burm. suadet *finditur*, quia India in duas partes a Gange diuiditur.

ob comam promissam, quam etiam in monumentis habent. *Longae comae*, Bacchi apud Martial. IV Epigr. 45. *Decet intonsus crinis vtrumque Deum.* Tibul. I Eleg. IV, 38.

14 *Lenaeus* ἀπὸ τοῦ ληνοῦ, a torculari, a calcatoria. *genialis vua*, quae facit, vt genio indulgeamus, laeti et hilares simus, egregium adeo vuae epitheton. X, 95. *genialis platanus.* XI, 95. *genialiter agere festum.* XIII, 929. *genialia serta.* Virg. G. I, 302. *genialis hiems*, apta conuiviorum hilaritati. Tibul. II, 3, 63 *iucundae consitor vuae. Nyctelius*, cuius sacra noctu celebrantur. Virg. G. IV, 521. *nocturnus Bacchus. Eleleus, Iacchus* et *Euan* a vocibus Bacchantium.

16 Repente, veluti furore abreptus et ipse, Liberum alloquitur. Similiter Claudian. 34, 33, forte ex imitatione Nostri. *inconsumta*, ἄφθονος, perpetua, aeterna. Tibul. I, 4, 37. *Solis aeterna est Phoebo Bacchoque iuuentas.* Additur *puer*, nam media est Bacchi aetas inter iuvenem et puerum III Fast. 773. *Conspiceris*, pro, *es*, non modo sonantius, sed etiam efficacius ad sensum. Nam *conspici* dicuntur, qui dote aliqua aut virtute insignes aliorum oculos in se conversos tenent. Fuisse autem Bacchum *formosissimum*, docet Brouckhus. ad Tibul. II, 3, 35. Hinc et *candidus* vocatur, v. c. Horat. I od. 18, 11. quo epitheto virgines vere insigniri solent. *Coelo* Bacchus impositus post victorias partas. Vs. 613. Regius et Burm. putant, Ouidium hic sequi eos, qui Solem et Bacchum eundem esse tradebant, quam rationem sane Virg. G. I. 5—7 secutus est. *Cornua* parua dantur Baccho non tam a pictoribus, quam a poëtis. Deponi poterant; haerebant enim non in capite, sed in filamine quodam. Erant autem cornua apud Veteres symbolum maiestatis et potentiae. vid. Th. Bartholin. de Vnicorn. cap. 2 et 3. Hinc Bacchus *corniger*, κεραῖος, κερασφόρος, ταυροκέρων. De *virgineo capite* vid. ad III, 607.

21 De expeditione Bacchi Indica, cuius crebra apud poëtas mentio, vid. Nonni Dionysiaca

Penthea tu, venerande, bipenniferumque Lycurgum
Sacrilegos mactas; Tyrrhenaque mittis in aequor
Corpora. Tu biiugum pictis insignia frenis
Colla premis Lyncum: Bacchae Satyrique sequuntur;
Quique senex ferulâ titubantes ebrius artus
Sustinet, aut pando non fortiter haeret asello.
Quacumque ingrederis; clamor iuuenilis, et vna
Femineae voces, impulsaque tympana palmis,

27. *aut* pro *et* dedi cum primo et sec. Palat. tertio et quarto Medic. Vrbin. aliisque nonnullis melioribus.

et Diod. Sic lib. IV. *Ganges* priscis temporibus erat terminus Indiae. Curt. VIII, 9. hinc *extremus Ganges*. *Tinguitur* exquisitius quam, irrigatur. Propert. I, 6, 32. *decolor* de colore vitiato et deformi dicitur. II. l. color fuscus intelligitur. Fusci enim sunt Indi propter solis aestum. Propert. III, 11, 16. vid. Brouckh. ad Propert. IV, 3, 10. *Furuam gentem* Indos dixit Iuvenal. XII, 86. Nempe *furuos* dicebant recentiores, quos antiqui *fuscos*. *decolor Indus* est etiam V Trist. III, 24. et *decolor India* Senec. Hipp. 345. *Colorati Indi*, nempe Aethiopes, Virg. G. IV, 293. *ad vsque*. vsque ad eam terram, qua.

22 In laudibus Bacchi commemorari etiam solet poena, qua affecerat contemtores orgiorum suorum. *Lycurgus*, Dryantis filius, Edonum in Thracia rex, cuius impietas et supplicium varie narratur. vid. Homer. Il. ζ, 130 sqq. Schol. Horat. ad II od. 19. Hygin. fab. 132. Diod. Sic. III, 61. Plutarch. de aud. poët. p. 6. ed. Krebs. Apollod. III, 5, 1. Apud Homer. Bacchi nutrices cum *bipenni* persequitur, eamque ob caussam a Ioue excoecatur; iuxta Hygin. vero, cum Bacchum de regno fugasset, pantheris obiicitur ab eodem Deo, postquam insania correptus vxorem et filium interfecerat. *bipennifer* vocatur etiam V Trist. III, 39. *Securiger* Senec. Oedip. vs. 471. Apud Homer. d. l. fert βουπλῆγα, quod, interprete Eustath. genus securis significat, quo tauri occidi solebant. Βουπλὴξ δὲ — πέλεκυς βοὸς ἀναιρετικός. *sacrilegos*, contemtores sacrorum et insolentes in Deum ipsum. *Tyrrhena corpora*, Tyrrhenos. III Fast. 723. *Tyrrhena monstra*. *Venerande*, sancte, sollemne in inuocationibus Deorum.

25 *Lynces*. V. ad III, 668. *premis*, scil. iugo. *picta*, auro argentoque distincta. *Satyri*, perpetui et fideles Bacchi comites. XI, 89. V Trist. 3, 37. *senex*, Silenus, Bacchi praeceptor et perpetuus comes. In monumentis antiquis vel ferula nitens, vel asino insidens repraesentatur. vid. Perizon. ad Aelian. V. H. III, 18; vbi ex vtroque genere gemmae. *ferula*, νάρθηξ, baculus oblongus, cauus et recipiendo igni aptus, quo in primis Bacchus et ministri eius vti solebant. vid. Barnes. ad Eurip. Bacch. vs. 147, et Perizon. d. l. vbi eius species expressa. Imitatus Nostrum est Claudian-

Concauaque aera sonant, longoque foramine buxus.
Pacatus mitisque, rogant Ismenides, adsis;
Iussaque sacra colunt. Solae Minyeïdes intus,
Intempestiuâ turbantes festa Mineruâ,
Aut ducunt lanas, aut stamina pollice versant,
Aut haerent telae, famulasque laboribus vrguent.
E quibus vna leui deducens pollice filum,

30. Sine caussa Heins. coni. *vncoque foramine*, quod multo etiam durius foret altero. 31. *Pacatus* ex vno recepit Heins. pro *placatus*. De hac varietate sollemni v. Lambin. ad Lucret. I, 9. 36. *filum*. Duodecim *fusum*, vt VI, 22. Sed v. Burm. ad Amorr. I, 14, 7. G.

Rapt. Pros. I, 19. *Ebria Maeoniis fulcis vestigia thyrsis*. Virg. Aen. III, 659. Trunca pinus *vestigia firmat*. — *artus*, pedes, *non fortiter haerere*, non firmiter insidere. Cic. p. Deiot. 10. *Vix haerere in equo senex poterat*. Silenus asino haerens in monumentis tenetur a Fauno.

30 *buxus*, tibia e buxo. *longo foramine*, longa serie foraminum. XII, 158. *longaue multifori delectat tibia buxi*. Horat. A. P. 203. contra *tibia tenuis simplexque foramine pauco*. Phrygiae tibiae *biforem cantum* tribuit Virg. Aen. IX, 618. *Pacatus et mitis* vocc. sollemnia in inuocationibus Deorum.

32 *Solas* has Deo aduersatas esse, monet etiam Aelian. *turbare*, profanare, quod 390 substituitur. Cic. H. R. 16. *Sacra ludosque conturbare*. Quinctil. Decl. 265. *publica sacra turbare*. *intus*, in aedibus, cum reliquae mulieres in Cithaerone baccharentur. *intempestiua Minerua*, cum alieno tempore operam darent lanificio, cui Minerua praeerat. Aelian. αἱ μὲν περὶ τοὺς ἱστοὺς εἶχον καὶ ἐπονοῦντο περὶ τὴν Ἐργάνην. *Textis operari Mineruae* dixit Tibul. II, 1, 65. *Aut — vrgent*, triplex mulierum graecarum opus. *ducunt lanas*. v. ad II, 411. Plenius Claudian. 20, 385 *vellera per tenues ferri producere rimas*. *Versari* a lanificis dr. et *stamen*, filum, et *fusus*, vt 221. VI, 22. Tibul. II, 1, 64. *Fusus apposito pollice versat opus*. *Haerent* rei, aut in re aliqua, qui sedulo eam tractant. *Haerere in libris* Cic. Attic. 13, 4. *haerere in iure*. Orat. I, 38.

36 *Vna*, Leucippe. *deducere* v. ad I, 4. *leui pollice*, vt VI, 22. Hercules contra Epist IX, 77. *crassa robusto deducit pollice fila*. *detinet*, lanificio occupatas retinet. Etiam ab Auton. vrr. φίλεργοι. *opus leuamus* ipse explicat, *quod tempora longa videri non sinat*. Infra 295. sic *minuere laborem*. VI, 60 *fallere laborem*. Trist. IV, 1, 14. cantando *fallitur ancillae decipiturque labor*. Ibid. 1, 6. *graue mollit opus*. Adeo Noster hoc variavit. Virg. G. I, 293 texens mulier *longum cantu solatur laborem*. Sed cum h. l. cf. inprimis G. IV, 345. vbi Clymene inter sorores vellera carpentes Deorum amores narrat, *vario sermone*, variis fabellis vicissim narrandis. *vacuas*, non occupatas aliis rebus audiendis, III, 319 *vacua Iuno*. Sic ses-

Dum cessant aliae, commentaque sacra frequentant,
Nos quoque, quas Pallas, melior Dea, detinet, inquit,
Vtile opus manuum vario sermone leuemus;
Perque vices aliquid, quod tempora longa videri
Non sinat, in medium vacuas referamus ad aures.
Dicta probant, primamque iubent narrare sorores.
Illa, quid e multis referat (nam plurima norat),
Cogitat; et dubia est, de te, Babylonia, narret,
Derceti, quam versâ squamis velantibus artus
Stagna Palaestini credunt celebrasse figurâ:
An magis vt sumtis illius filia pennis
Extremos albis in turribus egerit annos:

45. plurimi codd. *Derce*, exceptis vno Florentino et, vt videtur, Berolin. et Heidelberg., in quibus *Derceti*, quod probant Intpp. Sed *Derce* defendit Goetzius in diss. de ἰχθυολατρείᾳ (Lips. 1723. 4.) p. 28, quoniam Theon Comment. Graec. in Aratum ita scribat: „Quidam Δέρκην Veneris filiam dixere, quae in mare prolapsa, a piscibus seruata est." Pontanus praeterea correxit *Derceto*, quod tamen metrum non admittit. F. 46. *celebrasse* agnoscunt meliores. Nonnulli *coluisse*, vt II, 380. aut *habitasse*, quod posterius ex interpret. fluxit. 48. *albis* pro *altis* Heins. recte recepit e Florent. S. Marci et Rottendorph. vbi illud pro diuers. lect.

quitur longum episodium vsque ad vs. 588. quo commode iocosae aliquot et amatoriae fabellae intexuntur, quae vix melius, quam a mulieribus confabulantibus, narrantur. Earum numerum augent *dubitatio* primae mulieris et praeteritio tertiae 276 — 84.

45 *Dercetis* s. *Derceto* et alio nomine *Atergatis*, Dea Syriorum. Ei Venus laesa amorem iuuenis cuiusdam inspirauit, ex quo Semiramin enixa prae pudore se in lacum praecipitauit, in quo in piscem mutata iuxta Ascalonis stagnum colebatur, eiusque imago ex parte hominem, ex parte piscem referebat. Diod. Sic. III. Plin H. N. V, 32. *Filia* eius Semiramis a columbis educata credebatur. *versa squamis*, in squamas, vt alibi, *mutatus tauro*. *velare* de plumis et squamis dr. *Palaestini*, Syri, nam Syriae pars erat Palaestina. *celebrat* locum is, qui frequenter in eo versatur. *Sumere pennas* aut *alas* pro, in auem mutari, amat Ouid. V, 288. XI, 789. XII, 1. *albis in turribus*. Laudat Heins. I Trist. 9, 7. *Adspicis, vt veniant ad candida tecta columbae; Accipiat nullas sordida turris aues*, itemque Martial. Epigr. XII, 31. *Quaeque gerit similes candida turris aues*. Amant autem columbae loca altiora. Ex his fabulis Syri *et pisces et columbas in Deorum numero habebant*. Hygin. f. 197.

Nais an vt cantu, nimiumque potentibus herbis,
Verterit in tacitos iuuenilia corpora pisces;
Donec idem passa est: an, quae poma alba ferebat,
Vt nunc nigra ferat contactu sanguinis arbor.
Haec placet; hanc, quoniam vulgaris fabula non est,
Talibus orsa modis, lanâ sua fila sequente.
Pyramus et Thisbe, iuuenum pulcherrimus alter,
Altera, quas Oriens habuit, praelata puellis,
Contiguas tenuere domos, vbi dicitur altam
Coctilibus muris cinxisse Semiramis vrbem.
Notitiam, primosque gradus vicinia fecit;

Pyramus et Thisbe.

57. *tenuere.* Vulgo *habuere*, quod Heins. reiecit, quia *habuit* praecessit. 58. *cinxisse.* Vnus Med. *posuisse*, nempe quia alibi *vrbem ponere.* Sed nunc *muris* additum.

49 De *Naide* hac nihil certi commemorari potest. Lactant. in Arg. eam ait similiter cessisse in piscem. De *pontentibus herbis* vid. ad I, 522. *Cantu* et *herbis* vtebantur veneficae. VII, 98. *lana sua fila seq.* eleganter, dum lana deducitur in fila. *Sequi* de rebus ductilibus. V. ad Plin. VII Ep. 9, 11.

55 *Pyramus* et *Thisbe* Babylonii, triste amoris infelicissimi exemplum, quorum sanguine mori poma adspersa nigrum contraxerunt colorem. Caeterum a nullo alio scriptore antiquo tractata est haec fabula, et nisi ficta ab Ouidio, certe vt *non vulgaris* et ex Oriente translata, diligenter exornata. Valde autem afficit animos legentium. Aetas amantium, castus eorum amor, durities parentum, error, quo trahuntur, tristes denique eorum exitus multum valent ad commouendum animum. Omnia inter se conspirant ad fidem faciendam, atque ad naturae veritatem moresque amantium notata sunt. (Epitaphium Pyrami et Thisbes legitur in Anth. Lat. T. I. p. 106. sq. ed. B.; sed ibi Thisbe vocatur *Themisto.*)

57 E vs. 66. apparet, has domos habuisse communem parietem, quas, qui distincte loqui volunt, *continuas* (quod etiam h. l. est in Varr. lect.) aut *continentes* dicunt. *Contiguae* enim aut *attiguae* eae etiam dici possunt, quae se inuicem attingunt. Hoc nunc praestat, quia vs. 66 demum monetur, has domos *communem parietem* habuisse. Babylonia Iuuenal. X, 171 vr. *a figulis munita.* Similiter et Noster eam circumloquitur; eius enim maxime memorabiles *muri*, a Semiramide excitati, et in miraculis mundi adeo numerati. *coctiles*, quia instructi erant latere coctili, bitumine interliti. Habebant altitudinem centum cubitorum, vnde *vrbs alta.* vid. Curt. V, 1, 24 seqq. et qui ibi laudantur ab Interpp. Alias *altae vrbes* sunt celebres et valentes opibus.

59 *primos gradus*, scil. amo-

Tempore creuit amor: taedae quoque iure coissent,
Sed vetuere patres. Quod non potuere vetare,
Ex aequo captis ardebant mentibus ambo.
Conscius omnis abest; nutu, signisque loquuntur:
Quoque magis tegitur, tectus magis aestuat ignis.
Fissus erat tenui rimâ, quam duxerat olim,

60. Medic. et Argent. *iura*, quod placet Burm., qui comparat *coire societatem* e Cic. et Nep. Sed hoc durum nunc foret, minimeque poëticum. (63. Post *patres* maxima interpunctione incidit etiam H. Voss. p. 170. Bothius autem cor. *quae non p. vetari*, ne concurrant *vetuere*, *potuere*, *vetare*. Codd. tamen omnes vulgatam tuentur.) 64. Vulgo, *tanto magis*. Sed Burm. recepit vett. librorum scripturam, cum quia repetitio eiusdem verbi familiaris Ouidio, tum quia saepe Veteres post *quo* et *quanto* omittunt *eo* et *tanto*. (*tanto* tamen, quod et Seruius ad Virg. Aen. IV, 2 tuetur, praefert ex plerisque codd. Bothius, ne molestus sit concursus plurium verborum in *s* exeuntium. Eandem ob causam v. 69 cum Heinsio *voci* probat.)

tis, quod haud dubie subintelligendum est e vers. seq. nisi malis cum aliis *notitiam primosque gradus* per Hendiadyn exponere, primos gradus notitiae.

60 *taedae — coissent*, matrimonium quoque iniissent. Satis enim notum, in nuptiis taedas praeferri solitas sponsis. Hinc *taeda* poëtis de ipsis nuptiis. de ipso matrimonio IX, 721. XV, 826. *coire*, vt συνέρχεσθαι, de coniugibus. Iam *coissent iure taedae* fere dictum est, vt Ibid. 15. *sociata foedere lecti*, et infra VII, 403. *thalami foedere iungit*. Schirach. hic aliquid humani passus est. Cum enim verba ita iungeret, *taedae quoque coiissent*, idque *iure*, fieri haud poterat, quin ad interpretationem durissimam deferretur; *taedas* enim de amore accipit, qui se coniunxisset iure.

61 *Patres* possent esse omnino parentes, vt alibi *fratres* pro fratribus et sororibus, *reges* pro rege et regina. v. Bentl. ad Horat. I Sat. 5. 100. Rectius tamen nunc sensu vulgari capies; namque vs. 153 Thisbe ait, *miseri*, *meus illiusque*, *parentes*, vbi soli patres intel. qui duriores fere matribus in eiusmodi rebus esse solent. Post *patres* posui interpunctionem maximam, quam vir doctus ap. Clark. ad Hom. Il. γ, 39. et alius in Obseruatt. Miscel. Vol. II T. I p. 34. suasit. In vulg. lectione falsa est sententia. *Ex aequo*, ambo pariter, vnus aeque ac altera. IX, 719. Plin. pan. 83 de marito ac coniuge; *probati ex aequo*. *Captus* de amante. *nutu* etc. Venus docet vel *viro coram nutus conferre loquaces*, *Blandaque compositis abdere verba notis*, Tibul. I, 2, 22. *Quoque magis* etc. Sententia amoris naturam bene adumbrans, verbisque tropicis expressa similitudinem inuoluens. *tegitur*, celari cogitur. *aestuat*, calorem efficit. *magis*, eo magis. Drakenb. ad Liu. I, 25.

65 Vt sollertiam amantium notaret, haec de *rima* pluribus persecutus est. Propert. II, 13,

Cum fieret paries domui communis vtrique.
Id vitium nulli per secula longa notatum,
(Quid non sentit amor?) primi sensistis amantes,
Et vocis fecistis iter; tutaeque per illud
Murmure blanditiae minimo transire solebant.
Saepe vt constiterant hinc Thisbe, Pyramus illinc,
Inque vicem fuerat captatus anhelitus oris;
Inuide, dicebant, paries, quid amantibus obstas?
Quantum erat, vt sineres nos toto corpore iungi?
Aut hoc si nimium, vel ad oscula danda pateres!
Nec simus ingrati. Tibi nos debere fatemur,
Quod datus est verbis ad amicas transitus aures.
Talia diuersâ nequicquam sede loquuti,
Sub noctem dixere Vale; partique dedere
Oscula quisque suae, non peruenientia contra.
  Postera nocturnos Aurora remouerat ignes,
Solque pruinosas radiis siccauerat herbas:
Ad solitum coiere locum. Tum murmure paruo
Multa prius questi, statuunt, vt nocte silenti
Fallere custodes, foribusque excedere tentent:

69. *Vocis.* Heins. ex Vrbin. Theat. et tribus aliis, *voci.* 85. Burm. maunlt, *foribusque exire paternis*, quia vnus Thuani *exire.*

72. *Nunc licet per rimosas mittere verba fores.* Pro eo Noster mox iucunde *vocis facere iter.* Et *ducere* et *agere rimam* latinum est. v. Ciofan. *tutae*, quae non interciperentur, vt literae. *Murmur* sollemne de submissis et lenibus amantium confabulationibus.' A. A. II, 723 *murmur amabile.* *minimo* et 83 *paruo*, vt XI, 187 *vox parua.*

72 *Captatus anh. oris.* Rode, *beyde gegenseitig den Athem ihres Mundes einsaugen.* Non bene. *Anhelitus oris* est ipsum illud *murmur minimum*, idque *captabatur* auribus. Heroidd. 19, 53 *captare voces auribus.* III ex P. 4, 19 *captata per aurem.* *Inuidia* eleganter tribuitur rebus inanimis, quae prohibent aliquid fieri. V. ad X. 642. *Durum limen*, quod excludit amantem, R. Am. 508. *crudelis ianua* A. A. III, 581. Plerumque acerbius amantes in eiusmodi obstacula inuehi solent; sed nostri amantes leniore sunt ingenio, quod et ipsum eos commendat. *Quantum erat*, vox eorum, qui rem paruam esse dicunt, *was wär's denn mehr.*'

78 *Sedes*, locus, vbi stabant. *diuersa*, opposita. *nequicquam* pertinet ad votum illud, vt latius paries pateret. *pars*, nempe parietis.

85 *custodes*, ianitores. *fallere custodes*, clamculum exire,

Cumque domo exierint, vrbis quoque claustra relinquant:
Neue sit errandum lato spatiantibus aruo,
Conueniant ad busta Nini, lateantque sub vmbrâ
Arboris. Arbor ibi, niueis vberrima pomis,
Ardua morus, erat, gelido contermina fonti.
Pacta placent: et lux, tarde decedere visa,
Praecipitatur aquis, et aquis nox surgit ab îsdem.
Callida per tenebras, versato cardine, Thisbe
Egreditur, fallitque suos; adopertaque vultum
Peruenit ad tumulum, dictaque sub arbore sedit.
Audacem faciebat amor. Venit ecce recenti
Caede leaena boum spumantes oblita rictus,
Depositura sitim vicini fontis in vnda.

86. *Claustra* ex vno Bonon. dedit Burm. pro *tecta.* (*claustra* etiam cod. Berol.) Heins. coni. *septa,* 89. *vberrima.* Mss. Bersm. tertius Gronou. Zulichem. tertius Medic. *celeberrima*, vt III Amorr. V, 3. *celeberrimus ilice lucus.* 92. *surgit.* Quidam *exit*, aeque bene. v. Burm. (Bothius cor. *at aquis.* 97. *spumanti fervida rictu* cod. Vrbin., quod reiicit Burm. Sec. ad Anth. Lat. T. II, p. 492.)

vt non obseruentur a custodibus. *claustra,* portas clausas, vt Stat. Theb. X, 644. *Thebarum claustra.* Infra VIII, 70 *portarum claustra. Bustum*, sepulcrum, monumentum sepulcrale, τύμβος. Sic *bustum Sardanapali, Catulli*, aliorum apud Cic. Proprie *bustum* locus, in quo cadaver combustum et sepultum. v. Kirchm. de Funerib. Rom. lib. 3. cp. 1. init. Miror tamen a Nostro *busta* hic commemorata, cum Romae meretrices fere ad busta commorarentur, vnde *bustuariae moechae.*

90 *Fons* hic commemoratur propter vs. 98. *lux* pro sole. *Decedere* sollemne de occidentibus sideribus. Putant sumtum a praesidibus prouinciarum post expletum tempus a munere suo abeuntibus. Immo a militibus translatum. v. ad II, 114. s. *Praecipitatur,* prona via descendit in oceanum, II, 67 seqq. Virg. Aen. II, 9. *Nox coelo praecipitat.* Porro, *nox surgit,* quia poëtae ei non minus, quam Soli, decursum per coelum tribuunt, ita quidem, vt vel ab Oriente surgens Solis currum persequatur, vel, Sole in oceanum se praecipitante, ab eadem illa parte occidentali surgat. Ex hac posteriore ratione fluxit *aquis ab isdem.* Lactant. in Arg. narrat, eos matutino tempore ibi conuenisse.

93 *versato cardine.* Alibi *furtim verso* aut *tacito cardine* clam egredientes fores aperire drr. Tibul. I, 2, 10. 6, 12.

97 *caede boum,* sanguine boum caesarum, vt supra III, 143. *caede ferarum. Deponuntur* omnia, quae finiuntur, quibus quis liberatur. VIII, 47. *trepido pede* eleganter, vt I, 506 *penna trepidante.*

Quam procul ad Lunae radios Babylonia Thisbe
Vidit, et obscurum trepido pede fugit in antrum.
Dumque fugit, tergo velamina lapsa relinquit.
Vt lea saeua sitim multa compescuit vnda,
Dum redit in siluas, inuentos forte sine ipsa
Ore cruentato tenues laniauit amictus.
Serius egressus vestigia vidit in alto
Puluere certa ferae, totoque expalluit ore
Pyramus. Vt vero vestem quoque sanguine tinctam
Reperit, Vna duos nox, inquit, perdet amantes;
E quibus illa fuit longa dignissima vita;
Nostra nocens anima est: ego te, miseranda, peremi,
In loca plena metûs qui iussi nocte venires;
Nec prior huc veni. Nostrum diuellite corpus,
Et scelerata fero consumite viscera morsu,
O quicunque sub hac habitatis rupe, leones.
Sed timidi est optare necem. Velamina Thisbes
Tollit, et ad pactae secum fert arboris vmbram.
Vtque dedit notae lacrimas, dedit oscula vesti;
Accipe nunc, inquit, nostri quoque sanguinis haustus:
Quoque erat accinctus, demittit in ilia ferrum.
Nec mora: feruenti moriens e vulnere traxit.
Vt iacuit resupinus humi; cruor emicat alte;
Non aliter, quam cum vitiato fistula plumbo
Scinditur, et tenues stridente foramine longe

100. *trepido* pro *timido* e Cantabrig. dedit Burm. 113. Dominic. et vnus Gronou. *dente* pro *morsu*, vt Phaedr. I fab. 2, 24. *dente aspero*. Sed alterum grauius.

118 *haustus sanguinis*, profluentem sanguinem. VII, 333. XIII, 331. *traxit e vulnere*, quo celerius, sanguine emisso, exspiraret. *feruens vulnus*, eleganter, vulnus, ex quo ebullit sanguis calidus. Quod Virgil. Aen. IV, 689. dixit, *stridit vulnus*, id Noster similitudine illustrat. *Vitiari*, scindi. Supra *vitium* parietis, rima. *Eiaculatus* sangnis etiam VI, 260 describitur partim iisdem, partim aliis verbis. Nam, quod hic est *ictibus aëra rumpit*, id ibi non minus ornate, *terrebrata prosilit aura*. Mox *arborei — — colore* idem bis rursus dixit.

Eiaculatur aquas; atque ictibus aëra rumpit.
Arborei foetus adspergine caedis in atram
Vertuntur faciem: madefactaque sanguine radix
Poeniceo tinguit pendentia mora colore.

Ecce, metu nondum posito, ne fallat amantem,
Illa redit; iuuenemque oculis animoque requirit;
Quantaque vitarit narrare pericula gestit.
Vtque locum, et versam cognouit in arbore formam;
(Sic facit incertam pomi color) haeret, an haec sit.
Dum dubitat, tremebunda videt pulsare cruentum
Membra solum, retroque pedem tulit; oraque buxo
Pallidiora gerens, exhorruit, aequoris instar,
Quod tremit, exiguâ cum summum stringitur aurâ.
Sed postquam remorata suos cognouit amores,

124. *rumpit.* Louan. *pulsat*, quod placet Burm. 127. *Poeniceo* rescripsit Burm., cum vnus Ciofani et Mureti excerpta *puniceo*, caeteri *purpureo* haberent. Idem etiam *pendentia* e primo Vatic. et vno Medic. dedit. Hoc probat etiam vir doctus in Obseru. Misc. Vol. II To. I p. 34. quamuis alii praeferant *candentia*. (131. Waddelus Animadu. Crit. p. 106 cor. *veram* pro *versam*, monens, non arboris *formam*, sed poma *versa* fuisse. Quamquam igitur Thisbe cognouit, esse hanc veram (i. e. eandem, quam conventui constituerant) arborem, tamen propter poma mutata haeret. Sed mutato pomorum colore etiam *versa* est arboris *forma*. E.) 135. Heins. coni. *ferens* aut *rigens*, Schirach. *fremens*. Sed v. not.

128 *Fallere amantem* formula sollemnis de puellis, quae non praesto sunt ad dictum locum, se frustra exspectari sinunt. *oculis animoque req.* summum desiderium exprimit. Plin. VI Ep. 10, 2. *illum animus*, *illum oculi requirebant*. Similiter *animo oculisque sequi* infra XII, 529. *gestit* verb. delectum ex moribus puellae seruatae.

133 *tremeb.* etc. v. ad III, 125. *ora gerens* nec Heins. nec Schirach. satis latinum videtur. Sed si Horat. I od 8, 10. recte dixit, *brachia liuida gestare*, Noster autem II, 585. *pectora nuda gerere*, III, 216. *substricta gerere ilia*, VI, 123. *accipitris pennas et terga leonis gerere*, Virg. Aen. I, 314 *virginis os habitumque gerens*, cur quaeso improbemus *pallida ora gerere?* *Buxus* pallore notabilis originem dedit prouerbio, *buxo pallidior.* cf. XI, 417. — Tremor ille gelidus, qui perstringit membra exhorrescentium, suauiter comparatur cum tremulo mari, cum *summum*, superficies, *exigua aura*, leni vento, stringitur. Singula verba delecta sunt. Etiam *exhorrescere* de mari paullulum commoto ponitur. Virg. G. III, 199.

Percutit indignos claro plangore lacertos;
Et laniata comas, amplexaque corpus amatum,
Vulnera suppleuit lacrimis, fletumque cruori
Miscuit; et gelidis in vultibus oscula figens.
Pyrame, clamauit, quis te mihi casus ademit?
Pyrame, responde: Tua te, carissime, Thisbe
Nominat: exaudi, vultusque attolle iacentes.
Ad nomen Thisbes oculos, iam morte grauatos,
Pyramus erexit, visâque recondidit illâ.
Quae postquam vestemque suam cognouit, et ense
Vidit ebur vacuum; Tua te manus, inquit, amorque
Perdidit, infelix. Est et mihi fortis in vnum
Hoc manus; est et amor, dabit hic in vulnera vires.
Prosequar exstinctum, letique miserrima dicar
Caussa, comesque tui; quique a me morte reuelli
Heu sola poteras, poteris nec morte reuelli.
Hoc tamen amborum verbis estote rogati,
O multum miseri, meus illiusque, parentes,
Vt, quos serus amor, quos hora nouissima iunxit,

138. Quidam *perculit.* At *percellere* est, in terram dare, euertere; *percutere* autem verberare, plangere. V. Burm. late de discrimine horum verborum disputantem. 143. *Carissime* pro *carissima*, e Balliolensi et Regio secundo amplexus est Heins. (Sed *carissima* e reliquis codd. praefert Bothius p. 34. Refert ita Thisbe quasi ipsius Pyrami verba, qui putandus est saepe eam, Carissima mea Thisbe, appellasse.)

138 *Indignus*, vt I, 508. *clarus*, vt II, 625. *Vulnera suppleuit lac.* nil esse potest, nisi, quod sequitur, *fletumque* etc. *vultus iacentes*, languentes vel quiescentium, vel, vt h. l., morientium oculi, qui et *graues* aut *grauati* drr. Non adsecutus est haec Rode: *Blicke nur noch einmal mich an.* *Ad nomen*, vt III, 245.

148 *Eburneae* vaginae magno olim in honore. Homer. Od. Θ, 404. Virg. Aen. IX, 305. *in vulnera*, scil. infligenda. Saepe sic *in*, ad designandum propositum. *Prosequar* e Sixti cod. praetuli τῷ *persequar*, cum illud etiam Burm. placeret. Qui enim alterum comitatur, is eum *prosequi* potius dr. quam *persequi*. Etiam 550 cum multis sic corrigendum. *quique reuelli.* Hoc acumen abhorret a natura desperantis.

156 *Serus*, pro *certus*, dedi ex vno Moreti. Elegans haec lect. etiam Heynio ad Tibul. I, 2, 89 videbatur, si *serum amorem* interpreteris, qui diu iam

Componi tumulo non inuideatis eodem.
At tu, quae ramis arbor miserabile corpus
Nunc tegis vnius, mox es tectura duorum,
Signa tene caedis; pullosque, et luctibus aptos
Semper habe foetus, gemini monumenta cruoris.
Dixit: et aptato pectus mucrone sub imum
Incubuit ferro, quod adhuc a caede tepebat.
Vota tamen tetigere Deos, tetigere parentes:
Nam color in pomo est, vbi permaturuit, ater:
Quodque rogis superest, vnâ requiescit in vrnâ.

Veneris adulterium.

Desierat: mediumque fuit breue tempus; et orsa est
Dicere Leuconoë, vocem tenuere sorores.

167. *fuit.* Vnus Leidensis pro diuersa lect. *subit*, quod valde adblanditur Heinsio.

vignit, non nuper demum natum. Ego vero intelligo extremum; vltima enim et extrema *sera* dici solent, vt docuit Bronckh. ad Propert. I, 15, 21. Atque ita bene conuenit alteri, *hora novissima*. *Componi* nunc simpliciter condi. Alibi *componere*, vt περιστέλλειν, omnem curam exprimit, quam pollinctores impendunt cadaueribus. *non inuideatis*, μὴ φθονεῖτε, sinite, permittite. *Inuidere* omnino, non tribuere. Horat. II Sat. 6, 84. *Neque sepositi ciceris inuidit*, largiter apposuit. Virg. Aen. IV, 350. *Quae inuidia est?* quid impedit, quo minus fiat? Aliter Schirach. „Non inuideatis vnum nobis tumulum, adeoque coniunctos eodem sepulcro condatis."

160 *pullos* dixit, non nigros, propter pullam lugentium togam. *aptare*, praetendere ensem pectori, *tetigere*. Pro eo vs. 373. X, 489. *Vota suos habuere Deos*. — Duo mororum genera sunt, quorum alterum baccas albas, alterum nigras fert, quamquam prius genus veteribus notum fuisse non constat. Si caedes illa prope morum facta erat, aut facta fingebatur, facilis erat sententia illa poëtica, foetus arboris nigros lugere illam caedem.

167 *medium tempus*, internallum. Plin. VII epist. 27, 13. *Exiguum temporis medium*.

168 *Leuconoë*, soror altera, plures fabellas narrat, de Martis et Veneris adulterio, vs. 167—189. de amoribus Leucothoës et Solis, vs. 190—255. de Clytie vs. 256—270. Ac prima quidem non pertinebat ad consilium Leuconoës, quae *Solis* tantum *amores referre* volebat; verum hos inde repetiit. Potuisset eam verbo tangere; sed, quae Superis tantopere placuerat, et cum ab his, tum a mortalibus oblectationis caussa saepe adhibebatur (Virg. G. IV, 345), eam nec ab hoc suo opere abesse petulantia poëtae voluit, nec ab A. A. II, 561 sqq. Auctor eius est Homer. Od. Θ, 266 sqq. vbi Demodocus citharoedus, festum celebrare iussus, eam Phaeacensibus canit. cf. Hygin. fab. 148. Lucian. Dial. Deor. 17. Improbat fab. Plato Rep. III. Heynio in libro Antiqu. Aufsätze I p. 161 orta videtur ex Cosmogonia, in qua coniunctio

Hunc quoque, sidereâ qui temperat omnia luce,
Cepit amor Solem. Solis referemus amores.
Primus adulterium Veneris cum Marte putatur
Hic vidisse Deus: videt hic Deus omnia primus.
Indoluit facto, Iunonigenaeque marito
Furta tori, furtique locum monstrauit. At illi
Et mens, et quod opus fabrilis dextra tenebat,
Excidit. Extemplo graciles ex aere catenas,
Retiaque, et laqueos, quae lumina fallere possint,
Elimat. Non illud opus tenuissima vincant
Stamina, non summo quae pendet aranea tigno.
Vtque leues tactus, momentaque parua sequantur,
Efficit; et lecto circumdata collocat apte.
Vt venere torum coniux et adulter in vnum,
Arte viri, vinclisque noua ratione paratis,
In mediis ambo deprensi amplexibus haerent.
Lemnius extemplo valuas patefecit eburnas,
Admisitque Deos. Illi iacuere ligati

178. *elimat.* Burm. ad Amor. I, 13, 7 coni. *eliquat.* G.

elementorum et inde orta rerum harmonia, amore Martis et Veneris earumque filiae Harmonia adumbrata sit. Ex historia rem expediri vult Palaeph. cp. 63.

170 Ludit rursus verbis, *Solis, Solem; vidisse, videt.* De Sole *omnia vidente* v. ad I, 769. *Iunonigena,* Vulcanus, quem Iuno vel ex Ioue, vel sine patre concepit. Videtur Ouid. ipse hoc voc. fecisse, vt *anguigena* III, 531. *aurigena* V, 250. *draconigena* III Fast. 865. *Furta tori.* Homer. λέχος δ' ᾔσχυνε καὶ εὐνὴν Ἡφαίστοιο.

175 *Mens excidit* ei, qui obstupescit, vt mente priuatus, amens videatur. Cf. II, 601. vbi *vultus*, *plectrum* et *color* Apollini excidunt. Exornauit autem Noster sic Homeric. θυμαλγέα μῦθον ἄκουσε.

176 Ap. Homer. facit δεσμοὺς, inde Noster tria fecit, *catenas, retia, laqueos. ex aere.* Hygin. *ex adamante*, i. ex ferro. *graciles*, tenues. Ipse mox describit tenuitatem ex Homer. Ἠΰτ' ἀράχνια λεπτὰ, τάγ' οὔ κέ τις οὐδὲ ἴδοιτο. *laqueos*, *quae* consueto poëtarum more, qui relatiuum saepe accommodant remotiori nomini. (*quae* potius scripsit, vt pertineat ad omnia quae antecesserunt, ad *catenas*, *retia* et *laqueos.* E.) *Vtque leues* etc. vt leuibus tactibus et momentis paruis moueantur.

183 *Arte*, dolo, (vel potius dexteritate, qua vincula parauerat. E) *viri*, mariti Veneris. Homer. πέρι δολόεντα τέτυκτο, et omnem dolum περὶ δέμνια χεῦεν. *Lemnium* vituperat Lucian. quod ipse adulterium manifestarit. *admisit*, vt ap. Horat. A. P. init. *admissi risum teneatis?*

Turpiter. Atque aliquis de Dîs non tristibus optat
Sic fieri turpis. Superi risere: diuque
Haec fuit in toto notissima fabula coelo.
Exigit indicii memorem Cythereïa poenam,
Leucothea. Inque vices illum, tectos qui laesit amores,
Laedit amore pari. Quid nunc, Hyperione nate,
Forma, calorque tibi, radiataque lumina prosunt?
Nempe tuis omnes qui terras ignibus vris,

187. *Atqui* et *optet* cor. Heins.; sed *atque* recte tuetur H. Voss. in Both. Vind. p. 170, quocum tamen nollem *atque* interpretari *sed.* Indicat hoc verbum aliquid accedens, et potius est *inde*, *praeterea*, vt his verbis utamur. Plane eodem modo occurrit Epist. I, 31. *optat* autem recte cum Burm. et Gierigio defendit Bothius, quamquam alterum praeferat Gebhard. Crep. II, c. 2. Reuera enim id optasse dicitur Mercurius. 193. *calorque* ex primo Medic. et Norico ediderunt, Heinsium sequuti, Intpp., quam lectionem ex iis, quae statim sequuntur, comprobant. Sed *colorque* reliquorum codd. acriter defendit Bothius p. 34, idque refert ad pulcritudinem dei, coll. vs. 192, vbi *color* itidem de forma dicatur. Sensum loci ita describit: „Quid iuuat, te fomosissimum deorum esse? (nam Solem hic, more recentiorum, misceri cum Phoebo, indicio sunt vss. 201, 204, 5, 145, 6, quamuis Phoebi nomine nescio qua religione ductus abstineat in hac narratione Noster.) quid igitur iuuat, te id possidere, propter quod ultro expetendi videntur homines deique et quidquid amatur, formam, colorem (Phoebi), et radiata lumina (Solis)? Iam non expeteris, sed expetis etc." E.

187 Cf. A. A. II, 585. Ille *aliquis* de Diis *non tristibus* (quod, nunc satis venuste, per λιτότητα est iocantibus et ridentibus) fuit Mercurius, vt diserte tradit Homer. vs. 338. Et ap. Lucian. Mercurius ipse, Ἐγὼ μὲν ἐφθόνουν τῷ Ἄρει. Hinc sponte apparet, non bene Heins. mutasse *optat* in *optet*. *risere.* ἄσβεστος δ' ἄρ' ἐνῶρτο γέλως μακάρεσσι θεοῖσιν.

190 Venus vlciscitur Solis proditionem, dum ei iniicit Leucothees amorem, quae vitiata terrae defoditur a parente, sed a Sole in virgam tuream mutatur. Quae fuerit illa Leucothea, docetur vs. 219 sqq. Auctor fabulae Hesiodus, vt ex Lactantii Argum. apparet. Nec per se memorabilis est, nec a tractatione commendabilis.

memor referendum erat ad *Cythereiam*, sed et Virg. Aen. I, 4 *memorem Iunonis ob iram.* Poena testatur, memorem esse aliquem delicti. Quam varie *laedere* in re amatoria dicatur, admonitum est ad I, 608. Sensus: Qui occultos amores indicauit, eum vicissim amore iniecto cruciat. Ludit Ouidius verbis. Similiter mox vs. 195. *qui terras ignibus vris, Vreris* etc.

Vreris igne nouo: quique omnia cernere debes,
Leucotheen spectas; et virgine figis in vna,
Quos mundo debes, oculos. Modo surgis Eöo
Temperius coelo; modo serius incidis vndis,
Spectandique mora brumales porrigis horas.
Deficis interdum; vitiumque in lumina mentis
Transit; et obscurus mortalia pectora terres.
Nec, tibi quod Lunae terris propioris imago
Obstiterit, palles. Facit hunc amor iste colorem.
Diligis hanc vnam: nec te Clymeneue, Rhodosue,
Nec tenet Aeaeae genetrix pulcherrima Circes,
Quaeque tuos Clytie, quamuis despecta, petebat
Concubitus; ipsoque illo graue vulnus habebat
Tempore. Leucothee multarum obliuia fecit,
Gentis odoriferae quam formosissima partu

207. Magna hic lectionis varietas. Locus mendi suspectus videbatur Heinsio. Burm. legendum censebat. *Quaeque illo.* (Bothius ex altero Twisdeniano cod. praefert *ipsoque nimis graue* etc. et pro *habebat* cor. *alebat.* H. Voss. cor. *tuque ipse illo g. v. habebas.* Sed vulgata sana est. Sensus est: Clytie ipso hoc tempore, quo in Leucotheen ardebas, graue vulnus habebat, quia antea amata, nunc despecta, frustra petebat tuos concubitus. *ipso illo tempore*, quae verba Bothio displicent, sunt nostrum: zu eben dieser Zeit. E.)

195 Verba *quique — spectas* frigida, et sequentia: *et virgine — oculos*, intoleranda videntur Schirach. idque iure. Nempe argutatus est in accommodanda amoris vi ad Solis naturam. Tum, nec longior haec apostrophe, nec quae ei insunt, puellae confabulanti conueniunt.

198 *Temperius* (maturius) antiqui dixerunt, *temporius* recentiores, vid. Manut. ad Cic. IX Epist. 16. *porrigis*, longas facis breuissimas brumae horas. Romani cum ab ortu Solis vsque ad occasum XII horas numerarent per totum annum, tempore *brumali* eas habebant breuissimas. *Porrigere*, extendere. Horat. III od. 16, 40 *parua vectigalia porrigam. Vitium luminis* est pallor, isque color amantium. A. A. I, 729. Inde acumen hoc. Sol autem pallidus et obscurus inter mala praesagia referebatur. Virg. G. I, 464 sqq.

205 *Tenentur*, qui ardent amore alicuius. *Clymene*, mater Phaëthontis, de qua I, 756. *Rhodos*, filia Neptuni, quae ex compressu Solis septem filios, Heliades a patre dictos, peperit. *Aeaea*, Colchica, ab Aea, Colchidis vrbe, *Circe*, soror Aeetae, Colchorum regis, Aeaeam insulam incolens. Mater fuit *Persa*, Oceani filia, quacum concubuit Sol. vid. Homer. Od. κ, 135 sqq. *Clytie*, Oceani et Tethyos filia, de qua Noster mox plura. *Ipsoque illo* etc. Locum esse sanum, nec desiderare manum medicam, apparet e vs. 234 sq.

Edidit Eurynome; sed postquam filia creuit,
Quam mater cunctas, tam matrem filia vicit.
Rexit Achaemenias vrbes pater Orchamus: isque
Septimus a prisci numeratur origine Beli.
Axe sub Hesperio sunt pascua Solis equorum:
Ambrosiam pro gramine habent. Ea fessa diurnis
Membra ministeriis nutrit, reparatque labori.
Dumque ibi quadrupedes coelestia pabula carpunt;
Noxque vicem peragit; thalamos Deus intrat amatos,
Versus in Eurynomes faciem genetricis; et inter
Bis sex Leucotheen famulas ad lumina cernit
Leuia versato ducentem stamina fuso.
Ergo vbi, ceu mater, carae dedit oscula natae,
Res, ait arcana est; famulae, discedite; neue
Eripite arbitrium matri, secreta loquenti.

211. *vicit* verius mihi esse videbatur, quam, quod Heins. recepit, *vincit*. 221. Plerique e castigatioribus *leuia*. Heins. coni. *tenuia*. Gronov. *mollia*, quod Burm. intelligit de vestibus mollibus, quales v. c. Luc. VII, 25. 224. Ciofan. ex Mss. dabat *Abripite*, Heins. *Arripite* et *loquenti* pro *loquendi*, illud e plurimis Mss. hoc ex Florent. S. Marci et Vrbinate. Idem coni. vel *matre*

210 *Eurynome*, Oceani et Tethyos filia (Hesiod. Theog. vs. 358), vxor *Orchami*, *Achaemeniorum* i. Persarum regis. *Achaemenes* primus Persarum rex, Herodot. VII, 11. Plures *Belos* antiquitas habet, de quibus vid. Perizon. Origg. Babyl. Is, qui Babylona condidisse credebatur, et a Babylonii summa religione colebatur, ὁ ἀρχαῖος, et *antiquus* dicebatur. *Prisci* enim et *antiqui*, monente Burm., poëtis dicuntur auctores et conditores gentium regnorumque. Hoc additamento Leucotheen a generis antiquitate commendare voluit. Verbis *quam mater* etc. exornavit illud Horat. I od. 16, 1. *O matre pulchra filia pulchrior.* Similis comparatio II, 722 sqq.

214 *Axis* alias coelum, nunc terra. De *ambrosia* istorum equorum v. ad II, 120. Ibi stant ad praesepia, hic errant in pascuis. *reparat*, reficit. *Capere pabula*, iis vesci, etiam Fast. IV, 750. *vicem peragit* e re militari ductum.

218 De *thalamis* vid. ad II, 738. De mutatione hac v. ad III, 273. *amatos*, in quibus habitabat amata. *ad lumina*. Sueton. Caes. 37. *Adscendit Capitolium ad lumina.* Similiter graece πρὸς φῶς. *Leuia* non est sollicitandum. Supra vs. 36 *leui pollice.* (Immo *laevia*, glabra.)

224 *Remotis arbitris* passim occurrit, cum omnes abire iussi sunt, nec quisquam admittitur, qui sermonem audiat. *Eripite*

Paruerant: thalamoque, Deus, sine teste relicto,
Ille ego sum, dixit, qui longum metior annum,
Omnia qui video; per quem videt omnia tellus:
Mundi oculus. Mihi, crede, places. Pauet illa: metuque.
Et colus, et fusus digitis cecidere remissis.
Ipse timor decuit. Nec longius ille moratus,
In veram rediit faciem, solitumque nitorem.
At virgo, quamuis inopino territa visu,
Victa nitore Dei, positâ vim passa querelâ est.
Inuidit Clytie (neque enim moderatus in illâ
Solis amor fuerat) stimulataque pellicis irâ,
Vulgat adulterium; diffamatumque parenti
Indicat. Ille ferox, immansuetusque precantem,
Tendentemque manus ad lumina Solis, et Ille
Vim tulit inuitae, dicentem, defodit alta
Crudus humo; tumulumque super grauis addit arenae.
Dissipat hunc radiis Hyperione natus; iterque

in secreta (locum secretum) *loquente*, vel *matri secreta volenti*. (*loquendi*, quod et Berol. et Heidelb. codd. tuentur, praefert Bothius, coll. Horat. A. P. 72.) 226. Medic. pr. et tres alii, *emetior*. 228. Heins. coni. *Mundi oculis*, *mihi crede*, *places*, i. meis oculis, qui sunt mundi oculi. 229. Schepper. legendum censet, *Et color et fusi*. Posterius habent multae editt. 236. Heins. maluit, *diffamatamque*. 241. *Dissipat*. Gebhard. II Crep. 9. *diuidit* ex Mss.

reuocaui e plurimis Mss. et Edd. antiquis. Sensus: Non eripite matri potestatem secreta loquendi. *Arripere arbitrium* absolute quidem dici potest, sed non seq. Datiuo. Sol *metitur annum*, quia homines eius decursu annum definiunt. Commendat se Sol, vt Apollo I, 512 sqq. Iupiter I, 594. *Mundi oculus*. Macrob. I Saturn. 21. *Solem Iouis oculum appellat antiquitas*. — *Et colus* etc. cf. 175.

230 *decuit*. Mox vs. 330. *Sed et erubuisse decebat*. VI, 18. *decor adfuit arti*. VII, 733. *quam sic dolor ipse decebat*. Adde VIII, 25 sqq. X, 590. — *posita querela*, sine querela.

234 *neque enim* etc. vid. vs. 258. Lactant. in Arg. *qua nondum satiatus erat Sol*. *Ira* in *pellicem* concepta. vid. Burm. *diffamatum*, vulgatum, verb. nouum.

239 *defodit* etc. Supplicium frequens temeratae virginitatis, quo Romani etiam in virgines Vestales animaduerterunt. Burm. *grauis*, qua statim necabatur virgo.

241 Monet Vir doct. in Miscell. Obseruatt. Vol. II. To. I. p. 35. Solem hic officium prae-

Dat tibi, quo possis defossos promere vultus.
Nec tu iam poteras enectum pondere terrae
Tollere, Nympha, caput; corpusque exsangue iacebas.
Nil illo fertur volucrum moderator equorum
Post Phaëthonteos vidisse dolentius ignes.
Ille quidem gelidos radiorum viribus artus
Si queat in viuum tentat reuocare calorem:
Sed, quoniam tantis fatum conatibus obstat,
Nectare odorato sparsit corpusque locumque,
Multaque praequestus, Tanges tamen aethera, dixit.
Protinus imbutum coelesti nectare corpus
Delicuit, terramque suo madefecit odore;
Virgaque per glebas sensim radicibus actis
Turea surrexit, tumulumque cacumine rupit.

Clytie.

At Clytien (quamuis amor excusare dolorem
Indiciumque dolor poterat,) non amplius auctor
Lucis adit; Venerisque modum sibi fecit in illâ.
Tabuit ex illo dementer amoribus vsa,
Nympharum impatiens; et sub Ioue, nocte dieque,

246. Heins. legi vult *Phaëthontiacos.* (248. *tentet* quod ex cod. Geneu. reposuerunt Heins. et Burm., recte respuit Bothius et defendit reliquorum codd. lectionem *tentat*, quam in textum reuocaui. Res enim certa indicatur. Expunxi etiam commata, quibus distinxerunt post *artus* et *queat.* Structura est: Ille tentat, si queat in viuum calorem reuocare etc. E.) 249. *tantis.* Heins. suadet *vanis.*

stare, quod cum omnibus radiis praestare nequet. At in mythis non quaeritur, quid ex legibus naturae fieri potuerit, sed illae nouantur, et Dii omnia possunt. *Phaëth. ignes*, fulmen, quo Phaëthon necatus. II, 396. Male Rode: *seit der Phaëthontischen Feuersbrunst.*

251 *Tanges aethera*, quia tus, quod adoletur, sursum tollitur. *Deliquescere* nunc de corpore crasso, quod transit in tenue plantae.

256 *Clytie in heliotropium.*

258 *modum*, finem. Propert. II, 12, 30 V*erus amor nullum nouit habere modum. dementer amorib. vti*, insano amore flagrare. *Nympharum impatiens*, reformidans consuetudinem Nymph. vt supra *viri impatiens.* Contra *pati* de eo, qui amat consuetudinem aliorum, iisque obsequitur. Terent. Andr. I, 1, 35. *facile omnes perferre ac pati. sub Ioue*, ὑπὸ Διός, sub dio.

Sedit humo nudâ, nudis incomta capillis;
Perque nouem luces, expers vndaeque cibique,
Rore mero, lacrimisque suis ieiunia pauit;
Nec se mouit humo: tantum spectabat euntis
Ora Dei, vultusque suos flectebat ad illum.
Membra ferunt haesisse solo: partemque coloris
Luridus exsangues pallor conuertit in herbas.
Est in parte rubor; violaeque simillimus ora
Flos tegit. Illa suum, quamuis radice tenetur,
Vertitur ad Solem; mutataque seruat amorem.
Dixerat: et factum mirabile ceperat aures.
Pars fieri potuisse negant; pars omnia veros
Posse Deos memorant; sed non est Bacchus in illis.
Poscitur Alcithoë, postquam siluere sorores:
Quae radio stantis percurrens stamina telae,
Vulgatos taceo, dixit, pastoris amores

261. Vnus *humi nudae*, quod arridet Heins. non idem Burm. Vnus *sparsis* pro *nudis*. Sed *nudi capilli* etiam VII, 183. G. — In plurimis codd. esse videtur *madidis capillis*, quod probat H. Voss.; quamquam *nudis* magis conuenit Ouidii ingenio. vid. epist. XIV, 100. 273. Reuocaui e plurimis codd. *est*, pro *et*, quod non recte,

263 *Rore ieiunia pascere*, exquisitius quam rore vesci, rore pasci. *nouem luces.* Vid. ad X, 73. *euntis*, per coeli ambitum decurrentis. *haesisse*, nempe radicibus, quod additum I, 551. IX, 551. *Pallor* et mortuis tribuitur, et viridibus herbis. Virg. Ecl. VI, 54. *viridis pallor* Cul. 142. Idem color *exsanguis* dr. Inde impeditior haec et argutior formula *partemque* etc., qua pars Nymphae in calamum viridem transiisse indicatur. De *lurido* v. ad I, 147.

270 Mane spectat ortum Solis, vespere occasum. Sic *vertitur ad Solem*, πρὸς ἥλιον τρέπεται, et inde *heliotropium*, Nostris *Sonnenblume* dicitur. Arg. *cursum seruat Dei.* Ex hac autem floris natura fabula nasci potuit. *ceperat aures*, attentas reddiderat puellas, easque admiratione impleuerat. Hinc illae disputationes, quales etiam VIII, 614 sqq. varietatis caussa interponuntur. *Bacchus.* num *Bacchum?*

274 *Alcithoë*, tertia soror, de *Salmace* fonte et *Hermaphrodito* narrare incipit. Sed praeteritione rhetorica vtens, alios quosdam mythos breuiter attingit. *Poscitur* non modo is, qui ad canendum, dicendum, narrandum excitatur, sed et ad quem ordo narrandi venit, licet a nemine sollicitetur. Veteres in texendo stamina ad perpendiculum extendere solebant. Hinc *stans* tela; alibi *pendula*, ut Heroid. I, 10.

Daphnidis Idaei, quem Nymphe pellicis irâ
Contulit in saxum: tantus dolor vrit amantes.
Nec loquor, vt quondam naturae iure nouato
Ambiguus fuerit modo vir, modo femina, Scython.
Te quoque, nunc adamas, quondam fidissime paruo,
Celmi, Ioui; largoque satos Curetas ab imbri,
Et Crocon in paruos versum cum Smilace flores
Praetereo; dulcique animos nouitate tenebo.

Salmacis.
Vnde sit infamis, quare male fortibus vndis
Salmacis eneruet, tactosque remolliat artus,

Heinsio suadente, receperunt Intpp. Gierigii autem correctio *Bacchum* metri leges violat. E. 278. *contulit.* Plures *transtulit*, probante Farnab. 280. Vetustiores, *Sithon.* 283. Multi *Milace.* Salmas. Exercit. Plin. p. 733. docet, differre *smilacem* et *milacem.* Vide tamen Munker. ad Lactant. Arg.

277 *Daphnis*, Mercurii filius, pastor Siculus, a Pane musicen edoctus, bucolicorum carminum inuentor. Nunc amabat Nympha quaedam ea lege, ne cum alia rem haberet. Sed vino quondam inebriatus cum regina Sicula concubuit. Hinc Nymphae ira oculis est priuatus. Sic fere rem narrant Diod. Sic. IV, 87. Aelian. V. H. X, 18. Seru. ad Virg. Ecl. V, 20. Huius Daphnidis laudes multis pastoritiis carminibus materiam praebuerunt Theocrit. Id. I, VII. Virg. Ecl. V. Hinc *vulgatos amores.* Sed Noster, alios haud dubie secutus auctores, eum facit *Idaeum*, quem Nympha *in saxum* mutat. *contulit*, conuertit. *Vrere* de omni adfectu; est enim omnino cruciare.

279 De *Scythone* fab. ignota. *nouato iure*, nouis et inauditis naturae legibus. *ambiguus.* vid. ad II, 9.

282 *Celmus*, aut *Celmis*, nutritius Iouis, cui, dum *paruus* erat, et fidus et admodum gratus fuit. Sed cum postea vulgasset, Iouem esse mortalem, in *adamantem* ab eo versus est. *Curetes* iidem, qui *Corybantes.* vid. Hygin. fab. 139. ibique Munker. Erant antiquissimi Cretae incolae. Ex imbribus procreati dicebantur. Sed pleraque de iis ignota sunt. *ab*, ex.

284 *Crocos*, adolescens, quem amabat *Smilax.* Ambo in flores cognomines mutati sunt. — *tenebo*, oblectabo. *nouitas*, nondum vulgata fabula; nouae autem fabulae *dulces* sunt, libentissime audiuntur. Horat. A. P. 223 *grata nouitate morari spectatores.*

285 *Salmacis*, fons Cariae, *infamis* apud Veteres hoc nomine, quod ex eo bibentes eoque se lauantes effeminet, molliatque. cf. XV, 319. Caussam huius infamiae quaesiuerunt multi. Vitruuio II, 8. credibile videtur, Caras barbaros et efferatos dul-

Discite. Caussa latet; vis est notissima fontis.
Mercurio puerum diuâ Cythereïde natum
Naïdes Idaeis enutriuere sub antris;
Cuius erat facies, in qua materque paterque
Cognosci possent: nomen quoque traxit ab illis.
Is tria cum primum fecit quinquennia, montes
Deseruit patrios: Idaque altrice relicta
Ignotis errare locis, ignota videre
Flumina gaudebet, studio minuente laborem.
Ille etiam Lycias vrbes, Lyciaeque proprinquos
Caras adit. Videt hic stagnum lucentis ad imum

291. Vnus *agnosci.* 295. *minuente.* Vnus Heins. *fallente.* Vid. not. ad vs. 39. G.

cedine huius fontis allectos esse, vt ex montibus ad eum decurrerent, ibique, cum in vnam societatem coaluissent, paullatim molliores mores assumerent. Ex mente autem Sext. Pompeii nequitia puerorum puellarumque, promiscue in hoc se fonte lauantium, originem infamiae dederat. Ab effeminatis accolarum moribus hanc infamiam poëtas transtulisse ad fontem, monet Strabo lib. XIV. Aucta est fab. eo, quod vicina erant Veneris et Mercurii templa, quae *Hermaphroditum* genuerunt. In Anthol. p. 130. exstat epigramma elegans, quod omnem ab hoc fonte infamiam amolitur. Noster rem rursus ex fabulis repetit. Pluribus virtutibus huius loci tractatio commendatur. Amoenitas fontis „ mollities, blanditiae, furor et colluctatio Nymphae, tum simplicitas pueri bene sunt descripta et plurimis similitudinibus exornata.

Remolliat, molliat. Vix h. compositum sic apud antiquiorem occurrit. Secundum Vitruu. *venereo morbo implicabat* (in Venerem procliues reddebat) eos, qui inde biberant. Pro eo mox, *molles et impudicos reddere.* Sic et ap. Strabonem d. l. *μαλακίζειν* capies. Quam vim autem Noster h. v. subiecerit, ex vs. 385 apparet, facere semiuirum. *Male fortes* dictum, vt 187 *non tristis; male* enim saepe negat, vt *male sanus*, *male sobrius. latet*, nempe vulgo. Ergo Alcithoë eam vult explicare. *vis*, natura mirabilis.

288 Hunc puerum, a parentibus Hermaphroditum dictum, Hygin. fab. 271 in ephebis formosissimis recenset. *in qua* etc. Plin. V Ep. 16. filia *patrem exscripserat*, veluti ad imaginem patris picta erat. *Facere annos* phrasis in titulis sepulcralibus obuia, notante Burm. *Altrices* et *nutrices* drr. terrae, in quibus quis educatus est. Ex more Ouidiano debebat esse, *montibusque relictis*, sed variauit orationem. *flumina* diserte commemorantur propter fab. seq. *studium*, cupiditas visendi loca ignota, quae etiam v. *gaudebat* exprimitur. *laborem*, molestias itinerum. De v. *minuere* v. ad vs. 39. Hoc additum, quia puer ille non nisi quindecim annorum.

297 Vitruu. d. l. *Est eius fontis potestas perlucida.* Id

Vsque solum lymphae. Non illic canna palustris,
Nec steriles vluae, nec acutâ cuspide iunci;
Perspicuus liquor est. Stagni tamen vltima viuo
Cespite cinguntur, semperque virentibus herbis.
Nympha colit; sed nec venatibus apta, nec arcus
Flectere quae soleat, nec quae contendere cursu;
Solaque Naïadum celeri non nota Dianae.
Saepe suas illi fama est dixisse sorores:
Salmaci, vel iaculum, vel pictas sume pharetras,
Et tua cum duris venatibus otia misce.
Nec iaculum sumit, nec pictas illa pharetras,
Nec sua cum duris venatibus otia miscet.
Sed modo fonte suo formosos perluit artus;
Saepe Cytoriaco deducit pectine crines,

298. *Nymphae* quinque codd., quod exemplis probare studet Heins. ad ep. V, 31; sed *lymphae* defendit Hand ad Gronou. Diatr. Stat. pag. 179. monens: „poëtae dicunt *lympham* cum aquam ipsam vel humorem et undam intelligunt; *nympham* vero, quum vel omnino fontes vel eius praesidem deam volunt, aquae naturam non respicientes." E. 304. *nota*. Dubitabat Heins. an non praestaret *vota*. 311. Scaliger legebat, *diducit*. (*deducit* tamen probat Gronou. Diatr. Stat. p. 102. ed. H. et *deducere crines* explicat capillos tenuare et formare in speciem decoram.)

exornauit Noster. cf. V, 588. Claudian. 35, 144 sqq. Et par erat, h. l. perspicuitatem illam describere propter 354 sqq. Sed post superiora otiosum *persp. liquor est*.

302 Sequitur loc. satis venustus, qui egregie pingit ingenium et studium puellae mollis, id vnum agentis, vt placeat. Contrarii mores Daphnes I, 475 sqq. et Callistus II, 411 sqq. Oppositio est in *aptae* et *quae soleat*, quorum illud ad naturam, hoc ad exercitationem referendum. *Contendere cursu* cum feris, quod et ipsum venatricis est. Plin. pan. 81. *certare cum fugacibus feris cursu*. Horat. I Ep. 18, 51. *cursu superare canem, vel viribus aprum*. Inde et subiicitur *celeri non nota Dianae*. Nimis ferme cumulauit verba. Mox iucundum est, quod sorores ipsae loquentes inducuntur, et quod verba earum a poëta repetuntur. *pictas*. V. ad II, 421. Male Rode: *den gemahlten Köcher*. *Miscemus* ea, quae interrumpimus aliis rebus. Plin. VIII Ep. 21, 2. *distinguo graviora lusibus*. *durus*, qui membra dura reddit, corroborat, vt *durum opus* rusticorum. H. l. cum respectu mollis vitae, cui Nympha indulgebat.

311 Formam auget colendo. Proprie *pecten deducitur per crines*, sed exquisitius, pectine *deducere crines*. Eleganter etiam Claudian. X, 102 de gratia Veneris capillos pectente, *haec morsu numerosi dentis eburno Multifidum discrimen*

Et quid se deceat, spectatas consulit vndas.
Nunc perlucenti circumdata corpus amictu,
Mollibus aut foliis, aut mollibus incubat herbis.
Saepe legit flores; et tunc quoque forte legebat,
Cum puerum vidit, visumque optauit habere.
Nec tamen ante adiit, etsi properabat adire,
Quam se composuit, quam circumspexit amictus,
Et finxit vultum, et meruit formosa videri.
Tunc sic orsa loqui: Puer o dignissime credi
Esse Deus: seu tu Deus es, potes esse Cupido;
Siue es mortalis, qui te genuere, beati,
Et frater felix, et fortunata profecto
Sibi qua tibi soror est, et quae dedit vbera nutrix.
Sed longe cunctis, longeque potentior illis,
Si qua tibi sponsa est, si quam dignabere taedâ.

313. *corpus*. Nonnulli *pectus*, vt fascia intel. 316. Hic vs. sine caussa suspectus erat Heinsio. (hunc versum ad sensum necessarium esse, recte monet Schrader Emend. c. 10. p. 199.) 319. *videri*. Balliotensis *vocari*.

erat. *Cytorus*, Paphlagoniae mons, buxo abundans. Virg. G. II, 437. Ex hoc autem ligno *pectines*, radii textorii (VI, 132.) et tibiae (supra vs. 30.) conficiebantur. *Quid se deceat*, quomodo et vultus fingendus et vestes componendae sint, vt decor adsit.

313 *perlucenti amictu*. Amorr. III, 1. 9. *vestis tenuissima*, *cultus amantis*, nempe bombycina aut serica, qua tralucebat caro, quae denudabat foeminas. Plin. H. N. VI, 17. XI, 23. *Mollibus* etc. Anacr. IV, 1. Ἐπὶ μυρσίναις τερειναῖς, Ἐπὶ λωτίναις δὲ ποίαις Στορέσας.

317 Et hoc vere e moribus talis puellae. *Componere* et περιστέλλειν, decenter ornare, vestes in ordinem redigere. Eodem modo Plin. IV Ep. 11, 3. *Postquam se composuit et circumspexit habitum suum*. Similem enim curam ornatui impendebant oratores ad dicendum prodituri. Hinc Gellius N. A. I, 5. *composite et circumspecte amiciri*. vid. Burm. *collocare* vestem est II, 733. *finxit vultum*, vt subrideret et oculis blandiretur.

320 Oratio blanditiarum et insidiarum plena. Magna laus, si cognati nostra caussa beati praedicantur. Virg. Aen. I, 605. *qui tanti talem genuere parentes?* Sed haec Nympha longius etiam progreditur, et ab his laudibus commode ad vota sua defertur. *potentior* exquisitius et dignius, quam *beatior*. VIII, 80. X, 340. Votum adeo ipsum *potens* VIII, 745. De eleganti vero repetitione *longe*, *longeque* Burm. consulere iubet Bentlei. ad Horat. I. Sat. 6, 18. (Adde Burm. ad ep. 1, 41. ad A. A. 1, 127. et ad Quinctil. II, 13.) *thalamum*. Non hic agitur, vt Burm. putabat, de furtiuo coitu, sed de legitimo matrimonio, de quo *thalamus* et *taeda* etiam supra vs. 60 et III, 267.

Haec tibi siue aliqua est, mea sit furtiua voluptas;
Seu nulla est, ego sim, thalamumque ineamus eumdem.
Naïs ab his tacuit. Pueri rubor ora notauit
Nescia, quid sit amor: sed et erubuisse decebat.
Hic color apricâ pendentibus arbore pomis,
Aut ebori tincto est, aut sub candore rubenti,
Cum frustra resonant aera auxiliaria, Lunae.
Poscenti Nymphae sine fine sororia saltem
Oscula, iamque manus ad eburnea colla ferenti,
Desinis? aut fugio, tecumque, ait, ista relinquo.
Salmacis extimuit, Locaque haec tibi libera trado,

328. *ineamus.* Iunii et duo alii *subeamus*, quod placet Burm. quia de furtiuo coitu agatur. 336. Iam olim edebatur *Desinis?* Hinc Heins. cum Florent. S. Marci, Neapol. prim. Vatican. et quinque aliis *aut* mutauit in *an.* Sed v. not. G. Videtur Gierig. non satis respexisse, quod lect. *desine* hiatus versui infertur. Negligunt sane interdum poëtae verba elidere (vt Virgil. Ecl. III, 6. Horat. Serm. I, 9, 38. conf. Schneider. Gramm. Lat. T. I. p. 141 sqq.). Ouidius tamen id sibi indulget tantum in nominibus propriis (ep. IV, 99. IX, 87, 133, 141. Pontic. II, 4, 22) et in interiectionibus, Fast. III, 485. Metam. V, 625, X, 215). Recepi *Desinis? aut fugio*, quae est librorum lectio. Non recte Heinsius et Burm. receperunt *an* pro *aut.* Non enim interrogat puer, utrum ipsi fugiendum sit, nec ne; sed minatur, se fugiturum esse. E.

329 *ab his*, post haec, vt III, 273. VIII, 611. *Ora rubor notauit* etiam VI, 46. Amor. III, 6, 78. Nempe rubor *nota* pudoris est. *Notare* igitur significantius est, quam *suffundi.* De illo *erubuisse decebat* v. ad vs. 230. *Hic color* etc. Eadem similitudo III, 483. *ebori tincto.* Plenius Virg. Aen. XII, 67. *Indum sanguineo veluti violaverit ostro Si quis ebur.*

332 Luna, cum *candida* sit, tempore defectus *rubescit*, qui lunae rubor etiam Amorr. II, 5, 37. comparationi inseruit. Persuasum autem erat superstitiosae multitudini, tali tempore Thessalas veneficas id agere, vt carminibus suis lunam de coelo deducant, illam vero laborare, i. contra niti, pugnare, laborantique homines posse succurrere, et *auxiliari* concentu strepituque *aeris*, h. e. tubarum, cornuum et tintinnabulorum aeneorum. Liu. XXVI, 5. Senec. Hipp. vs. 785 sqq. vid Cerda ad Virg. Ecl. VIII, 69. Sed haec tertia similitudo paullo altius repetita est, nec iucunda admodum.

334 *Sororia oscula* etiam IX, 538. Ipse explicat II, 431. Mox reuocaui antiquam lectionem, *Desine*, *aut fugio.* Etenim interrogatio *Desinis? an fugio?* incommoda satis est. Caeterum hic quoque simplicitas pueri bene notata. *submittere genu* de

Hospes, ait: simulatque gradu discedere verso,
Tum quoque respiciens, fruticumque recondita siluâ
Delituit, flexumque genu submisit. At ille,
Vt puer, et vacuis vt inobseruatus in herbis,
Huc it, et hinc illuc; et in adludentibus vndis
Summa pedum, taloque tenus vestigia tinguit:
Nec mora; temperie blandarum captus aquarum,
Mollia de tenero velamina corpore ponit.
Tum vero obstupuit, nudaeque cupidine formae
Salmacis exarsit: flagrant quoque lumina Nymphes
Non aliter, quam cum puro nitidissimus orbe
Oppositâ speculi referitur imagine Phoebus.
Vixque moram patitur: vix iam sua gaudia differt.
Iam cupit amplecti; iam se male continet amens.
Ille, cauis velox adplauso corpore palmis,
Desilit in latices; alternaque brachia ducens
In liquidis translucet aquis; vt eburnea si quis
Signa tegat claro, vel candida lilia, vitro.

342. Gebhard. Crep. III, 11 ex Ms. Palat. *applaudentibus.* Sed v. Heins. 349. *speculi.* Vnus Leid. *clypei;* quod non omnino spernendum Heins. et Burm. videbatur, propter vs. 782. Valer. Flac. I, 495. 352. *corpore.* Heins. rectius iudicat nonnullorum *pectore.* 353. *ducens.* Alii *iactans.* Vtrumque recte. 355. *claro.* Plures, *puro.*

procumbente in genu; quemadmodum *submittere latus* de boue procumbente III, 23. Absolute Virg. Aen. III, 93. *Submissi petimus terram.*

341 *Vt* rationem reddit, vt qui puer esset, neque adeo vllas insidias metueret. *Vacua* loca, non consita arbustis. Sic *vacuum aruum* I, 533. Sed h. l. potius solitarium pratum intel. vbi nemo est, qui eum obseruet. *Inobseruatus* etiam II, 544. III Fast. 111. Pueri *laetius amoto passim custode vagantur.*

349 *speculi imago,* speculum, vt superius *Lunae imago,* luna.

Vixque — amens. Verbis, non rebus abundant haec. *Gaudium* de Veneris vsu frequentatur. II, 863. *Vix caetera differt.* (v. ad VII, 637.) *se continet,* retinet. *male,* vix.

352 Laetitiae puerilis signum. *Cauis,* graphice additum, propter corporis conuexitatem, IX, 35. Similiter Virg. Aen. XII, 85 aurigae *manibus lacessunt Pectora* (equorum) *plausa cauis.* *ducere brachia* de natante, vt Amorr. II, 4, 29 de saltante. *vt eburnea* etc. Comparatio exquisita et rem egregie illustrans.

Vicimus! en meus est! exclamat Naïs: et, omni
Veste procul iactâ, mediis immittitur vndis,
Pugnacemque tenet, luctantiaque oscula carpit,
Subiectatque manus, inuitaque pectora tangit;
Et nunc hac iuueni, nunc circumfunditur illac.
Denique nitentem contra, elabique volentem
Implicat; vt serpens, quam regia sustinet ales,
Sublimemque rapit: pendens caput illa pedesque
Adligat, et caudâ spatiantes implicat alas:
Vtue solent hederae longos intexere truncos:
Vtque sub aequoribus deprensum polypus hostem
Continet, ex omni dimissis parte flagellis.
Perstat Atlantiades; sperataque gaudia Nymphae
Denegat. Illa premit, commissaque corpore toto

362. *Implicat.* Quoniam idem verb. paullo post repetitur, propterea Heins. alterutro loco *impedit* legendum censet. Sed alibi iam docuimus, Nostrum saepissime intra paucorum versuum ambitum idem verb. repetere. (v. ad I, 93.)

356. *Vicimus* vox eorum, qui iam sibi videntur compotes fieri voti. Mox in singulis verbis est vis ad declarandum Nymphae furorem, *omni, procul, iacta, mediis. luctantia*, venuste, quoniam repugnabat puer. Totus hic loc. est specimen phantasiae Ouidianae. *Subiectat manus*, scil. subter brachia pueri.

362 Cumulat rursus similitudines, e quibus prima, quae vs. 713 sqq. repetita legitur, nunc quidem minus grata est. *regia ales*, aquila. *sustinet*, sursum tollit. *spatiantes*, longe extensas, longas, vt XIV, 629. *spatiantia brachia arborum.* Expressus autem locus ex Virg. Aen. XI, 751. De pugna aquilarum et serpentum vid. Plin. H. N. X, 4. *Acrior est* (aquilae) *cum dracone pugna. Eum rapit vbicunque visum. Ille multiplici nexu ligat, ita se implicans, vt simul decidat.* — *Pendere* drr. aues volantes, hinc et quae ab iis tenentur. *intexere* eleganter de hedera truncum nexibus suis includente.

366 *Polypus*, piscis voracissimus. Insidiarum caussa saepe in scopulis, quorum colorem assumit, latitat, pisciculosque secure adnatantes pedibus, veluti reti implicat. Aelian. V. H. I, 1. Plin. IX, 29. Noster Halieut. vs. 30 sqq. Pedes hic vocantur *flagella*, ab aliis *cirri, crines, brachia.*

369 *commissa*, exquisitius quam coniuncta. *diducat.* Hanc antiquiorem lectionem, quam etiam Burm. probat, reuocaui, quia *diduci* recte drr. qui diuelluntur a complexibus. (vid. Burm. Sec. ad Propert. I, 9, 27.) *suos*, propitios. Dii exaudiuerunt preces. Sic et X, 489. Supra vs. 163. *Vota tetigere Deos.* Vnde et nunc pro *habuere* duo Mss. *tetigere*. *Facies*, corpus. Id eleganter dr. *induci*, cum datur. Etiam VII, 642. *membris inducere formam. conducere*, contrahere. Etiam *vulnera conducuntur*, quando coeunt.

Sicut inhaerebat, Pugnes licet, improbe, dixit,
Non tamen effugies. Ita Dî iubeatis, et istum
Nulla dies a me, nec me diducat ab isto.
Vota suos habuere Deos; nam mixta duorum
Corpora iunguntur, faciesque inducitur illis
Vna. Velut si quis conducta cortice ramos
Crescendo iungi, pariterque adolescere cernat:
Sic vbi complexu coïerunt membra tenaci,
Nec duo sunt, et forma duplex, nec femina dici,
Nec puer vt possint; neutrumque, et vtrumque videntur.
Ergo vbi se liquidas, quo vir descenderat, vndas
Semimarem fecisse videt, mollitaque in illis
Membra; manus tendens, sed iam non voce virili,
Hermaphroditus ait, Nato date munera vestro,
Et pater, et genetrix, amborum nomen habenti:
Quisquis in hos fontes vir venerit, exeat inde
Semiuir, et tactis subito mollescat in vndis.
Motus vterque parens, nati rata verba biformis
Fecit, et incerto fontem medicamine tinxit.
Finis erat dictis; et adhuc Minyeïa proles *Minyeides.*
Vrguet opus, spernitque Deum, festumque profanat;

372. Multi *deducat.* Sed Heins. cum nonnullis *seducat* recepit. 375. *conducta cortice* debemus Heins. qui et *corticem* gen. femin. et phrasin *conducere corticem* pluribus illustrat. Olim edeb. *conducat cortice.* 386. Heins. coni. *ab vndis*, vel, *vt vndis.*

378 Similis lusus III, 352. sed et mox vs. 400 s. *et forma*, sed tamen forma. Tales Hermaphroditos etiam artifices antiqui expresserunt, vt Polycles, auctore Plin. 34, 19 s. 20. In iis dignitatem virilem venustatemque muliebrem miscere conabantur. Vid. Winkelm. H. A. p. 37. *Formam duplicem* illi effinxere mammis et virilibus, reliquis autem membris ad *mollitudinem* muliebrem.
388 *incerto*, arcano. vid. ad II, 122.

389 Poena, quam passae sunt Minyeides. In vespertiliones mutatae sunt. Apud Antonin. Bacchus, sumta puellae forma, Minyadas hortatur, vt debitos Deo honores habeant; aduersantibus illis, in leonem, taurumque mutatus, et aliis prodigiis se Deum ostendit. Signa, quae hic iam commemorantur, propria sunt Baccho. Cf. III, 664 sqq. *obstrepuere*, strepitu suo turbarunt tam opus, quam sermones mulierum. De *tibia* hac v. ad III,

Tympana cum subito non adparentia raucis
Obstrepuere sonis, et adunco tibia cornu,
Tinnulaque aera sonant. Redolent myrrhaeque, crocique;
Resque fide maior, coepere virescere telae,
Inque hederae faciem pendens frondescere vestis;
Pars abit in vites; et quae modo fila fuerunt,
Palmite mutantur; de stamine pampinus exit;
Purpura fulgorem pictis adcommodat vuis.
Iamque dies exactus erat, tempusque subibat,
Quod tu nec tenebras, nec possis dicere lucem;
Sed cum luce tamen dubiae confinia noctis.
Tecta repente quati, pinguesque ardere videntur
Lampades et rutilis collucere ignibus aedes,
Falsaque faeuarum simulacra vlulare ferarum.
Fumida iamdudum latitant per tecta sorores,
Diuersaeque locis ignes, ac lumina vitant.

393. *redolent*. Heins. coni. *halant*. (Bothius cor. *aera tonant* propter antecedens *sonis*.) 396. *in vites*. Multi, *in frondes*, quod probat Ciofan. (398. Bothius cor. *fictis* pro *pictis*, coll. vs. 404.) 403. Praeter Thuan. et Vrbin. qui *collucere* habent, omnes codd. *collucent*. Heins. coni. *lucentes*. 406. *ignes*. Heins. maluit *lychnos*, quia praecessit *ignibus*.

533. *myrrhae*, quarum vnguentis Bacchi crines delibuti. III, 555.

394 Aelian. d. l. ἄφνω κιττοί τε καὶ ἄμπελοι τοὺς ἱστοὺς περιεῖρπον. Sic, Venere aduentante, *Mauortia signa rubescunt Floribus et subitis animantur frondibus hastae*. Claudian. X, 187. *Vestis*, textum, opus textile. *pendens*. V. ad vs. 275. *faciem*, formam.

399 Egregia crepusculi descriptio. Breuius XI, 596. *Dubiae crepuscula noctis*. cf. et VII, 706. *dubia nox*, vt *dubius et quasi languidus dies* Plin. VI Ep. 20, 6. Varro de L. L. V p. 44. *Crepusculum significat dubium. Ab eo res dubiae creperae dictae. Quod crepusculum dies etiamnum sit, an iam nox, multis dubium*. Ap. Antonin. et Aelian. Minyades furore Bacchico correptae Hippasum, Leucippes filium, tamquam hinnulum, dilaniant, tum se in silvas, vel ad reliquas Bacchas proripiunt, a quibus propter admissum repulsae in varias volucrum species mutantur, in quibus etiam vespertilio. A Plutarcho praeter illud admissum nihil de iis memoratur. *falsa sim*. Vid. ad III, 668.

405 *per tecta*, in variis aedium partibus. *Iamdudum*, continuo. XI, 482. *inducere* sic ap. Horat. A. P. 2. *inducere plumas membris*. Quoniam vespertilionum forma nihil gratiae habet, propterea Auctor eam paucis attingit, et quasi velat rem, *Nec qua perdiderint* etc.

Dumque petunt latebras; paruos membrana per artus
Porrigitur, tenuique inducit brachia pennâ.
Nec, quâ perdiderint veterem ratione figuram,
Scire sinunt tenebrae. Non illas pluma leuauit:
Sustinuere tamen se perlucentibus alis.
Conataeque loqui, minimam pro corpore vocem
Emittunt, peraguntque leui stridore querelas;
Tectaque, non siluas, celebrant, lucemque perosae
Nocte volant; seroque trahunt a vespere nomen.
 Tum vero totis Bacchi memorabile Thebis
Numen erat; magnasque noui matertera vires
Narrat vbique Dei, de totque sororibus expers
Vna doloris erat, nisi quem fecere sorores.

Athamas et Ino.

408. Sic Heins. ex pluribus Mss. edidit, cum antea vulgaretur, *tenuesque includunt brachia pennae.* (415. cod. Berol. *Nocte ululant.* Heins. e cod. Iuniano recepit *trahunt.* reliqui libri MSS. *tenent* tuentur.)

411 *Sustinere se* de auibus volantibus etiam VIII, 149. XI, 341. *Querela* omnino de voce et cantu auium. Horat. Epod II, 26. *queruntur in siluis aues.* *Leuis,* qui non multum exauditur. Sic *leuiter dicere.* Burm.

FAB. II. vs. 416—561 *Athamas et Ino.* Athamas eiusque vxor Ino Iunonis opera insania corripiuntur: quo facto ille Learchum filiolum interficit, haec cum Melicerta, filio altero, in mare se praecipitat; sed, Venere intercedente, Neptunus eos in marinos Deos mutat, Leucotheen et Palaemona. Comites eius partim in saxa, partim in aues transeunt. Auctor fab. Pherecydes, quamquam Homer. iam Od. ε, 333 sqq. eam attigit. Tum Tragici eandem certatim tractarunt, Aeschylus in Semele, Sophocles in Ino et in Atham. Euripides in Ino, cuius fragmenta restant. E mythicis eam repetierunt Hygin. fabb. 1. 2. 4. Apollod. I, 9, 2. III, 4, 3. His adde Pausan. Attic. p. 108, qui Athamanta narrat vel ira incensum, vel furore correptum in suos saeuisse. Memorant eam etiam Scholiastae Pindari Argum. Isthm. Apollonii III, 1239. Lycophr. 229. Sed in multis eius partibus auctores variant. Noster in hoc mytho tractando ingenium et inuentionem satis nobis approbauit. Finxit Iunonis soliloquium 420—31. Tum descensum eius ad inferos et iussa, quibus Tisiphonen inde excitat, narrat 432—77. Hinc sequitur iter Furiae cum horrendo comitatu et veneno, et modus, quo furore implet Athamanta et coniugem 478—510. Tandem fabula ipsa et transformatio. Eandem Noster et Fast. VI, 485 sqq. sed ex parte aliter retulit.

Memorabile, celebre. Celebrabatur Bacchus sermonibus omnium. *Matertera*, Ino, Semeles soror et coniux Athaman-

Adspicit hanc natis, thalamoque Athamantis habentem
Sublimes animos, et alumno numine, Iuno;
Nec tulit, et secum: Potuit de pellice natus
Vertere Maeonios, pelagoque immergere, nautas,
Et laceranda suae nati dare viscera matri,
Et triplices operire nouis Minyeïdas alis;
Nil poterit Iuno, nisi inultos flere dolores?
Idque mihi satis est? haec vna potentia nostra est?
Ipse docet, quid agam; (fas est et ab hoste doceri)
Quidque furor valeat, Pentheâ caede satisque
Ac super ostendit. Cur non stimuletur, eatque
Per cognata suis exempla furoribus Ino?
Est via decliuis, funesta nubila taxo;

432. *funesta.* Mauult Burm. *quae moesta.*

tis. *vires*, potentia, quam declarauerat puniendis suis contemtoribus. Illas vires Ino maxime narrat, quia hoc suo *alumno* (III, 313) superbiebat. *noui*. Vid. ad III, 520. *sorores*, Agaue, Autonoë, Semele, omnes calamitatibus notabiles.

420 Ad Iunonis iram rem refert etiam Apollod. nempe quia Bacchum educauerat Ino. Cf. Fast. d. l. Hic alia modo caussa addita, quam illa ira, et altius repetenda. III, 258. Iouem contra substituit Hygin. fab. 2. *Adspicit.* Grauius II, 470 *Obuertit saeuam cum lumine mentem. sublimes animi*, superbia. Claudian. 20, 101. *sublimes mole*, fastu inflati. Superbos saepe debellant Dii in mythis.

422 De soliloquio tali v. ad III, 262 vbi simile, quod conferas. Expressit hic quoque Virg. Aen. I, 39 sqq. VII, 286—403. (Priore loco *Palladis*, posteriore *Martis* potentiam cum sua comparat.) Sed h. l. commode et grauiter Bacchi, de *pellice* nati et *noui* Dei, potentiam secum comparat. Etiam sqq. personae et tempori accommodata sunt. *Maeonios* III, 583. *viscera*, carnes, corpus. III, 711 sqq. Sed formula *operire nouis alis* non satis conuenire videtur iratae. Grauius res exprimenda fuisset. *Iuno* cum vi; inoluit enim ea, quae III, 265 sqq. diserte addita sunt. Acerbe *nisi inultos fl. d.*

430 *ire per exempla*, idem pati aut facere, quod alii. A. A. III, 87. *Ite per exemplum Dearum*, imitamini Deas. II Trist. 168. *Per tua perque sui facta parentis eant*, aemulentur facta. V Trist. 3, 27. *si fas est exemplis ire Deorum*, idem pati. Quamquam *exemplum* interdum et pro supplicio ponitur. Phaedr. IV, 6, 20. *iustoque vindicauit exemplo impetum;* nempe quia poena propter exemplum est necessaria. Gell. N. A. VI, 14.

432 Iuno, vt II, 509. auxilii petendi caussa in aequora, sic nunc ad inferos descendit. Sedebat enim ei tunc quoque sen-

Ducit ad infernas per muta silentia sedes:
Styx nebulas exhalat iners; vmbraeque recentes
Descendunt illac, simulacraque functa sepulcris.
Pallor, Hiemsque tenent late loca senta: nouique,
Qua sit iter, manes, Stygiam quod ducit ad vrbem,
Ignorant: vbi sit nigri fera regia Ditis.

437. Heins. coni. *Qua fit iter*, et delet versum seq. vt hoc dicatur, iter totum obsideri a nouis manibus. Burm. contra monet, v. *noui* postulare sequentia. (Vossius legit *qua sit* et reuocat e plurimis codd. *ducat*. In sequenti versu delet vncinas.)

tentia, Superos si flectere nequeo, Acheronta mouebo. Voluisse autem Ouidium inferorum quoque descriptionem operi suo inserere, non mirum videri debet. Sed pro consilio paucis defunctus est, neque adeo satis distinxit Erebi partes, quod fecit Virg. Aen. VI. Cf. idem G. IV, 469 sqq. Cul. 214. Tibul I, 3, 65. Silius XIII, 526. Senec. Herc. Fur. 662 sqq.

Viam illam arboribus consitam finxit partim caliginis efficiendae caussa, partim propter luci Auerni faciem, per quem et ipsum aditus ad inferos. In hunc vsum in primis apta *taxus*, arbor in Arcadia, Gallia et Germania olim frequens, veneni praesentissimi. Dioscorid. IV, 75. Iul. Caes. B. G. VI, 31. Hinc *funesta*, quae funera facit, letifera. Huius arboris vmbra via ad inferos reddebatur *nubila*, obscura, tristis (*duster*), metaphora a coelo nubibus obducto petita, vt XIV, 514 *antra nubila silua*. *Ducit*. Deest *quae*, vt I, 169. Non igitur erat, cur Burm. vers. super. tentaret. *muta*, alta. Alibi *taciturna silentia*. A. A. II, 505.

434 *Styx* non obiicitur nobis in ipso aditu; est enim intimus fluuiorum infernalium; sed *nebulae* tantum eius commemorantur, late illae sparsae. *iners* egregie pingit lenta Stygis fluenta. Styx enim, limo plenus et turbidus, tarde aquas suas voluit, paludique similior est, quam fluvio. Horat. II od. 14, 17. *flumine languido Cocytos errans.* Noster IV Pont. X, 61. *pigra palus.* — *recentes*, quae modo excesserunt corpore, mox *noui manes*. *simulacra*, εἴδωλα, corpora illa vana, de quibus ad vs. 443. *functa sepulcris*, sepulta et humata. *Manes sepultos* Virg. Aen. IV, 34. Inhumatis non licebat transire Stygem.

436 *Pallor Hiemsque.* Virg. etiam Luctum, Curas, Morbos eo collocat. *Pallida regna* inferorum Aen. VIII, 244. *loca senta*, inculta et aspera, in quibus *noui*, adeoque regionis illius ignari, *manes* vix iter inuestigare possunt, quod ducit etc. Luxuriat ingenium Ouidii, neque tamen vs. 438. debebat induci ab Heinsio. *Stygia vrbs*, sedes inferorum ad Stygem, quae cum habeat muros, portas, regiam, forum, recte dicitur *vrbs*. II Epist. 72. *nigri regia caeca Dei*. Virgil. Aen. VI, 127. *atri ianua Ditis*. Omnia, quae ad Plutonem inferosque pertinent, *nigra* et *atra*. Horat. I od. 24, 18. *niger grex* de manibus. *Capax*, ᾅδης πολυδέκτης et πανδοκεύς. Non male capacitas illa illustratur similitudine, quae etiam VIII, 835 legitur. *apertas*. Virg. vs. 127. *Noctes atque dies patet ianua Ditis.* — *locus* acc. *ille*. Nam

Mille capax aditus, et apertas vndique portas
Vrbs habet. Vtque fretum de tota flumina terra,
Sic omnes animas locus accipit ille; nec vlli
Exiguus populo est, turbamue accedere sentit.
Errant exsangues sine corpore et ossibus vmbrae;
Parsque forum celebrant, pars imi tecta tyranni;
Pars alias artes, antiquae imitamina vitae,
Exercent; aliam partem sua poena coërcet.
Sustinet ire illuc, coelesti sede relicta,
(Tantum odiis iraeque dabat) Saturnia Iuno.
Quo simul intrauit, sacroque a corpore pressum
Ingemuit limen; tria Cerberus extulit ora,

446. Reposui hunc versum, quem, cum in nonnullis Palatinis codd. abesset, eiecerunt Heinsii et Burmannus. Recte enim Bothius p. 38 monet, esse hunc versum elegantem et necessarium ad absoluendam vmbrarum apud inferos descriptionem. Lusus autem in verbis *exercent* et *coërcet* maxime redolet ingenium Ouidii. E. 450. *Ingemuit* dedit Burm. ex Mss. Vulg. *intremuit* aut *contremuit*.

omnes eodem cogimur. Virg. Aen. II, 716. *Hanc ex diuerso sedem veniemus in vnam.*

443 Ex opinione Veterum animae, deposito hoc corpore terrestri, vmbratico quodam et tenui indutae incedunt, quod caret et sanguine et *corpore*, i. carne, et ossibus. Homer. Od. λ, 218. Maxime *exsangues* dicuntur, quoniam in sanguine vita est.

444 De negotiis manium. Frequentes congregantur alii in foro, alii in regia Plutonis, illi litigandi caussa (IV Trist. 10, 88), hi salutatum veniunt, more Romano. Homer. Od. λ, 567 sqq. vmbrae ad Minois tribunal caussas agunt, et Orion pergit feras agitare in retia. Etiam Plato Rep. lib. X. p. 620. fingit, animas defunctorum eadem, quae in priore vita tractassent, probare studia. Cf. et Virg. Aen. VI, 651 sqq. *imus tyrannus*, rex inferorum, Horat. I od. 10, 19. *Superis Deorum gratus et imis.* — Alii *alias artes*, repete *celebrant*, i. exercent, idque faciunt ad imitationem *antiquae*, pristinae, prioris, *vitae*. Sed non dubito cum Schirachio, quin reddendus Nostro sit versus ab Heins. et Burm. eiectus, *Exercent. Aliam partem sua poena coërcet.* Nam primum affirmat quidem Heins. se id fecisse auctoritate optimorum Codd., verum non nominat illos Codd. Deinde plenior fit sensus seruato hoc versu. *coërcet*, castigat, *sua*, propria et merita poena. *Sustinemus*, quae inuiti facimus. *dare*, inseruire.

450. *Ingemuit*, crepuit. *Gemitus* omnis sonus, quem res inanimatae dant, dum calcantur, pulsantur, franguntur. *Cerberus* hic ante fores, vt Tibul. I, 3, 71. ad exemplum prisci aeui, vbi maximi canes ad regiarum aedium fores excubias agebant. Apud Virg. vs. 417 trans Acherontem antrum habet, vnde *latratu trifauci personat. Et tres* etc. Commode laudatur a Burm. Lucian. in Hermol. Καὶ φωνὰς τρεῖς ἅμα ἠφίει.

Et tres latratus simul edidit. Illa sorores
Nocte vocat genitas, graue et implacabile numen.
(Carceris ante fores clausas adamante sedebant;
Deque suis atros pectebant crinibus angues.)
Quam simul agnorunt inter caliginis vmbras;
Surrexere Deae. Sedes scelerata vocatur,
Viscera praebebat Tityos lanianda, nouemque
Iugeribus distentus erat. Tibi, Tantale, nullae
Deprenduntur aquae; quaeque imminet, effugit arbos,

458. *distentus* τῷ *distractus* Heins. praetulit e prim. Medic. Arondel. et duobus aliis. Probauerat iam Const. Fan. ex Mss. nonnullis. 459. Gebhard. Crep. II, 16, emendat *depraedantur*.

452 Furias *Nox* vno partu edidit. *numen* collectiue de tribus, *graue*, noxium et saeuiens. *implacabile*, quo non sinit se exorari. ἀμείλιχον ἦτορ ἔχουσι. Homer. Od. ι, 568. *Carceris*, tartari, quo detinentur scelerati, *ante fores*, vbi earum sedes. vid. Heyn. ad Aen. VI, 280. *adamante*, ferro, ferreis claustris. Nam ἀδάμας proprie de ferro. III Fast. 805. *ex adamante securis*. Quidquid durum et satis munitum est, *adamantinum* Graecis et Lat. dicitur. vid. Graeu. ad Hesiod. Scut. vs. 136. Male igitur Rode, *mit einem Diamant verschlossen*. Furiae temporis fallendi caussa *angues*, quos pro crinibus, aut crinibus implexos (Virg. G. IV, 482) habebant, *pectebant*, vt solent otiosae crines curare. II, 12. Foeda imago.

455 *Quam — vmbras*, vt Aeneas Didonem Virg. VI, 452 vbi *caliginis* illius ratio describitur. *Surrexere* in honorem aduenientis Deae. *sedes scelerata*. Virg. Aen. VI, 563. *sceleratum limen*. Tibul. *At scelerata iacet sedes in nocte profunda*.

457 De poenis infernalibus. Fons et fundus harum fabularum est Homer. Od. λ, 575 sqq. Cf. Noster Ib. 175 sqq. Lucret. III, 995 sqq. de vinis haec capienda esse monet, vt Tantalus sit imago hominis superstitiosi, Tityos libidinosi, Sisyphus hominem designet, qui imperia frustra ambiat. Per Furias autem intelligendam esse impiorum conscientiam. *Tityos*, Terrae filius, qui vim intulerat Latonae, Ionis pellici, in tartara detrusus *viscera*, iecur, *lanianda*, deuoranda, *praebebat* duobus vulturibus. Iacebat autem humi prostratus, vastumque eius corpus nouem iugerum spatium implebat. (vid. Ciofan. ad h. l.) *distendi* verb. elegans, quod de longo agrorum tractu proprie vsurpatum, hic ad amplitudinem corporis declarandam translatum est. Virg. et Tibul. in hac re *porrigi*. Heyne in libro Antiqu. Aufs. I p. 56. monet, Tityon fuisse heroa, cuius bustum magno fuerit ambitu, et ad quod vultures versati sint.

458 *Tantalus*, Iouis filius, siue quia Iouis arcana vulgauerat, siue quia Diis apud se coenantibus Pelopem filium coctum apposuerat, in inferno eam, quae hic attingitur, poenam luit.

Aut petis, aut vrgues ruiturum, Sisyphe, saxum.
Voluitur Ixion, et se sequiturque fugitque.
Molirique suis letum patruelibus ausae,
Adsidue repetunt, quas perdant, Belides vndas.
Quos omnes acie postquam Saturnia torua
Vidit, et ante omnes Ixiona; rursus ab illo
Sisyphon adspiciens, Cur hic e fratribus, inquit,
Perpetuas patitur poenas; Athamanta superbum
Regia diues habet, qui me cum coniuge semper
Spreuit? et exponit caussas odiique viaeque;
Quidque velit. Quod vellet, erat, ne regia Cadmi
Staret; et in facinus traherent Athamanta Sorores.
Imperium, promissa, preces confundit in vnum;
Sollicitatque Deas. Sic haec Iunone locuta,
Tisiphone canos, vt erat turbata, capillos

460 *Sisyphus*, rex Corinthi, astutia et latrociniis insignis. *ruiturum*, eleganter, quod, vbi montis cacumen attigit, e manibus elapsum in vallem redigitur, denuo voluendum. Ib. vs. 193. *reuolubile pondus.* cf. Lucret. III, 1013. *vrgere* pro voluere, magnam indicat vim, qua nititur contra onus. Infra XIII, 26. *saxum graue Sisyphon vrget.*

461 *Ixion*, rex Thessaliae. *se sequitur fugitque* argute de eo, qui ad rotam alligatus assidue voluitur. Similiter Ib. 175 argute de Sisypho *saxum voluensque petensque.*

463 *Belides*, quinquaginta filiae Danai, neptes Beli. Danai frater fuit Aegyptus, qui totidem habuit filios, quos matrimonio sibi iunctos trucidarunt Belides. *repetere* nunc est, saepe petere, quod docuit Gronou. ad Senec. Oed. 61. et ad Herc. Fur. 770.

465 *ante omnes Ixiona*, nam is Iunoni vim inferre voluerat; illa vero nubem ei obiecit, quacum coiit. Hinc intellige IX, 123. *e fratribus*, nam Athamas frater Sisyphi erat. *superbum*, insolentem in ipsos Deos. *Regia eum habet*, habitat in regia. *diues*, magnifica, egregie instructa. Commode autem a *Sisypho* transitus fit ad itineris consilium.

470 *Ne regia Cadmi*, domus, e qua Ino, floreret. *stant* quae dignitatem et fortunas suas tuentur. Non bene Rode, *Cadmi Burg sollte nicht stehen bleiben.* Arces demoliri non solebant Eumenides. *Sorores*, Furiae. v. Heins. *Confundere*, plura simul proferre aut agere. Sic et *miscere.* Plin. V Ep. 8, 11. *vt dissimilia confundam misceamque.*

474 *Turbata*, quippe pectendo capillos in os dependentes occupata. De formula *vt erat turbata* v. ad II, 272. Tibul. I, 3, 91. ad puellam, *qualis eris; longos turbata capillos. obstantes*, super os dependentes, *reiecit*, in tergum proiecit. Imitatus est Claudian. in Rufin. I, 42. *Alecto — obstantes in tergum reppulit angues.* Alias Dii minores aliquid facere iussi non respondent, sed statim exsequun-

Mouit, et obstantes reiecit ab ore colubras;
Atque ita, Non longis opus est ambagibus, infit:
Facta puta, quaecumque iubes; inamabile regnum
Desere, teque refer coeli melioris ad auras.
Laeta redit Iuno: quam coelum intrare parantem
Roratis lustrauit aquis Thaumantias Iris.
Nec mora; Tisiphone madefactam sanguine sumit
Importuna facem, fluidoque cruore rubentem
Induitur pallam, tortoque incingitur angue;
Egrediturque domo. Luctus comitantur euntem,
Et Pauor et Terror, trepidoque Insania vultu.
Limine constiterat: postes tremuisse feruntur
Aeolii; pallorque fores infecit acernas;

476. *infit* e sec. Palat. pro *inquit* innexit Heins. 483. Heins. malebat, *tortum anguem.* 487. Duo *eburnas.*

tur mandata. Ab hac lege recedit Tisiphone. *inamabile*, *ἀνέραστον*, *ἀτερπὲς*, detestabile, odiosum. Virg. G. IV, 479 *palus inamabilis.*

480 *Iris*, Thaumantis filia, Iunonem ex inferno redeuntem *lustrat*, purgat, aquis suis. Cornibus enim suis aquam haurire credebatur. I, 271. *roratis aquis*, rore, aqua quatenus infunditur. V. ad I, 371.

481 In omni h. l. usque ad vs. 511. concertauit cum Virg. Aen. VII, 341 sqq. et vide, quam taetram atque abominabilem Furiam ingenium eius nobis exhibeat. Ap. Virg. Alecto non nisi *Gorgoneis infecta venenis*, i. anguibus, iter ingreditur. *Importuna*, saeua. *Pallam cruentam* ei dat etiam Virg. Aen. VI, 555. quemadmodum Homer. Il. σ, 538. Discordiae et tumultui εἷμα δαφοινεὸν αἵματι φωτῶν. *incingitur.*, cingitur. Apud Virg. vs. 325. curae ei sunt bella, insidiae, irae, sed h. l. in comitatu eius, tamquam personae, res, quas efficiunt Furiae, *Luctus*, *Pauor* etc. Sic Homer. Il. δ, 440. ο, 119. *Pauor* et *Terror* personae sunt, quae comitantur Martem. Cf. Claudian. 28, 322. Ad insaniae naturam additum *trepido vultu.*

487 *Aeolii*, regiae, quam habebat Athamas, Aeoli filius. *Tremor* signum aduenientium Deorum. IX, 781. *acerna* ligna non adeo vilia erant, vt Burm. sibi persuaserat, qui praefert h. l. *eburnas*. *Acernae mensae*, quibus Plin. XVI, 15 primam post citreas gloriam tribuit, in supellectile regum et beatissimorum hominum commemorantur a Nostro XII, 254. et ab Horat. II Serm. 8, 10. Itaque priscis illis et a luxu remotis temporibus solia adeo regum fiebant ex hoc ligno. III Fast. 359. *acernum* Numae *solium*. Excellentissimum aceris genus est flauum et crispo macularum discursu. Sidera *fugere*, i. se nubibus tegere, tin-

Solque locum fugit. Monstris exterrita coniux,
Territus est Athamas; tectoque exire parabant.
Obstitit infelix, aditumque obsedit, Erinnys,
Nexaque vipereis distendens brachia nodis,
Caesariem excussit; motae sonuere colubrae.
Parsque iacens humeris, pars circum tempora lapsae
Sibila dant, saniemque vomunt, linguasque coruscant.
Inde duos mediis abrumpit crinibus angues;
Pestiferaque manu raptos immisit. At illi
Inöosque sinus, Athamanteosque perrerant,
Inspirantque graues animas; nec vulnera membris
Vlla ferunt, mens est, quae diros sentiat ictus.
Attulerat secum liquidi quoque monstra veneni,

495. Nonnulli, *duas — raptas — at illae.* Saepe *anguis* et *serpens* gen. fem. v. Heins. ad h. l. et Burm. ad I, 438. (500. Cod. Thys. et Argentin. *noua monstra*, quod praeferunt Burm. et H. Voss. coll, Met. XIV, 499 et Horat. I od. 2, 6.)

guntur, quando res abominabilis geritur, ne adspectu eius offendantur. X, 448.

488 *Monstra*, Furia, Luctus etc. *exterrita*, consternata et mente deiecta. Verbum proprium de iis, qui monstris et furiis terrentur. vid. Heynius ad Virg. Aen. IV, 450. et Georg. III, 434. Burm. ad Phaedr. III fab. 3. monet, summa cum iudicii elegantia Poëtam maiorem dedisse feminae terrorem, quam viro, qui constantiores esse soleant: verb. enim *terreri* minus significare. Argutatur. Saepe Ouid. repetit simplex, vbi compositum praecessit. I, 158. IX, 503. *Nexa* etc. brachia circumligata viperis e capite dependentibus, ita, vt illae *nexus* et *nodos* facerent. *Excussit*, monuit; itaque substituitur *motae*. Illa autem excussio signum irae. I, 179. Iam sequitur horrenda imago. *saniem*. Rode, *sie speien* *Eiter*. Non. *Sanies* de omni humore vel corrupto, vel foedo, nominatim de veneno. Virg. Aen. II, 221.

495 sqq. Haec sumta e Virg. VII, 346—56. vbi res copiosius tractata, et nonnulla iisdem verbis expressa. *graues animas*, pestiferum halitum. Virgil. d. l. 351. *vipeream inspirans animam.* *vulnera ferre*, infligere, *membris*, corpori, *diros*, saeuos. Propria Furiae drr. Dirae, 'Αραί.

500 *Monstra veneni*, horrendum venenum. *Errores* etc. Venena, quae efficiunt errores, scelus, rabiem etc. Hanc mixturam debemus ingenio Ouid. Similis tamen phantasia ap. alios, vt Virg. Aen. VIII, 431. vbi Cyclopes Iouis fulminibus admiscent *sonitum*, *metum*, *iras*. — *Echidna*, Chrysaoris filia, peperit Cerberum. *Errores vagi*, deliria caeca, perturbata.

Oris Cerberei spumas, et virus Echidnae,
Erroresque vagos, caecaeque obliuia mentis,
Et scelus, et lacrimas, rabiemque, et caedis
amorem;
Omnia trita simul: quae sanguine mixta recenti
Coxerat aere cauo, viridi versata cicuta.
Dumque pauent illi; vertit furiale venenum
Pectus in amborum, praecordiaque intima mouit.
Tum face iactata per eumdem saepius orbem,
Consequitur motos velociter ignibus ignes.
Sic victrix iussique potens, ad inania magni
Regna redit Ditis; sumtumque recingitur anguem.
Protinus Aeolides media furibundus in aula
Clamat, Iö, comites, his retia tendite siluis:

504. Multi ex melioribus *tincta* pro *mixta*. 506. Graeu. et Gronou. corrigunt *vergit furiale*. (Accedit iis H. Vossius.)

505 *Cicuta*, calamus istius plantae tripedalis. Eo vtitur loco instrumenti ad miscenda venena. Similem praeparationem v. VII, 262 sqq. vbi Medea *arenti ramo oliuae* sic vtitur. Etiam sqq. e Virg. 374 expressa. *Vertit* Gronou. Obs. II p. 204 mutat in *vergit*, nempe Furia, quod coctum habebat. Voc. *furiale* frequentat Ouid.

509 *Consequitur* etc. Versus difficilis, qui valde torsit ingenia Intt. Accursius emendabat *motis velociter ignibus ignes*, i. rotata face et commotis eius ignibus ignes consequitur. X, 7. *nullosque invenit motibus ignes.* Lenzius putat, voc. *ignes* duplici sensu positum esse, ita vt *moti ignes* sint interni ignes veneno effecti, quos Furia *ignibus*, iactatione factis, magis excitauerit. Similiter Rode, *und entflammt durch die schnelle Bewegung die schon lodernde Flamme noch mehr.* Me vero non poenitet amplecti interpretationem viri docti in Bibliotheca Tigur. (ex qua orbis ille continuus, quem ignes celeriter moti in aëre faciebant, oculis subiicitur. Propter celeritatem motus scintillae se videbantur attingere et continuum orbem facere, quemadmodum pruna in tenebris celeriter circumacta circulum ignitum oculis obiicit. Similiter ap. Claudian. R. P. 2, 25. hasta, quam Minerua in gyrum mouet, *instar siluae habet;* quia hasta celeri motu quasi multiplicatur. Ingeniose quidem illum orbem notauit, sed alieno loco.

510 *Iussi potens*, postquam effecerat, quod ipsi iussum erat. Sic *voti potens*, de quo ad vs. 325. *inania*, in quibus non nisi inanes vmbrae versantur. Virg. Aen. VI, 269. *Perque domos Ditis vacuas; et inania regna.* — *recingitur.* Domi mulieres sedebant discinctae.

512 Iam ad fab. ipsam redit. Hygin. fab. 4. ex Euripide narrat, in venatione filium ab Athamante esse interfectum. Ap. Apollod. filium pro ceruo habet. A Nostro Fast. d. l. *imago falsa* tantum commemoratur. Le-

Hîc modo cum gemina visa est mihi prole leaena:
Vtque ferae, sequitur vestigia coniugis amens;
Deque sinu matris ridentem, et parua Learchum
Brachia tendentem, rapit, et bis terque per auras
More rotat fundae; rigidoque infantia saxo
Discutit ossa ferox. Tum denique concita mater
(Seu dolor hoc fecit, seu sparsi caussa veneni,)
Exululat, passisque fugit male sana capillis:
Teque ferens paruum nudis, Melicerta, lacertis,
Euoë, Bacche, sonat. Bacchi sub nomine Iuno
Risit, et, Hos vsus praestat tibi, dixit, alumnus.

519. *Ossa* pro *ora* e Cantabr. et altero Erford. recepit Heins. 520. Tanaq. Faber coni. *sparso laesa veneno est*, aut, *sparsum caussa venenum est*. 524. Heins. coni. *hos lusus* aut *thiasos*, Duo Mss. *fructus*. Vnus, *risus*. Burm. *vsus* non mutandum censet propter V, 111.

archi caedes apte et ad commisserationis et ad horroris sensum narrata.

519 *Concita*, in furorem adacta. *Caussa veneni hoc fecit* durum visum est nonnullis. Locum esse sanum credo cum Burm. sed paullo subtilius ille sensum repetit e scitis philosophorum, qui *caussam* et *materiem* distinxerint, vt *caussa* esset operatio diuina, venenum *materia*. Imo *caussa veneni* videtur esse venenum ipsum, quatenus caussa erat istius furoris. Similiter II, 836. *caussa amoris*. Lenz. *caussam* explicat auctorem, vt Furia intelligatur. Idem dubitat, an hic vs. profectus sit ab Ouidio; quia caussa furoris dubia esse non potuerit. Apparet tamen, quid auctor secutus sit his verbis. Nempe indicare voluit, atrociam istius facinoris tantam fuisse, vt vel solus matris *dolor* sine veneno accepto furorem efficere potuerit. *Exululat* etc. Bacchari incipit, quemadmodum et alibi furiosae Bacchis assimilantur. Inde commode sarcasmus a Iunone adhibetur. (*Melicerta lacertis* κακοφώνως dicta esse Bothius monet. Alii, vt Burm. ad Heroidd. II, 61. ad Amor. II, 7, 26. ad Trist. IV, 10, 75. Brouckh. et Vulp. ad Tibull. 1, 1, 5. V. D. in Misc. Obss. Vol. VI. T. I. p. 196, in his elegantiam quandam sibi comprehendere visi sunt. Illud certum est, eiusmodi syllabarum similium concursum haud raro occurrere. vid. Heroid. I, 3. *Troia iacet*. Metam. VII, 80 *scintilla fauilla*. Adde Metam. VIII, 334. Heroid. III, 114. II, 103. Adde not. ad I, 299. Taubmann. ad Plaut. Menaechm. II, 3, 53. ad Virgil. Aen. II, 27. Vulp. ad Iuuenal. X, 1. Bentlei. ad Horat. C. II, 20, 10. E.) *sonat*, clamat: *sub nomine*, audito nomine. III, 245 sic *ad nomen*. *Praestat* pro *praestet* reuocaui ex vno Heins. vno Leid. et vno Voss. et placuerat iam Heins. *Vsus* possis mercedem pro tuis in eum meritis interpretari. Malim tamen *hos lusus* legere. Et *lusus Bacchantium* dixit Curt. IX, 10, 25.

Imminet aequoribus scopulus. Pars ima cauatur
Fluctibus, et tectas defendit ab imbribus vndas:
Summa riget, frontemque in apertum porrigit aequor.
Occupat hunc (vires insania fecerat) Ino;
Seque super pontum, nullo tardata timore,
Mittit, onusque suum. Percussa recanduit vnda.
At Venus immeritae neptis miserata labores,
Sic patruo blandita suo est: O numen aquarum,
Proxima cui coelo cessit, Neptune, potestas,
Magna quidem posco; sed tu miserere meorum,
Iactari quos cernis in Iõnio immenso,
Et Dîs adde tuis. Aliqua et mihi gratia ponto est;

525. Sixii Cod. *specular*, quod Burm. non de nihilo putat, vt *specular* sit pro *specula*. Promontoria enim dici *speculas*. (Bothius inde correxit: *Imminet aequoribus speculae pars. Ima cauatur* etc.) 534. *meorum*. Vatic. prim. Hamburg. et pro diuersa lect. Arond. *tuorum*, quod Heins. efficacius putabat. (Berol. *tuorum meorum*, sed *tuorum* expunctum est. 536. *est* propter asperum sonum expungere mauult Bothius.)

525 Hanc fab. partem, quae ad Ino et Melicertam pertinet, Noster Fast. VI, 493 — 550 non modo copiosius retulit, sed etiam, vt Matutam et Portunum Romanorum inde efficeret, longe aliter. Ino cum filio natat in Italiam, ibi incidit in Bacchas, a quarum furore Herculis interventu liberatur, et e vaticinio Carmentae naturam induit diuinam. *Scopulus*, Moluris nomine, vnus ex Scironiis, qui certe consecratus fuit Leucotheae et Palaemoni. vid. Pausan. Attic. p. 108. Ap. Lucian. D. M. 9. Ino ab Athamante ex summo Cithaerone, vbi protenditur ad mare, fugatur in pelagus. *tectas defendit*, e copia poëtica, defendit. *imbres*, tempestates. Virg. A. I, 163 *scopuli*, *quorum sub vertice late Aequora tuta silent*. E tali autem scopulo facilis saltus in mare, *onus suum*. Secundum Apollod. hunc filium suum mortuum gestabat, coniectum nempe in feruentem lebetis aquam. Etiam ap. Eurip. Med. 1286. cadit in mare propter impiam liberorum caedem, vbi v. Schol. De spuma alibi vsurpatur *albescere*. Plin. V Ep. 6, 24. *ex edito desiliens aqua albescit*. Sed et verba *incandescere* et *recandescere* eodem sensu poni, docet Schwarz. ad Plin. Pan. 30, 3.

531 Quoniam Ino *Veneris* ex Harmonia *neptis*, propterea haec e fictione Ouidii intercedit. Apud Lucian. d. l. *Neptunus* sponte, in Bacchi gratiam, iis diuinitatem tribuit. *Iactari* ventis et vndis nautae alias dr. *Ionium* absolute dr. etiam vbi *immensum* aut *magnum* additur. (v. Burm. Sec. ad Anth. Lat. T. I p. 114.) Verum Moluris, pars montis Geraniae in finibus Megaridis, imminet non *Ionio*, sed sinui Saronico. Itaque aut *Io-*

Si tamen in dio quondam concreta profundo
Spuma fui, Graiumque manet mihi nomen ab illa.
Adnuit oranti Neptunus; et abstulit illis,
Quod mortale fuit, maiestatemque verendam
Imposuit; nomenque simul faciemque nouauit:
Leucotheëque Deum cum matre Palaemona dixit.

Sidoniae comites, quantum valuere, secutae
Signa pedum, primo videre nouissima saxo:

537. *dio* Heins. e Florent. S. Marci recepit pro vulg. *medio.* 542. Burm. si Codd. addicerent, mallet *Deos.*

nium alio sensu posuit (Schol. Eurip. ad Phoen. 2. 6), aut alios auctores secutus est. *Labores*, miseram sortem; angorem animi ex insania ortum. *immeritae*, insontis, quae talem sortem non meruerat.

537 Circa Saturni genitalia in mare proiecta orta est *spuma* (ἀφρὸς) alba, vnde Venus (Ἀφροδίτη, Ἀφρογενής) prodiit. Hesiod. Theog. 188 — 200. Sic hic mythus graue momentum in his precibus ministrat. (Videtur hoc in loco duos mythos confundere Ouidius. Erat enim Venus ex antiquissimo, vt videtur, mytho Iouis et Diones filia. v. Hom. Iliad. V, 370 sqq. et 428. Sapph. od. 1, 2. Cic. N. D. III, 23. Hygin. fab. 197. Secundum alios e spuma maris orta est. v. Hesiod. Th. 188. Hom. H. in Vener. et alios, quos citat Ilgen. Opusc. T. I, p. 13. Conf. Larcher. Memoires sur Venus. Paris. 1775. Chauius Dissertation sur les Attributs de Venus. Paris. 1776. Richter. Ueber die Attribute der Venus. Vindobon. 1783. Heynius Antiqu. Aufsätze Fasc. I pag. 135. Boettiger. prooem. ad Ephem. Ien. 1803. T. IV. et alii. Ouidius vero semper Venerem maris filiam exhibet. vid. Heroid. XV, 213. XVI, 24. XIX, 160. Fast. IV, 61 sqq. Sic et h. l.; sed tamen vs. 532 Neptunum *patruum* appellat, quippe Iouis fratrem; cum potius *frater* sit, si Venus ex Saturni sanguine nata est. Forsitan tamen *patruum* latiore sensu accipere possis pro eo, qui est consanguineus. E.) *concreta.* Hesiod. ἐθρέφθη pro ἐπήχθη. *Profundum dium*, ἅλς δῖα. *dius*, diuinus, post Lucret. dixerunt multi. Et *dium* vr. mare propter vastitatem.

541 *Maiestas verenda*, ipsa diuinitas, et *imposuit* exquisitius, quam *dedit*. IX, 268. *vbi mortales Tirynthius exuit artus, coepit augusta fieri grauitate verendus.* — *Nomen* iis secundum Apollod. a nautis impositum, quibus cum tempestate luctantibus opem ferunt. Meminit huius Deae iam Homer. Od. ε, 333 sqq. Κάδμου θυγάτηρ, καλλίσφυρος Ἰνὼ, Λευκοθέη, ἣ πρὶν μὲν ἔην βροτὸς etc. Leucotheen Latini *Matrem Matutam*, Palaemona *Portunum* dixerunt, vid. Munker. ad Hygin. fab. 2. Caeterum hanc Inus transformationem cecinit etiam Ramlerus carmine elegantissimo.

543 Hanc appendiculam caeteri non habent, et adiecta videtur ab ipso Ouidio. Cum et eo-

Nec dubium de morte ratae, Cadmeida palmis
Deplanxere domum, scissae cum veste capillos;
Vtque parum iustae, nimiumque in pellice saeuae,
Inuidiam fecere Deae. Conuicia Iuno
Non tulit, et, Faciam vos ipsas maxima, dixit,
Saeuitiae monumenta meae. Res dicta secuta est.
Nam quae praecipue fuerat pia, Prosequar, inquit,
In freta reginam: saltumque datura, moueri
Haud vsquam potuit; scopuloque adfixa cohaesit.
Altera, dum solito tentat plangore ferire
Pectora, tentatos sentit riguisse lacertos.
Illa, manus vt forte tetenderat in maris vndas,
Saxea facta manus in easdem porrigit vndas:
Huius, vt adreptum laniabat vertice crinem,
Duratos subito digitos in crine videres.
Quo quaeque in gestu deprenditur, haesit in illo.
Pars volucres factae; quae nunc quoque gurgite in illo
Aequora destringunt summis Ismenides alis.

505. Burm. maluit *tentanti.* 556. Heinsio hi non videbantur nu. eri Nasoniani. Corrigebat ergo, *In maris illa manus vt forte tetenderat vndas.* (Sed versus neglecta caesura insuaues occurrunt passim, nec sine codd. tentandi sunt. v. Burm. Sec. ad Anth. Lat. T. II p. 656.) 561. *in illo.* Heins. coni. *in alto.*

mites mutandae essent, facilis erat inuentio. In litoribus enim et *saxa* esse et *aues* commorari solent. *Sidoniae*, mox *Ismenides.* *Deplanxere*, scil. se propter *domum.* Ita apud Graecos τίλλεσθαι, κόπτεσθαι, τύπτεσθαι τινά, se, sua pectora, tundere propter aliquem. Tibul. I, 7, 28. *plangere Memphitem bouem*, vbi v. Heyne in Obs. *Inuidiam fecere*, conuiciis et obiurgationibus de fama eius detraxerunt, odium ei conciliarunt.

551. Quoniam in saxis partes memorabiles nullae, vt has quoque transformationes cum varietate aliqua et copia referre posset, *gestus* diuersos notauit, in quibus comites deprehensae sint; in quo et ipso ingenium antiquioris secutus est. V. ad V. 182. *Prosequar* pro *persequar* hic quoque, vt vs. 151. octo Mss. auctoritate dedi. Et vs. 562. reuocaui antiquiorem lect. *summis*, cum Heins. *sumtis* corrèxisset. Illud enim bene conuenit v. *destringunt.* Non merguntur illae aues, sed *summie* tantum *alis destringunt*, radunt superficiem maris. Supra vs. 136. *aequor exigua cum summum stringitur aura.*

Cadmus in draconem.

Nescit Agenorides natam, paruumque nepotem
Aequoris esse Deos. Luctu serieque malorum
Victus, et ostentis, quae plurima viderat, exit
Conditor vrbe sua; tamquam fortuna locorum,
Non sua se premeret; longisque erratibus actus,
Contigit Illyricos profugâ cum coniuge fines.
Iamque malis annisque graues, dum prima retractant
Fata domûs, releguntque suos sermone labores,
Num sacer ille meâ traiectus cuspide serpens,
Cadmus ait, fuerit, tum, cum Sidone profectus
Vipereos sparsi per humum, noua semina, dentes?
Quem si cura Deûm tam certâ vindicat irâ;

564. Plurimi *serieque laborum.* (572. *fuerit* tertius Medic. et duo Heins., quod receperunt Intpp. Reliqui codd. *fuerat*, probante Bothio.)

XI, 733. *Stringebat summas ales miserabilis vndas.*

FAB. III. vs. 563—603. *Cadmus et Harmonia in dracones.* Cadmus, Thebis relictis, ad Encheleas fugit, a quibus, monente oraculo, primum dux contra Illyricos, mox rex creatur. Apollod. III, 5, 4. Pausan. Boeot. p. 719. Strabo VII. p. 503. Sed apud Mythicos ad extremum mutatur in draconem. Eurip. Bacch. vs. 1328 sqq. Hygin. fab. 6. Apollon. IV, 517. Nonni Dionys. lib. 44. Atque ita euentum habuit oraculum supra III, 98 ei datum. Aut Etymologia hanc fab. peperit, quia Cadmus ad Ἐγχελεῖς confugit, aut symbolica quaedam imago, de qua ad vs. 603.

Nescit, vnde solatium capere potuerit in *luctu*. *Series* illa *malorum* in superioribus narrata, inde a III, 138. *victus*, fractus animo. *ostentis*, quae futura etiam mala portendebant. A Baccho ei ap. Euripid. praedicitur ὄχλος μόχθων. *Exit*, immo eiectus est, vel quod Bacchum contemserat, Euripid. d. l. vel ab Amphione et Zetho, Syncel. p. 157. Etiam *locis Fortuna* quaedam *praeerat*, eorumque fata regebat. VII, 576. X, 335 ibique not. *premeret*, vexaret. *Erratibus*, erroribus, noue dictum. *Errauit* autem per Macedoniam et Epirum. Apollod.

569 *Iamque.* Nempe postquam aliquamdiu regnauerat ibi, filiumque Illyricum genuerat. Apollod. *Graues*, defatigati. Etiam graec. ἐνιαυτοῖς βεβαρυμένοι. Horat. I Sat. I, 4. miles *annis grauis*. *retractant*, memoria et sermone repetunt. VII, 714. Eodem redit *relegere;* nam qui *relegit iter*, is eadem, qua venerat, via redit.

571 *sacer.* Marti erat consecratus, adeoque inuiolabilis. Hinc Cadmus Martis ira transformatus exhibetur. Hygin. fab. 6. Dubitat autem Cadmus de eo, quod dubium ei esse non poterat, et quod nec Penthea latebat. III, 531. *noua*, inusitata.

574 *certa*, ineuitabili. *cura Deum*, vid. ad I, 48. *porrigi* et

Ipse precor serpens in longam porrigar aluum.
Dixit: et, vt serpens, in longam tenditur aluum,
Durataeque cuti squamas increscere sentit,
Nigraque caeruleis variari corpora guttis;
In pectusque cadit pronus, commissaque in vnum
Paullatim tereti sinuantur acumine crura.
Brachia iam restant: quae restant, brachia tendit;
Et lacrimis per adhuc humana fluentibus ora,
Accede, o coniux, accede, miserrima, dixit,
Dumque aliquid superest de me, me tange, manumque
Accipe, dum manus est; dum non totum occupat anguis.
Ille quidem vult plura loqui; sed lingua repente
In partes est fissa duas. Nec verba volenti
Sufficiunt; quotiesque aliquos parat edere questus,
Sibilat: hanc illi vocem Natura relinquit.
Nuda manu feriens, exclamat, pectora coniux:
Cadme, mane; teque his infelix exue monstris.
Cadme, quid hoc? vbi pes? vbi sunt humerique manusque?

584. Gronou. volebat; *de me mihi*, quod placet Burm. 585. Heins. coni. *totam*, scil. manum. 586. *repente.* Basil. (et Berol.) *loquenti.* (591. cod. Berol. *teque infelix his exue*, exquisitiore, ut Both. monet, numero.)

tendi, extendi, verba satis commoda ad exprimendam draconum formam.

577 *Duratae*, vt III, 675. *guttae*, maculae. Virg. G. IV, 99. de apibus, *lita corpora guttis.* *committi in vnum* exquisitius, quam, concrescere. Elegantius etiam *sinuantur acumine*, quam, fiunt acumen; id enim serpentes frequenter *sinuare*, curuare, solent.

584 Expressa haec videntur ex Euripideis, quae seruauit Hermogenes pag. 226 's. vid. Valken. Diatrib. Eurip. p. 12. Οἴ μοι· δράκων μου γίγνεται τὸ γ' ἥμισυ. Τέκνον, περιπλάκηθι τῷ λοιπῷ πατρί. Cf. IX, 386 sqq. *fissa duas.* V. ad III, 34. *volenti*, nempe loqui. V. ad II, 128. Ergo *loquenti*, quod nonnulli habent, fluxit e correctione. *quotiesque* etc. cf. I, 637.

591 *his monstris*, hac horrenda forma. Schirach. intelligit singula monstri membra, squamas, vultus etc. Immo Pluralis pro Sing. III, 673. *in quae miracula verteris?* Mirae autem transformationes et *monstra* et *miracula* dici solent. II, 367. IX, 666. *Vbi pes* etc. Male in summa animi perturbatione singula membra recenset. *eamdem*, similem.

Et color, et facies, et, dum loquor, omnia? cur non
Me quoque, coelestes, in eamdem vertitis anguem?
Dixerat. Ille suae lambebat coniugis ora;
Inque sinus caros, veluti cognosceret, ibat;
Et dabat amplexus; adsuetaque colla petebat.
Quisquis adest (aderant comites) terretur. At illa
Lubrica permulcet cristati colla draconis;
Et subito duo sunt, iunctoque volumine serpunt;
Donec in appositi nemoris subiere latebras.
Nunc quoque nec fugiunt hominem, nec vulnere laedunt;
Quidque prius fuerint, placidi meminere dracones.

Perseus et Atlas.

Sed tamen ambobus versae solatia formae
Magna nepos fuerat; quem debellata colebat
India; quem positis celebrabat Achaïa templis.

597. Heins. coni. *tenebat* aut *terebat*. 601. Multi *oppositi*, et ita Muretus in suo Cod. emendarat. V. Burm. ad Heroid. VI, 26. Maluerat Heins. etiam *repsere*, quia dubitabat, an *subire in lat.* satis latinum sit. 605. *debellata*. Tres *decolorata*. Vnde Heins. *discolor ora*, Burm. *decolor ora*. G.

595 Etiam mutatis manent pristina studia: quamquam Cadmo annis graui ista amoris signa iam desueta fuisse videntur. Paullo post. Heins. e vestigiis vetustorum Codd. innexerat, *at illos* (Comites) *Lubrica permulcent cristati colla dracones*. Ita Harmonia serpens est ante, quam mutatur. Nos igitur reuocauimus antiquam lectionem, quam flagitat contextus. Draco blanditur Harmoniae. Eo terrentur comites; at illa vicissim blanditur, et inter illas blanditias subito mutatur. (Vulgatam etiam praefert H. Voss. et iisdem, quibus Gierig., argumentis defendit Bothius) *Iunctoque volumine*. Rode, *kriechen in einander geschlungen davon*. Mirus incessus serpentum! immo, vt XI, 64. Orpheus et Eurydice *coniuncti spatiantur passibus*, sic serpentes, qui se *voluendo* mouentur, *iuncto volumine serpunt*. — *appositi*, vicini. *subire in lat.* insolens constructio. Serpens Veteribus saepe *placidum* animal. Itaque et genii boni hac figura exhibebantur. Apud Euripidem hi duo transferuntur a Marte in beatorum terram. Secundum Apollod. in dracones mutati a Ioue mittuntur in Elysium. In Schol. Pindari P. III, 153 curru anguibus iuncto in Elysium abducuntur. Talis imago forte in monumento eorum apud Encheleas expressa peperit fabulam.

FAB. IV, 604 — 662. *Atlas in montem a Perseo mutatur.* *Perseus*, Iouis et Danaës filius,

Solus Abantiades, ab origine cretus eâdem,
Acrisius superest, qui moenibus arceat vrbis
Argolicae, contraque Deum ferat arma; genusque
Non putet esse Iouis: neque enim Iouis esse putabat
Persea, quem pluuio Danaë conceperat auro.
Mox tamen Acrisium, (tanta est praesentia veri)

610. Bothius cor. *neque iam Iouis.* sed *enim* multo magis indicat pertinaciam Acrisii, et indicat caussam, quapropter Bacchum non habuerit Iouis filium. Sensus est: Bacchum Iouis filium esse non credebat; nam etiam Persea, qui tamen ipsius nepos erat, a Ioue ortum esse negabat. E.

Acrisii, regis Argiuorum, nepos, conditor Mycenarum, vnus ex heroibus priscis, itineribus longis laboribusque difficillimis susceptis inclaruit a. circiter 1348 a. Chr. n. Sed res ab eo gestas ita fabulosa antiquitas peruertit, vt nihil certi hodie inde erui possit. vid. de eo Herodot. II. n. 91. VII, 61. 150. Pausan. Corinth. pluribus locis. Earum rerum fabulosarum nonnullas, quoniam et ipsis transformationes insunt, post Bacchicas laudes hinc narrare incipit. Ac primum quidem de *Atlante*, Iapeti filio, quem Perseus, cum requiem in regno eius impetrare non posset, capitis Medusae opera in montem cognominem mutauit. Atlantis, coelum vertice sustinentis, iam meminerunt Homer. Od. α, 52 sqq. et Hesiod. Th. 517. Cf. Apollod. I, 2, 2. II, 5, 11. Hygin. fab. 150. vbi Atlas, Iapeti filius, dux Titanum coelum oppugnantium, a Ioue coeli fornicem humeris ferre cogitur. Nempe apparet, Atlantem, Iapeti filium, et Atlantem, Africae montem, in hac fab. esse confusos. E schol. Hom. Il. σ, 486 apparet, Atlanticas fabulas tractatas esse ab Hellanico.

605 Nexus caussa addit aliquid de Baccho, eiusque contemtore Acrisio. *debellata.* Nam cum exercitu Bacchus penetrasset ad Indos, triumphum de iis egit, magnamque inde gloriam deportauit. Diod. Sic. IV, 3. Pausan. p. 869. Curt. IX, 10, 25. *Achaia*, omnis Graecia.

607 *Abantiades.* Ordo regum Argiuorum est hic, Danaus, Lynceus, Abas, cuius filii Acrisius et Proetus. Pausan. Corinth. p. 145. Acrisius ex coniuge, quam alii Eurydicen, alii Aganippen vocant (vid. Munker. ad Hygin. fab. 63.), suscepit Danaën, quae quomodo a Ioue, in imbrem aureum conuerso, vitiata sit, atque Persea pepererit, satis notum est. *ab orig. eadem.* Nempe Agenor, Cadmi pater, et Belus, cuius filius Danaus, fratres erant. Hinc 771 Perseus, aeque ac Cadmus, *Agenorides. moenibus arceat.* III, 559 s. *genus*, filius. *Pluuium aurum* pro vulgari, pluuia aurea. Sine dubio Proetus, Danaën vitiaturus, aureos nummos in sinus eius effudit, vt Lactantius et alii monuerunt. Iucunde vim auri ex hac fab. demonstrat Horat. III od. 16. Inde autem Perseus χρυσόπατρος dictus.

612 *Praesens*, cuius vis et potestas statim sentitur, vt *praesens Deus*, *praesens venenum.* Eodem sensu nunc *praesentia.* ne-

Tam violasse Deum, quam non agnôsse nepotem,
Poenitet. Impositus iam coelo est alter: at alter,
Viperei referens spolium memorabile monstri,
Aëra carpebat tenerum stridentibus alis.
Cumque super Libycas victor penderet arenas;
Gorgonei capitis guttae cecidere cruentae:
Quas humus exceptas varios animauit in angues;
Vnde frequens illa est, infestaque terra colubris.
Inde per immensum ventis discordibus actus
Nunc huc, nunc illuc, exemplo nubis aquosae,
Fertur, et ex alto seductas aethere longe
Despectat terras; totumque superuolat orbem.
Ter gelidas Arctos, ter Cancri brachia vidit:
Saepe sub occasus, saepe est ablatus in ortus.
Iamque cadente die, veritus se credere nocti,

622. Mss. Bersmanni, *semotas*. 625. Berneggerianus, *geminas Arctos*.

potem, diuinam nepotis originem, *Poenitet;* etenim Bacchus matres Argiuas in furorem coniecit, vt suos liberos in montibus deuorarent. Apollod. III, 5, 2. *impositus coelo*, Bacchus, vbi matrem ex inferis reduxerat, cum ea sublimis abiit in coelum. Diodor. III, 62. IV, 25. Apollod. III, 5, 3.

615 *Vipereum monstrum*, caput Medusae, de quo vs. 771 sqq. ὕστερον πρότερον exponit. *memorabile*, fama celebratum. Expressit autem h. l. Apollon. Rhod. IV, 1513. *Aëra*, tamquam viam, *carpebat*, volabat. Forte respexit Virg. G. IV, 310. *tenerum*. Vsitatius est *tenuem*. Sed et Virg. Aen. IX, 699. *tenerum aëra*, et Lucret. I, 208. *teneras auras*. Ad celeritatem itineris declarandam Perseo *alae* datae sunt, de quibus v. ad vs. 667. Volans expressus etiam erat in Scuto Herculis. Hesiod. 216 sqq. *penderet*. vid. ad II, 708. *Libycae arenae* propter siccitatem. vid. ad II, 236. *Gorgonei* etc. Sic et Apollon. IV, 1517. Sed Nicander Ther. init. auctoritate Hesiodi, Titanum e sanguine venenatas bestias ortas esse canit. Sanguinem Typhonis substituit Acusilaus. V. Schol. Nicandri et Apollon. ad d. l. *animauit in angues*, breuiter dictum, animauit et vertit in angues. *Infesta* nunc passiue, quae infestatur. vid. Gellius N. A. IX, 12. Pomp. Mela III, 10. *Prima eius Aethiopes tenent, media nulli; nam aut exusta sunt, aut arenis obducta, aut infesta serpentibus.*

621 Commode haec vsque ad vs. 26. abesse possent; obsunt enim breuitati, quae eximia narrationis virtus. *Immensum*, vt alibi *Inane*, absolute de aëre. Expressit autem Homer. Od. ε, 330 sqq. *seductas*, longe a se distantes.

627 *Cadente die*, tempore vespertino. Proprie *sol cadit*, occidit, sed apud poëtas etiam *dies* et lux. Veretur *se nocti credere*, noctu iter facere, ne aber-

Constitit Hesperio, regnis Atlantis, in orbe,
Exiguamque petit requiem, dum Lucifer ignes
Euocet Aurorae, currus Aurora diurnos.
Hic hominum cunctos ingenti corpore praestans
Iäpetionides Atlas fuit. Vltima tellus
Rege sub hoc et pontus erat, qui Solis anhelis
Aequora subdit equis, et fessos excipit axes.
Mille greges illi, totidemque armenta per herbas
Errabant: et humum vicinia nulla premebant.
Arboreae frondes, auro radiante virentes,

630. Leidens. *prouocet*, vt I Fast. 456. Mox *cunctos* pro *cunctis* Heins. ex Florent. S. Marci, Berneg. et tribus aliis. (632. Capoferreus legendum suadet *Iapetioniades*, quod duo Leidenses et sex alii codd. tuentur. Etenim dissentiunt VV. DD. utrum *Iäpetus* an *Iapetus* scribendum sit. Item valet de vocc. *Iason*, *Iulus* *iaspis* etc. pro quibus alii scribunt *Iäson*, *Iülus*, *iäspis*. Scripturam *Iäpetus*, *Iason* etc. defendunt Voss. de Analog. II, 5. Dausquei. ad Sil. Ital. VIII, 91. Dresem. ad Ioseph. Iscan. IV, 326. Capoferr. ad Metam. V, 111. V. D. in M. Obss. Vol. VI, p. 355. Wasius de Licentia V. P. p. 204 D'Orvill. Vanno Crit. p. 402 et alii. Alteram scribendi rationem prae ceteris tuetur Schrader. Emendatt. c. 12. p. 223, 24, qui semper scribendum esse dicit *Iäpetus*, *Iäson* etc, et scripturam *Iapetus*, *Iason* deterioris aeui esse monet. Quare nostro in loco *Iäpetionides* defendit. 636. *premebant* e tribus codd. edidit Heinsius. Reliquorum *premebat* praefert H. Vossius E.) 637. *virentes*. Alii ex interpretatione *nitentes* aut *micantes*.

ret a via. Constitit in occidentali Africae parte, vbi Mauritania, Atlantis regnum. *Euocat* e regia Solis, in qua et vigil Aurora et currus *diurni*, i. solares. II, 106 sqq. *Vocari* ab aliqua re dr. id, quod eam sequitur. Virg. G. I, 388. *Vocat pluuiam cornix*. (v. Burm. Sec. ad Anth. Lat. Tom. I, p. 139 et 726.)

631 *Atlas*, Iäpeti filius, Mauritaniae rex, quem, cum Astronomiae esset studiosus, sphaeramque inuenisset, coelum humeris sustinere poëtae finxerunt. Sic Cic. Tusc. V, 3. Isidor. lib. XIV. cap. 8. *Hominum cunctos* graeco more. Liu. 30, 9. *expediti militum*. *Vltima*. V. ad II, 254. *pontus aequora subdit*, subdit se, aquas suas, vndis suis excipit equos. Virg. Aen. X, 103. *premit placida aequora pontus*, premit suas vndas, vt quiescant. *Anheli equi* iam orienti Soli dantur a Virg. G. I, 250. *Fessi axes*, vt *fessae* cursu *naues*. Plin. V Ep. 6, 14. *auras spatio ipso lassas*.

636 *Errare* verb. proprium et elegans de gregibus et armentis, quae pascuntur in prato. Virg. G. I, 15. *cui Ter centum niuei tondent dumeta iuuenci*. (*Errare* et *vagari* de securo gregum pastu dici, docet Bach. epist. crit. p. 14.) Priscis autem temporibus *greges* et *armenta* maximae ipsorum regum opes. *Vicinia nulla*, quia in extremo orbe terrarum ad Oceanum habitabat. *Premere* eleganter pro includere, coërcere.

637 Haec sunt illa *aurea poma*, quae alii Hesperidibus,

Ex auro ramos, ex auro poma tegebant.
Hospes, ait Perseus illi, seu gloria tangit
Te generis magni; generis mihi Iupiter auctor:
Siue es mirator rerum; mirabere nostras.
Hospitium, requiemque peto. Memor ille vetustae
Sortis erat: (Themis hanc dederat Parnasia sortem)
Tempus, Atla, veniet, tua quo spoliabitur auro
Arbor: et hunc praedae titulum Ioue natus habebit.
Id metuens, solidis pomaria clauserat Atlas
Moenibus, et vasto dederat seruanda draconi;

(638. pro *tegebant* alii codd. *ferebant* vel *gerebant*. Sed *tegebant* cum Heinsio praefert Gronou. Diatr. Stat. p. 144 ed. H. qui tamen post *nitentes* colon posuit, et expl. h. v. aurea poma tegebant aureos ramos. Sed mutauit sententiam in Elencho Antidiatr. p. 154 et distinxit locum, vt in hac editione legitur. E.)
639. *gloria*. Gronouianus, *gratia*, quod non displicet Burm.
(643. *Parnasia* pro *Parnassia* edidi e cod. Berol. vid. ad I, 317.)
647. Olim edeb. *montibus*, quod Ciofan. ex vno suo recte mutavit in *moenibus*. Idem postea confirmarunt plures Heins. in quibus tertius Medic. et vterque Erfurt. Schepper. coni. *molibus* propter vs. 773.

Atlantis filiabus, tribuebant. Veterum alii citrea vel aurantia intelligenda esse putabant, Athen. lib. 3. p. 82 sq. alii oues praestantissimas colore rutilo; poëtis enim oues μῆλα dicebantur. Diodor. IV p. 233. Palaeph. 19. Cum *poma* aurea his arboribus data essent, alii et *frondes ramosque* finxerunt ex eodem metallo. In Mauritania hortos illos collocarunt et alii, vt Plin. H. N. V, 5. de Lixo, illius terrae vrbe, *ibi et Hesperidum horti;* nonnulli in Cyrenaica; Apollodor. inter Hyperboreos; sed antiquiores in insula Oceani Occidentalis. Hesiod. Th. 215 πέρην κλυτοῦ Ὠκεανοῖο. Sic et Pherecydes. v. Salmas. Exercitt. Plin. p. 207 et 671. *auro radiante virentes* exquisite, aureae. *Virere* bene delectum, quia et frondibus et metallis aptum. Claudian. 35, 291. *Fulgentes viridi ramos curuata metallo*. *Auro* repetitur sic, vt II, 107. Frondes vt *vestire*, ita et *tegere* arbores drr.

643 De *Themidis* oraculo vid. ad I, 321. Themis autem cognata Atlanti; ambo enim genus ducebant a Titanibus. *titulum*, gloriam, hanc gloriosam praedam. Et euentum habuit haec sors; namque Hercules, *Ioue natus*, illa mala abstulit. vid. IX, 190. Per *moenia* Burm. intelligit montes, qui muuimen praestiterint. Fuerit sane Atlas immanis gigas, si montes transtulerit, iisque pomaria clauserit! Nec quisquam montes facile dixerit *solidos*. De aedificiis legitur III, 696. *Draco* ille dictus est Ladon, Apollon. Rh. IV, 1396.

Arcebatque suis externos finibus omnes.
Huic quoque, Vade procul, ne longe gloria rerum,
Quas mentiris, ait, longe tibi Iupiter absit.
Vimque minis addit: foribusque expellere tentat
Cunctantem, et placidis miscentem fortia dictis,
Viribus inferior, (quis enim par esset Atlanti
Viribus?) At quoniam parui tibi gratia nostra est,
Accipe munus, ait: laeuâque a parte Medusae
Ipse retrouersus squalentia prodidit ora.
Quantus erat, mons factus Atlas. Iam barba comaeque
In siluas abeunt; iuga sunt humerique, manusque;
Quod caput ante fuit, summo est in monte cacumen;
Ossa lapis fiunt. Tum partes auctus in omnes

656. *prodidit* praetulit Heins. e fragm. Amstelod. optimae notae vulgato *protulit*. (657. *Iam* e quatuor codd. edidit Heins. Reliqui *nam*, quod defendit Bothius, quoniam his per singula probetur, quod de Atlante generatim dixit, in montem conuersum esse.)

649 *Longe esse* aut *abesse* nobis drr. quae nobis nihil prosunt. Tibul. I, 5, 2. *At mihi nunc longe gloria fortis abest*. Vt ibi *gloria fortis*, qua se fortem gloriabatur; sic nunc *fortia dicta*, quibus se fortem, intrepidum, declarabat, adeoque minacia. Plin. V Ep. 20, 17. *vox parum fortis*. Paullo post pro *gratia* Ciofan. ex Ms. Dominic. protulit *gloria*. Id receptum a Regio se probauit et Lenzio. Ego alterum retineo, quia *gloria* bis praecessit. Quoniam tu non curas meam gratiam inire, ego, *munere* dato, tuam inibo.

656 *squalentia*, horrida, propter serpentes. Senec. Med. vs. 14. de Furiis, *Crinem solutis squallidae serpentibus*. V. ad I, 374. *laeua a parte*, qua clypeum gestare solebant. vs. 782.

657 *Atlas*, mons Mauritaniae Tingitanae, cacumine nubes superans, vt coelum non modo attingere, sed sustinere adeo videatur. Hinc fluxit fabula. Herodot. III, 2. Montes altissimi columnae, κίονες, coeli dici solebant. Pindar. Pyth. 1, 36. Apud Homer. Od. α, 52. Atlas coelum sustinens (ἔχων κίονας μακράς, αἳ γαῖάν τε καὶ οὐρανὸν ἀμφὶς ἔχουσι) homo est, isque peritissimus rerum, ὀλοόφρων, qui et maris totius profunditates nouerit. Hoc phantasma Heyne ad Apollod. III, 10, 1, a monte ductum censet, cuius radices extremae in maris fundum procurrant, coelo vertici incumbente. A poëtis passim tamquam vastus gigas describitur, vt Virg. Aen. IV, 247. vbi ei *caput*, *humeri*, *barba*, tribuuntur. Cf. idem VIII, 136 sqq. et Silius I, 201

Creuit in immensum (sic Dî statuistis) et omne
Cum tot sideribus coelum requieuit in illo.

Andromeda.

Clauserat Hippotades aeterno carcere ventos:
Admonitorque operum coelo clarissimus alto
Lucifer ortus erat. Pennis ligat ille resumtis
Parte ab vtraque pedes, teloque adcingitur vnco;
Et liquidum motis talaribus aëra findit.

663. *aeterno.* Heins. suadebat *terreno* (subterraneo), item *Tyrrheno* aut *nocturno.* Iunian. *aeternos.* G. — *externo* cod. Leidens. vnde Waddelus Animadu. crit. pag. 106 cor. *hesternos*, quoniam vs. 662 venti praecedenti die violentius spirantes commemorantur. Sed vulgatam egregie cum V. D. in Misc. Obss. defendit Gierig. in notis. E.

sqq. *Canet barba gelu, frontemque immanibus vmbris Pinea silua premit.*

FAB. V, 663—752. *Virgae in curalia.* Perseus delatus in Aethiopiam, conspicit Andromedam, Cephei regis filiam, saxo alligatam, cetoque obiectam. Bellua interfecta, virginem liberat ea lege, vt parentes eam sibi in matrimonium dent. Virgae, quibus caput Medusae imposuerat, vi monstri mutantur in curalia. Legitur haec metamorphosis etiam in Orphei carm. de Lapidibus 15, 49 sqq. quamquam cum varietate aliqua. Ibi enim mutatio fit statim post resectum et adhuc calidum Medusae caput: sed Ouid. haec coniungere maluit cum *Andromedae* liberatione, quae sane est pars grauissima fabulae. Eam, quam Hygin. *notissimas historias* vocat, tractarant Sophocl. et Eurip. Inde pendet Eratosth. 15. 16. 17. Vid. et Hygin. f. 64 et P. A. II, 9—11. Apollod. II, 4, 3. Schol. Lycophr. 836. Conon 40.

Aeternus carcer ventorum valde offendit Intt. sed sine caussa. Intel. nil aliud, nisi perpetua eorum sedes, in quam, Aeolo imperante, reuersi semper coguntur, vbi mandata executi sunt, et ad quam, tamquam ad carcerem, damnati sunt a Ione, cum antea libere vagarentur per orbem. Virg. Aen. I, 52—63. vbi Aeolus *clauso ventorum carcere regnat*, quae verba Ouid. ante oculos habuit. Sic fere et Vir doctus in Miscell. Obs. Vol. VII, To. 2. p. 274. *Hippotades*, Aeolus, Hippotae nepos. Lucifer praeclare *admonitor operum*, quo oriente homines e somno excitantur et ad opus suum redire admonentur. Similiter Virg. G. IV, 186. *Vesper admonet decedere campis.* Aen. XI, 183. *Aurora referens opera atque labores.* Tenendum etiam est hoc, *monitores* dictos esse, qui opus facientibus praeessent, et facienda docerent. Corte ad Sallust. Iug. 85, 10.

667 *Talaria*, πτερόεντα πέδιλα, πτερωτὰ ὑποδήματα, et galeam Perseus aduersus Medusam proficiscens accepit vel a Mercurio, Hygin. fab. 64. vel a Nymphis prope Gorgonas habitantibus, Pausan. Lacon. pag. 251. Apollod. d. l. Hygin. P. A. II, 12. *ligat pennis pedes*, alligat pennas pedibus. *parte ab vtraque.* V. ad XII, 273. De telo *vnco* i. falcato vid. ad vs. 727. Id quoque a Mercurio.

Gentibus innumeris circumque infraque relictis,
Aethiopum populos, Cepheïa conspicit, arua.
Illic immeritam maternae pendere linguae
Andromedan poenas immitis iusserat Ammon.
Quam, simul ad duras religatam brachia cautes
Vidit Abantiades; (nisi quod leuis aura capillos
Mouerat, et trepido manabant lumina fletu;
Marmoreum ratus esset opus) trahit inscius ignes;
Et stupet: et visae correptus imagine formae,
Paene suas quatère est oblitus in aëre pennas.
Vt stetit, O, dixit, non istis digna catenis,
Sed quibus inter se cupidi iungantur amantes,
Pande requirenti nomen terraeque tuumque;
Et cur vincla geras. Primo silet illa, nec audet

668. Heins. coni. *citraque vltraque;* (quod improbat H. Voss.) 674. Neap. secundus Medic. multique alii *tepido*, (675. Vulgo post *ratus esset opus* maxima interpunctione indicitur, vt nexus horum verborum sit: Simul atque eam vidit, ratus esset eam ex marmore factam, nisi etc. Quae ratio mihi ob verbum *simul* displicet. Potius iungenda sunt: *quam simul vidit, trahit inscius ignes.* Simili modo Heroid. XII, 33 *vt vidi, vt perii;* vbi vid. Heins. seq. versu pro *et visae*, quae correctio Heinsii esse videtur, malim ex Berol. et Ciof. codd. legere *eximiae*, quod etiam Bothius defendit. Alii codd. *exiguae.* E.)

669 *populis* per appositionem addit *arua*, more poëtis familiari, de quo vid. Heins. et Burm. *Cepheum*, Phoenicis filium, Aethiopum regem faciunt etiam Eurip. apud Eratosth. cap. 15. et Apollod. d. l. sed plures Ioppensem, vt Pausan. p. 370. Strabo XVI. et quos laudamus ad vs. 689.

670 Cassiope, Cephei vxor, cum se formosissimam iactaret: Nereidum inuidiam sibi conciliavit. Illae vero impulerunt Neptunum, vt Cephei terras diluvio vastaret, a quo, Ioue *Ammone* (cuius templum Aethiopibus vicinum) monente, liberari haud poterat, nisi Andromeda, scopulo alligata, ceto obiicere-tur; cui quidem oracula paruit Cepheus, Aethiopum vi compulsus. Apollod., d. l. Apud Hygin. vero, Neptuno expostulante, Andromeda tam tristem sortem experta est. *linguae poenas.* V. ad VI, 213.

673 *Abantiades*, nunc est Abantis pronepos, Perseus. Mox bene *trepidus fletus*, e natura lacrymarum. Non igitur cum aliis *tepido* praeferendum; tepor enim cerni non potest. Peccauit poëta iam eo, quod Persea ex alto aethere *fletum* vidisse finxit. *Manare* alibi cum Accusat. vt VI, 312. vbi v. Heins. *Trahit ignes.* Virgil. Aen. IV, 101. *Ardet amans Dido traxitque per ossa furorem.* Cum hoc *stupore* cf. II, 715 — 21. *Imago formae*, forma.

Appellare virum virgo; manibusque modestos
Celasset vultus; si non religata fuisset.
Lumina, quod potuit, lacrimis impleuit obortis,
Saepius instanti, sua ne delicta fateri
Nolle videretur, nomen terraeque suumque,
Quantaque maternae fuerit fiducia formae,
Indicat. Et, nondum memoratis omnibus, vnda
Insonuit; veniensque immenso bellua ponto
Eminet, et latum sub pectore possidet aequor.
Conclamat virgo: genitor lugubris, et amens
Mater adest, ambo miseri, sed iustius illa;
Nec secum auxilium, sed dignos tempore fletus,
Plangoremque ferunt; vinctoque in corpore adhaerent,

682. Heins. suadet, *aspectare*. 683. Medic. *celaret*. Mss. Bersman. et Boschian. *velaret*. Tertius Medic. *velasset*. 685. *delicta*. Gronouianus, *commissa*, quod non deberi videtur librario. (686. pro *terraeque* et h. v. et 680 multi codd. *patriaeque*, quod alterutro loco recipiendum esse monet Bothius.)

682 Dubitat Heins. an *appellare* recte dicatur, quae respondeat appellanti. Sed *appellare* potest esse, auxilium petere, vt apud Cic. Quint. 7. Verr. IV, 65. vid. Ernest. Clau. Cic. h. v. Malim tamen per alloqui, aut colloqui interpretari. Bene autem notauit verecundiam virginis, in primis ex moribus Graecorum et Orientalium, apud quos *virginibus* cum *viris* nulla consuetudo. Paullo post peccatum matris lenissimo nomine *fiduciam formae* nominat.

689 Illa *bellua* fuit *cetus*, vt tradunt caeteri scriptores. Eratosth. παρατεθεῖσαν τῷ κήτει βορὰν. Hygin. *ceto propositam*. Sed et Plin. V, 31 simpliciter *belluam* vocat. *In Phoenicio mari ante Ioppen Paria, tota oppidum, in qua obiectam belluae Andromedam ferunt.* Idem IX, 5. *Belluae, cui dicebatur exposita fuisse Andromeda, ossa Romae apportata ex oppido Iudaeae Ioppe ostendit inter miracula in aedilitate sua M. Scaurus, longitudine pedum XL, altitudine costarum Indicos elephantes excedente, spinae crassitudine sesquipedali.* Sed Pomp. Mela I, 11, 20. memorat, illa ossa adhuc seruari in vrbe Ioppensi, ibidemque veteres quasdam aras titulum Cephei, fratrisque Phinei cum religione plurima retinere. Verum Pompon. sequitur, vt Is. Vossius monet, auctores graecos, qui id scripserant, ante quam ossa Romam transferrentur. *Possidet*, premit corpore suo latum spatium. Plin. H. N. IX, 3. s. 2. *balaenas quaternum iugerum* commemorat.

691 Pater tantum *lugubris*, mater vero *amens*; plus enim mouebatur et vt mulier, et vt caussa calamitatis. Sed Perseus, vt Brutus ap. Liu. I, 59. *castigator inertium querelarum.*

Cum sic hospes ait: Lacrimarum longa manere
Tempora vos poterunt; ad opem breuis hora ferendam est.
Hanc ego si peterem Perseus Ioue natus, et illâ,
Quam clausam impleuit fecundo Iuppiter auro,
Gorgonis anguicomae Perseus superator, et alis
Aetheriis ausus iactatis ire per auras;
Praeferrer cunctis certe gener. Addere tantis
Dotibus et meritum (faueant modo numina) tento:
Vt mea sit, seruata meâ virtute, paciscor.
Accipiunt legem (quis enim dubitaret?) et orant,
Promittuntque super regnum dotale, parentes.
Ecce velut nauis, praefixo concita rostro,
Sulcat aquas, iuuenum sudantibus acta lacertis;
Sic fera, dimotis impulsu pectoris vndis,
Tantum aberat scopulis, quantum Balearica torto

696. Heins. sine caussa suadet, *At opi breuis hora ferendae est.* 698. Heins. maluit, *Quam lusam:* (700. *Aethereas* cod. Berol. et Heidelb. quod praefert Bothius.) 704. Heins. vult, *quid enim dubitetur?*

698 Acrisius oraculo monitus erat, fore, vt filius, quem filia peperisset, ipsum interficiat. Id metuens Danaën subterraneo cubiculo inclusam custodiri iussit. Nihilo tamen minus vitiata est Eurip. fragm. Danaës vs. 6 sqq. To. II. p. 409. ed. Lips. Apollod. p. 89. Hygin. fab. 63. Nihil enim est tam δυσφύλακτον, ὡς γυνὴ, vt est apud Eurip. fragm. Danaës. Nescit tamen Heins. an *clausa*, obsolute positum, sit satis latinum, sed bene Burm. monet, etiam III Art. 415. Danaën *clausam* dici simpliciter. *fecundum*, fecundans, vt I, 420. *viuax*, vitam dans. *Dos*, quidquid hominem aut rem aliquam commendat. Plin. I Ep. 24, 5. *praediolum, quod commendatur his dotibus.* Non ergo hic respici puto prisca tempora, quibus sponsus et sponsae et parentibus eius dotem adferre solebant.

704 *Accipere legem* formula solemnis, *den Vorschlag eingehen.* Apollod. ἐπὶ τούτοις γενομένων ὅρκων. *super*, insuper. *dotale*, in dotem.

706 Non male delecta similitudo. Plin. H. N. IX, 6, 5. de balaena, *Eminebat dorso multum super aquas, carinae vice inuersae.* Idem ibid. de orcis, *balaenas incursu, ceu liburnicarum rostris, fodiunt.* — *Sulcat* exquisitius, quam, findit. Virg. Aen. V, 158. *sulcant vada salsa carina. Iuuenes*, remiges.

709 *Torto*, quod torquetur, mittitur, e funda. *pedibus* etc. vt vim adderet corpori. V. ad II. 786. *In nubes* aut *ad astra abire* drr. omnino, qui se attollunt in aëra. Iam in pugna illa describenda, qua Perseus et ex aëre et ex scopulo belluam aggreditur, plurimus est; neque in ea poëtae phantasiam desiderabis. Si-

Funda potest plumbo medii transmittere coeli:
Cum subito iuuenis, pedibus tellure repulsa,
Arduus in nubes abiit. Vt in aequore summo
Vmbra viri visa est, visam fera saeuit in vmbram.
Vtque Iouis praepes, vacuo cum vidit in aruo
Praebentem Phoebo liuentia terga draconem,
Occupat auersum; neu saeua retorqueat ora,
Squamigeris auidos figit ceruicibus vngues:
Sic celeri fissum praeceps per inane volatu
Terga ferae pressit; dextroque frementis in armo
Inachides ferrum curuo tenus abdidit hamo.
Vulnere laesa graui modo se sublimis in auras
Attollit, modo subdit aquis, modo more ferocis
Versat apri, quem turba canum circumsona terret.
Ille auidos morsus velocibus effugit alis;
Quaque patent, nunc terga cauis super obsita conchis,
Nunc laterum costas, nunc qua tennissima cauda

718. Ante Heins. *missus praeceps* edeb. Is autem dedit *fissum*, quia Thuaneus *missum*. Nonnulli *praepes missus*. (*missus praeceps* malim cum H. Vossio defendere. *mittere se praecipitem* eodem modo dicitur, quo alibi *se praecipitem dare* occurrit.) 725. Nonnulli *patet*, quod elegantius visum est Heins. (praefert etiam H. Voss.)

militudo aquilae hic melius adhibita, quam supra 362 sqq. *Vacua* dici solent *arua*, quia non consita arbustis. *Praebentem* etc. in sole iacentem. *liuentia*, caerulea, aut nigra. Heins. ad Silium VII, 208. In *auersum* est notio primaria. Serpens captus *sinuosa volumina versat, et sibilat ore Arduus insurgens.* Virg. Aen. XI, 755. Mox Lenzius e variis lectt. praefert, *missus praepes*, scil. Perseus. Non assentior. Male enim idem voc. in prothesi et in apodosi ponitur, *Vt Iouis praepes — sic praepes.* Contra *praeceps* bene de celeri descensu. Valer. Flac. IV, 682 *praeceps ex aethere Pallas insilit scopulos. pressit*, transfixit, aut petiit. Sic *iugulum premere.* Plin. I Ep. 20, 14. *Inane* dixit aëra cum Lucretio et Virgilio. *Inachides*, Argiuus a conditore. *abdere ferrum*, vt alibi *condere. hamo*, V, 80 *hamatus ensis.*

722 *modo more* etc. Plin. IX epist. 23, 5. *exsilit, mergitur, variosque orbes implicitat expeditque.* cf. Homer. Il. μ, 41 sqq. *Versat* scil. se, vt saepe *voluere* pro, voluere se apud alios. De *conchis* illis v. ad I, 333. *qua patent*, qua conchae nullae. *verberat*, caedit. *falcatus ensis*, curuus gladius in modum falcis, harpe quam Perseus vel inuenit (Seru. ad Virgil. Aen. IX, 505.), vel a Mercurio (Apollod.) aut a Vulcano (Hygin. P. A. II, 12.) accepit.

Desinit in piscem, falcato verberat ense.
Bellua poeniceo mixtos cum sanguine fluctus
Ore vomit. Maduere graues adspergine pennae.
Nec bibulis vltra Perseus talaribus ausus
Credere, conspexit scopulum; qui vertice summo
Stantibus exit aquis; operitur ab aequore moto.
Nixus eo, rupisque tenens iuga prima sinistra,
Ter quater exegit repetita per ilia ferrum.
Litora cum plausu clamor superasque Deorum
Impleuere domos. Gaudent, generumque salutant,
Auxiliumque, domûs seruatoremque fatentur
Cassiope, Cepheusque pater. Resoluta catenis
Incedit virgo, pretiumque et caussa laboris.
Ipse manus haustâ victrices abluit vndâ;
Anguiferumque caput durâ ne laedat arenâ,
Mollit humum foliis, natasque sub aequore virgas
Sternit, et imponit Phorcynidos ora Medusae.
Virga recens, bibulâque etiamnum viua medullâ,

727. Heins. maluit *in pristem*, Gronou. Obs. I, 17 *in pristim*. 741. Quidam *nuda*, quod Heins. praetulerat, Sed Burm. recte reuocauit *dura*, quod melius respondet τοῖς *laedere* et *mollire*.

728 Plin. IX, 4, 3. Physeter *ingentis columnae modo se attollens diluuiem quandam eructat*. *Talaria* illa Schol. Iuuen. ad Sat. 3, 117 *pinnas talares* vocat, Stat. I Theb. 304. *plantares alas*. *maduere graues*, madidae et graues factae sunt. *Stat* mare, quando leuiter succutitur, nec huc, nec illuc impetum capit. Senec. N. Q. V pr. *exit* elegantius, quam *exstat*, (quod tamen, excepto Mediceo, omnes codd. exhibent.)

734 *Exigit ferrum*, qui id summis viribus transigit. v. Intt. ad Silium I, 642. *repetita*, saepius petita. Sic frequenter Ouidius. V, 473. *repetita percussit pectora palmis*. VI, 20. *repetita vellera mollibat*. VIII, 769. *repetita robora caedit*. — *superas domos*. Clamor adscendit ad coelum. Nihil aliud. *generum salutant* e formula sollemni: Salue gener. Sic *regem*, *poetam*, *salutare*. — *pretium*, praemium.

740 Prope Ioppen ostendebatur aqua rutila, qua, interemto ceto, cruorem abluisse Perseus credebatur. Pausan. Messen. p. 370. *mollit* exquisitius, quam, tegit. *Phorcynidos*, cuius pater Phorcys. Hesiod. Th. 270. In Orphei Lith. Perseus Medusae caede pollutus ad litus accedit, vt et piaculum abluat, et se refrigeret. Interea calidum adhuc caput imponit virgis, quae sanguine saturantur.

744 *Viua* eadem quae *recens*, nondum marcida, in cuius *medulla*, vasis, succi adhuc. *rapuit vim*, illico experta est vim illam,

Vim rapuit monstri, tactuque induruit huius,
Percepitque nouum ramis et fronde rigorem.
At pelagi Nymphae factum mirabile tentant
Pluribus in virgis, et idem contingere gaudent;
Seminaque ex illis iterant iactata per vndas.
Nunc quoque curaliis eadem natura remansit,
Duritiem tacto capiant vt ab aëre; quodque
Vimen in aequore erat, fiat super aequora saxum.

Medusa. Dîs tribus ille focos totidem de cespite ponit;

750. *curaliis* dedit Heins. e Florent. S. Marci et Neapolit. pro *coraliis*, quia vetustiores Graeci κουραλία er κουράλλα scripserunt.

induruit, saxeam naturam accepit. Sed duritiem creat Schirach. τὸ *huius*. G. — Putarunt enim VV. DD. *eius* et *huius*, praesertim in fine versus, carminibus lyricis et epicis non conuenire, ne ad pedestrem orationem accedant. vid. Dacier. et Bentlei. ad Horat. III, od. 11, 18. V. D. in Misc. Obss. Vol. II T. 2. p. 32. Burm. et Gierig. ad Metam. VIII, 16. Sunt tamen loca, in quibus tum apud alios, tum apud Ouid. *eius* et *huius* occurrant. cf. Trist. III, 14. 27. Metam. VIII, 16. II, 760, et quae loca adfert alius V. D. in Obss. Misc. l. c. Adde Steuberum in Seebodii Biblioth. Crit. a. 1820. T. I. Fasc. 1. p. 60. E.

747 *Pelagi Nymphas* non ipse Ouid. addidit, sed et Orpheus in Lith. habet, quamquam ibi alia earum opera: Sanguinem enim, quo virgae saturatae, ita compingunt, vt lapis esse videatur. *Tentant*, admotis pluribus virgis capiti. *iactare*, serere, spargere. *Iterant iactata*, repetitis vicibus spargunt. Minime *eadem natura* est iis, quae tacto ab aëre et a tacto Medusae capite durescunt. Sed Ouid. quae de curaliorum natura tradebantur, mytho accommodare voluit. De iis etiam Plin. H. N. 32, 2, 11. *Baccae candidae sub aqua et molles: exemtae confestim durantur et rubescunt. Aiunt, tactu protinus lapidescere.* Verum haec natura cortici tantum est, non interiori parti, quae iam sub aqua dura reperitur. *Vimen* i. q. *virga*. Claudian. X, 170 sq. *Vimen erat, dum stagna subit. Processerat vndis: gemma fuit.* Hinc *lithophyta* dicta. Hodie curalia animalculis originem debere creduntur, quamquam eam opinionem impugnat Mullerus, quem vide ad Linnei Syst. Nat. To. VI. p. 643 sqq.

FAB. VI, 753 — 803 *Medusae caput.* Inter pocula Perseus ipse narrat, qua arte Medusae caput abstulerit. Est haec fab. vna ex antiquissimis, quam a Phoenicibus, qui Africam extremam adierant, haud dubie acceptam Graeci Persei rebus inseruerunt. Narrauerat eam Pherecydes, tractauerat etiam Aeschyl. in tragoedia *Phorcides*, qui idem in Prometh. 798 sqq. de Gorgonibus earumque sororibus nonnulla habet. Nos eam haurimus ex Hesiod. Th. 270 — 85. Scut. Herc. 216 sqq. Eratosth. 22. quem transtulit Hygin. P. A. II, 12. Apollon. II, 4, 2. Schol. Apollon. IV, 1515. Orphei carm.

Laeuum Mercurio, dextrum tibi, bellica virgo;
Ara Iouis media est. Mactatur vacca Mineruae,
Alipedi vitulus; taurus tibi, summe Deorum.
Protinus Andromedan, et tanti praemia facti
Indotata rapit. Taedas Hymenaeus Amorque
Praecutiunt: largis satiantur odoribus ignes:

757. Heins. coni. *vt tanti*. Idem mox ex vno Gronou. et Barberino praefert *capit*. 759. *Praecutiunt* e Florent. S. Marci recte Heins. recepit. Vulgo *praecipiunt*. Alii *percutiunt*, *praecipitant* etc. 760. *lotique* debemus ingeniis Gronou. et Heins. cum corrupte legeretur *vbique*. Quod mendum senserunt et olim librarii; hinc alii correxerunt *citharaeque*, alii *lituique*. (*citharaeque lyraeque* tamen cum Ciofano et D. Heinsio praefert H. Vossius.)

de Lapid. 15, 30 sqq. Studiose scriptores veteres quaesiuerunt, quid veri sub ea lateat. vid. Pausan. Corinth. p. 159. vbi et suam et Procli sententiam affert. Ex Pausan. opinione Medusa fuit regina eorum populorum, qui ad lacum Tritonidem in Africa habitabant. Ausa illa cum Perseo congredi victa est et trucidata. Perseus admiratus eius formam, caput eius amputauit, atque secum in Graeciam attulit, vbi sepultum est. Diodor. lib. IV. censet, fuisse Gorgones feminas bellicosas in Africa, quemadmodum Amazones in Scythia; eas esse a Perseo debellatas. Aliam opinionem amplectitur Palaeph. 32, aliam etiam Proclus, aliam rursus Didymus; sed omnes coniectura rem assequi conantur.

753 Sacra fecit propter victoriam, quamquam et nuptias illa antecedere solebant. Fecit autem *Mineruae* et *Mercurio*, quibus eximie carus, et a quibus adiutus in expeditione contra Medusam, quod reliqui mythici diserte tradunt. *focos*, aras. *Dexter* focus assignatur Minervae. Ea enim Ioui prae ceteris liberis cara, summos honores consecuta est; eique etiam hoc datum erat, vt semper ad dextram Patris sederet, nec vmquam a latere eius discederet. Horat. I od. 12, 19. vid. Spanhem. ad Callim. h. Apollod. vs. 29. et lauac. Pal. vs. 132. Eandem igitur dignitatem ei concesserunt et poëtae et artifices; namque etiam in nummis multis Ioui σύνθρονος exhibetur. Cuique Deo certae victimae erant destinatae, et cauebatur, ne *aliena hostia* quis placaretur. Plin. H. N. VIII, 45.

757 Copula *et* turbat sensum, quod etiam Heins. sensit, qui eam mutat in *vt*, sed melius abesset, vt *praemia* per appositionem additum esset. (Videtur tamen *et* scripsisse Ouidius propter v. *indotata*, vt sit: *et indotata* i. e. etiam sine dote *rapit*.) *indotata*, sine regno, quod doti promiserant parentes vs. 706, *rapit*. Non arbitror, poëtam alludere consuetudini Romanae, qua noua nupta e gremio matris rapi simulabatur, quae erat Constant. Fanens. opinio; sed, si lectio sana, hoc verb. capio de ardore et festinatione, qua laetus Perseus, spreta dote, puellam ipsam sibi vindicat, et ad regiam Cephei ducit. Hinc etiam additur *protinus* et *indotata*.

759 *Praecutiunt* Schirach. interpretatur vel quatiunt simpliciter, vel ante nuptias quatiunt. Melius Gesner. in Thes. inter

Sertaque dependent tectis: lotique, lyraeque,
Tibiaque, et cantus, animi felicia laeti
Argumenta, sonant: reseratis aurea valuis
Atria tota patent, pulchroque instructa paratu
Cephenis proceres ineunt conuiuia regis.
Postquam epulis functi generosi munere Bacchi

763. *pulchroque.* Vnus Medic. *patrioque*, non improbante Heins., qui tamen malebat *lautoque.* 764. Heins. spurium indicabat h. vs. dicendum enim fuisse *Cephenum* aut *Cephenes.* Et multi Codd. habent *Cephenum.* Gronou. *Cephei.* (Hunc versum tamen pro genuino habet H. Voss.)

praeferendum ante sponsum et sponsam quatiunt. Debebat dicere *praeferunt*, sed maluit illud, quia *quati* faces solebant. Propert. III, 14, 16. *Ipse Amor accensas praecutit ante faces.* v. ibi Burm. Secund. Praeferebant eas plerumque serui, sed in his nuptiis id munus *Hymenaeus* et *Amor* praestabant, quemadmodum in infaustis Terei nuptiis Eumenides. VI, 430. *Ignes* et *pasci* drr. et, quando id largius fit, *satiari.* Suffimentis in aedibus accensis delectabantur lautiores in Oriente homines, forte valetudinis conseruandae caussa. Eam in rem focus in medio tecto positus. Virg. Aen. VII, 13.

760 *Sertis* in omni laetitia, publica et priuata, exornabant Veteres ianuas, maxime tamen in nuptiis. vid. Sagittar. de Ianuis Vett. cap. 30. §. 8 seqq. *Loti*, tibiae ex loti, Libycae in primis, arundinibus. vid. Gronou. Obs. IV, 15. *argumenta*, signa. Etiam ap. Homer. Il. Σ, 493. in nuptiis ὑμέναιος, αὐλοὶ et φόρμιγγες.

762 In *atriis* conuiuia habebantur. V. Seru. ad Virg. Aen. I, 138. II. init. *aurea* vel omnino pulchra, vel instructa aureis ornamentis. *Patent*, quae conspici possunt. *paratu*, apparatu. *Cephenes* sunt. Aethiopes. Et legendum haud dubie *Cephenum.* Vid. Var. Lect. Burm. tamen *Cephenis* retinet et cum *regis* coniungit.

765 Finitis demum epulis *vinum* sumebatur. *Generosum*, vini nobilissimi epitheton, ad ipsum Bacchum translatum. De v. *diffundere* v. ad III, 318. Sequentia esse corrupta, quilibet sponte videt; certe vs. 768. a manu Ouidii profectus non est. Offendit *vnus Lyncides.* Tum quaesierat Perseus *habitus*, naturam; genium, *locorum*, et *cultus*, rationem, qua coli soleant illa loca laboribus hominum. Lyncides narrat *mores* et *habitus virorum*, quae sane et ipsa digna sunt cognitu, sed ea Perseus non quaesiuerat. Quodsi, vt responsio conueniat quaestioni propositae, vtroque loco aut *locorum* aut *virorum* legamus, quod sane Mss. quidem concedant; molesta tamen nunc quidem est illa repetitio, magisque offendit, quam in similibus locis vs. 575. s. 686 et 680. aut 306—9, vbi adeo auauitas quaedam inest. Eligat igitur sibi quisque e lectionis varietate, quod sequatur. (Spurium h. vs. etiam indicat H. Voss.; sed eiecto versu omnis nexus deest, nisi locum audacter correctionibus mutare velis, quod Heinsius fecit. Sed vt conueniat responsio Lyncidae iis, quae Perseus quaesierat, legendum esse vide-

Diffudere animos: cultusque habitusque locorum
Quaerit Abantiades; quaerenti protinus vnus
(Narrat Lyncides, moresque habitusque virorum.)
Quae simul edocuit, Nunc, o fortissime, dixit,
Fare precor, Perseu, quanta virtute, quibusque
Artibus abstuleris crinita draconibus ora.
Narrat Agenorides, gelido sub Atlante iacentem

766—68. In his magna lect. varietas. Pro *locorum* Ciofan. ex duobus notauit *virorum*. Vicissim mox pro *virorum* quidam *locorum*. A Berneg. primo Moreti, secundo Medic. Spirensi, Berol. et duobus aliis absunt verba *quaerenti prot. vn. Narrat Lyncides*. Nonnulli ex vetustioribus priorem vers. totum omittunt. Schedae Theat. et tertius Medic. *Quaerit Lyncides moresque habitumque virorum*. Mitto reliquas varietates. Heins. triplicem emendationem proposuit. *Diff. an. quaerenti protinus vnus Narrat Abantiadae cultusque habitumque locorum*. Aut sic, *Dif. an. cultusque habitumque loc. Quaerit Abantiades. Quaerenti prodidit vnus. Quae simul* etc. Aut denique sic, *Quaerentem protinus vnus Quae simul*. Faber vs. 766. intactum relinquit, sed vs. 68. legit vel *cultusque genusque locorum*, vel *moremque* (scil. coeli) *habitumque locorum*. Schirach. denique emendat vs. 68. *cultusque habitusque locorum*. 770. Heins. coni. *qua tu virtute*. 772. *Agenorides* habebant meliores Ciofani et Heinsii. Vulgo *Abantiades*. G.

tur vs. 766 e Berol. Heidelb. pluribusque aliis codd. *cultusque genusque locorum*. Hac lectione recepta, aptius Lyncides narrat *moresque habitusque virorum*. Si cui tamen ne sic quidem locus sanus esse videatur, eum reputare velim, ultimam limam huic carmini deesse. Aliter tamen statuit Bothius, qui vs. 768 legit *moresque animosque virorum*, quod plures codd. tuentur. Monet autem, esse in hoc loco breuiloquentiam, et particulam *que* indicare, Aethiopem illum non solum respondisse ad ea, quae Perseus quaesierat, sed etiam mores et animos incolarum descripsisse. Sed dubito, an haec genio Ouidiano non conueniant. E.) Non tam *virtute*, quam *artibus*, in hac re opus fuisse, ex Apollod. apparet. Nec Orpheus quidquam praeter δόλον memorat. Iussus autem erat a Polydecte adferre illud caput, quod tum inter ἀδύνατα referebatur. *Crinita draconibus*, caput, cuius crinibus immixti dracones, vs. 792. Apollod. e poëta aliquo, κεφαλὰς περιεσπειραμένας φολίσι δρακόντων.

772 In ea, quae hinc sequitur, narratione praeter exspectatum breuis est Ouid., quamquam Medusae caput propter vim mutandi corpora in primis memorabile in mythicis. Quo iure Perseus *Agenorides* dr. v. ad vs. 607. *Locum* illum antiquiores collocabant in insula Oceani Atlantici (Hesiod. Th. d. l. πέρην Ὠκεανοῖο), recentiores in continente Africae. Pompon. Mel. III, 9, 93 s. *Contra* Aethiopas Hesperios *sunt insulae Gorgades, domus (vt aiunt) aliquando Gorgonum*. Noster, immemor fabulae modo narratae, *sub Atlante*, ad Atlantem. *Gelidus* commune montium epitheton.

Esse locum, solidae tutum munimine molis;
Cuius in introitu geminas habitasse sorores
Phorcydas, vnius partitas luminis vsum:
Id se solerti furtim, dum traditur, astu
Supposita cepisse manu; perque abdita longe,
Deuiaque, et siluis horrentia saxa fragosis
Gorgoneas tetigisse domos; passimque per agros,
Perque vias vidisse hominum simulacra, ferarumque
In silicem ex ipsis visa conuersa Medusa:
Se tamen horrendae clypei, quod laeua gerebat,

775. Pro *partitas*, quod cum Intpp. praefert Burm. Sec. ad Anth. Lat. T. II. p. 139, multi codd. *sortitas*.

Solida illa moles, tractus montium, forte Atlas ipse. Orpheus d. l. *Atlantis extremis sub praecipitiis.*

775 *Phorcydes*, Phorci et Cetus filiae, Gorgonum sorores, inde ab ortu anus factae, et inde *Graeae dictae. geminas* s. duas habet etiam Hesiod. d. l. quarum nomina Pemphredo et Enyo, sed a caeteris scriptoribus additur tertia, Dino. Cum pater earum a Graecis et Φόρκος et Φόρκυς scriberetur, ipsarum nomen et *Phorcides* et *Phorcydes* efferri potest. Hanc scripturam habet et Eratosth. illam alii praetulerunt. *In introitu* habitabant secundum Aeschyl. in loco subterraneo, erantque custodes, προφύλακες, Gorgonum. Eratosth. *partitas*, partientes, vicissim eo vtentes, παρὰ μέρος ἤμειβον ἀλλήλαις. Apollod. Penes quam oculus erat, ea vigilabat. Pherecydes et Aeschyl. addunt, eas et vnius dentis vsum partitas, μονόδοντας. *dum traditur*, ἐν παραδόσει Eratosth. *supposita*, posita in locum manus Phorcydis. Interceptum earum oculum promisit se esse redditurum, si sibi viam ad Nymphas demonstrarent, a quibus talaria, galeam et parmam ad debellandam Medusam acciperet. Id quod factum. Apollod. Aliter Eratosth. et Hygin. Tum Palaeph. monet, hunc oculum fuisse hominem prudentem, consiliarium Gorgonum, quem ceperit, et viae sibi ducem elegerit Perseus. *Gorgones* tres, Stheno, Euryale, Medusa. Ab Hesiodo vrr. ἄπλητοι, inaccessae. Id quale sit, ex h. l. intell. et procul habitabant secundum Aeschyl. a Phorcidibus. *Saxa* alibi simpliciter *horrentia*, quae erecta eminent, sed h. l. *horrentia siluis*, siluis eminentibus obsita. *tangere domos*, penetrare ad eas. Illa ipsa *saxa*, quorum multis mirae forsan formae, partem fabulae peperisse videntur. *Simulacra* et h. l. inseruire periphrasi putat Drakenb. ad Silium XV, 86. sed nunc vis eius vulgaris retinenda.

782 *clypei aere*, clypeo aeneo. Clypeos autem Veteres habebant adeo politos, vt iis pro speculis vterentur. Hinc supra vs. 349. pro *speculi* vnus Cod. non male *clypei*. Heins. maluit, *clypei orbe*. Male. Apollod. βλέπων εἰς ἀσπίδα χαλκῆν. *Repercussus* actiue, repercutiens. Vid. ad X, 184. Opus autem erat hac circumspectione; nam quicunque Medusam adspexerunt,

Aere repercusso formam adspexisse Medusae;
Dumque grauis somnus colubrasque ipsamque tenebat,
Eripuisse caput collo: pennisque fugacem
Pegason, et fratrem, matris de sanguine natos.
Addidit et longi non falsa pericula cursus;
Quae freta, quas terras sub se vidisset ab alto;
Et quae iactatis tetigisset sidera pennis.
Ante exspectatum tacuit tamen. Excipit vnus
E numero procerum, quaerens, cur sola sororum
Gesserit alternis immixtos crinibus angues.
Hospes ait: Quoniam scitaris digna relatu,
Accipe quaesiti caussam. Clarissima forma,
Multorumque fuit spes inuidiosa procorum
Illa, nec in tota conspectior vlla capillis
Pars fuit. Inueni, qui se vidisse referret.
Hanc pelagi rector templo vitiasse Mineruae
Dicitur. Auersa est, et castos aegide vultus

784. Cod. Berol. et Heidelb. *colubras* omisso *que*, quod placet Bothio, ne nimis frequens sit coniunctio. Nonnulli codd. *colubros*. E. 785. *Eripuisse*. Heins. coni. *exsecuisse* ve *praesecuisse*, sed Burm. defendit Vulg. (791. Cod. Heidelb. in cuius margine versus legitur, et multi alii *una*, quod placet Bothio. Sed *sola* grauius, et *una* magis glossa esse videtur.) 798. Quidam, *violasse*.

λαΐνεοι τεθνειότες, ἑστήκασιν. Orpheus. Apud eundem Perseus eam non dormientem, sed vigilantem auersam inuadit. *Eripuisse collo*, vt Valer. Fl. VI, 619. *Caput eripit Auchi*.

785 Cum caput Medusae ense falcato amputasset, illico prosiluit *pennis fugax*, alatus, *Pegasus*, et *frater*, Chrysaor, Geryonis pater. Apollod. Nimia breuitate obscurus est. *Cursus*, iter in aëre, voc. a nauigatione sumto. Verbis *non falsa* tangit vanitatem peregrinantium, qui solent multa mentiri. *Ante exspectatum* etiam VIII, 5. Virg. G. III, 348.

791 *Sola* illa etiam mortalis erat. Hesiod. *spes inuidiosa*, quam cum inuidia et aemulatione mutua sperabant multi; venuste et ex imitatione Propert. II Eleg. 1, 83. *Maecenas nostrae spes inuidiosa iuuentae*. (Conf. Met. IX, 10.) — *conspectior*, pulchrior. *templo*. Secundum Hesiod. Neptunus eam vitiauit in prato, ἐν μαλακῷ λειμῶνι. Nempe *templum*, vt τέμενος, omnis locus Deo consecratus.

803 Dono Mineruae dedit Perseus hoc Medusae caput; illa vero vel in *pectore* s. thorace, vt vult etiam Eratosth., vel se-

Nata Iouis texit. Neue hoc impune fuisset,
Gorgoneum turpes crinem mutauit in hydros.
Nunc quoque, vt attonitos formidine terreat hostes,
Pectore in aduerso, quos fecit, sustinet angues.

800. *fuisset*. Vnus *fecisset*. Vnde Heins. suadet, *tulisset*.

cundum antiquiores in Clypeo posuit. Homer. Il. ε, 741. Seriores et hunc et illum eo ornant. In foro Argiuorum conditum hoc caput esse aiebant. Pausan. d. l. Caeterum hi duo postremi versus non possunt Perseo tribui; ipse enim caput adhuc habebat; neque bene ex Ouidii persona adiecti sunt.

P. OVIDII NASONIS METAMORPHOSEON

LIBER QVINTVS.

Phineus.

Dumque ea Cephenum medio Danaëius heros
Agmine commemorat; fremitu regalia turbae
Atria complentur: nec coniugialia festa
Qui canat, est clamor; sed qui fera nuntiet arma.
Inque repentinos conuiuia versa tumultus

3. *Coniugalia* tuentur Regius et Turneb. XIII, 21. *coniugialia*, quod Nauger. suasit, et repertum est in prim. Palat. secundo Vatic. priore Erfurt. et sex aliis etiam metri caussa recepit Heins. Alii, vt vnus Basil. et Calandrae Exc. *connubialia*.

FAB. I, 1—235 *Phineus et socii.* Phineus, frater Cephei, cui desponsata erat Andromeda, indigne ferens, ereptam sibi ab aduena sponsam, cum magna armatorum manu irruit in atrium, iu quo conuiuium celebrabatur. Hinc magnus tumultus, magna vtrimque caedes. Ad extremum adfertur Medusae caput, quo conspecto Phineus cum sociis reliquis in saxum mutatur. Iam cum Homer. et Virgil. Aen. IX et libris seqq. copiosissimi sint in caedibus diligenter describendis, Noster tam hic, quam XII in pugna Centaurorum, eorum exempla secutus est, et Phinea haud dubie assimilare Turno voluit, pugnanti et ipsi ob praereptam sibi ab aduena sponsam. Notabimus autem in hac carminis parte varietatem pugnantium, qui aetate, vitae genere, patria, ornatu, moribus, mortis genere differebant. Mirari autem licet, ex tot diuersis et distantibus gentibus bellatores in Aethiopia fuisse. Non puto, Ouidium eorum nomina finxisse, sed, vt III, 206 sqq. canum Actaeonis, et ib. 605 sqq. nautarum Tyrrhenorum nomina, ab antiquiore poëta accepit. E scriptoribus, qui restant, tres tantum breuiter huius rei meminerunt, Apollod. II, 4, 3. vbi Phineus *insidiatur* Perseo, Hygin. fab. 64. quo auctore Cepheus ipse cum Agenore, cuius sponsa Andromeda fuerat, insidias struit, et Conon 40. apud quem Andromeda, duos procos habet, Phinea et Phoenicem.

2 *Agmen*, coetus. *Fremitus*, promiscuus clamor multorum vna vociferantium. Non erat hymenaeus, quem festis cantibus personarent amici ante fores, (XII, 214 s. Theocrit. Id. 18. et Statius Sylu. II, 10, 87.) sed clamor bellicus, ἀλαλητὸς, quo irruebat turba. *Fera*, vt *saeua*, solent *arma*, proelia, bella dici. Drakenb. ad Sil. IV, 357.

Adsimulare freto possis, quod saeua quietum
Ventorum rabies motis exasperat vndis.
Primus in his Phineus, belli temerarius auctor,
Fraxineam quatiens aeratae cuspidis hastam,
En, ait, en adsum praereptae coniugis vltor:
Nec mihi te pennae, nec falsum versus in aurum
Iuppiter, eripient. Conanti mittere Cepheus,
Quid facis? exclamat; quae te, germane, furentem
Mens agit in facinus? meritisne haec gratia tantis
Redditur? hac vitam seruatae dote rependis?
Quam tibi non Perseus, verum si quaeris, ademit,
Sed graue Nereïdum numen, sed corniger Ammon,

13. Heins. vel inuitis membránis legendum censet, *quod te*, vt coniungatur cum *facinus*.

6 Expressit Homer. Il. β, 144. Κινήθη δ' ἀγορὴ, ὡς κύματα μακρὰ θαλάσσης etc. (cf. Virgil. Aen. XI, 297.) Sed Schirachio locutio, *adsimulare possis*, videtur vim comparationis frangere, et prosaicum quoddam redolere. Ferri tamen potest in tali narratione. Mare eleganter dr. *asperari*, *exasperari*, cum commouetur, fluctibus motis inaequale fit et hispidum. Horat. I od. 5, 7. *aspera Nigris aequora ventis*. Vnde et nunc vnus Cod. *nigris vndis*.

9 *Fraxineas hastas* bellatoribus dant poëtae, quia fraxinus et aptissima hastis, et Achillis hasta nobilitata. Plin. XVI, 13. *aeratae cuspidis*, aerata cuspide. *Quatere* et *vibrare* hastam est eius, qui aut minitatur iactum, aut ad pugnam prouocat alterum.

10 *Praeripere*, ante rapere, quod alteri debebatur. (Ouid. Amor. I, 1, 5. Burm. Sec. ad Anth. Lat. T. I p. 270. v. ad VIII, 7.) Sic *praecipere* Virg. Ecl. III, 98. *Pennis* et *Ioue* patre in primis superbiebat Perseus. IV, 697 — 700. *falsum*, in quos quis fallendi caussa transit. (v. Burm. Sec. ad Anthol. Lat. T. I p. 142 sq.) Et in tale aurum mutatus erat Iupiter. Sed Phineus negare nunc vult, Iouem esse eius patrem. Itaque cape, vt I, 754. *falsum genitorem*, et IX, 24 in simili exprobratione, *fictum patrem*. (conf. Heroid. II, 37.) *mittere*, vt βάλλειν, absolute.

13 Haec oratio, quae in rei indignitate demonstranda versatur, conuenit personae senis iusti. *Mens*, vt θυμὸς, ira, insania. Tibul. IV, 3, 7. *Quis furor est, quae mens?* (v. ibi Heyn. in Obss.) Horat. I Ep. 2, 60. *dolor quid suaserit et mens*. *Dos*, praemium quatenus datur sponso nuptias celebranti. *Vitam seruatae rependere*, operam vitae seruatae compensare.

17 Vid. ad IV, 670. *Corniger*, quia sub arietis forma colebatur a Libycis gentibus. v. Freinsh. ad Curt. IV, 7, 23. *visceribus meis*, filia mea. *Viscera* et σπλάγχνα, liberi, amici et quicunque nobis tam cari sunt, vt viscera nostra. *Sed* non sine vi a Nostro passim sic repetitur, cum sententiae coaceruantur. vid.

Sed quae visceribus veniebat bellua ponto
Exsaturanda meis. Illo tibi tempore rapta est,
Quo peritura fuit. Nisi si, crudelis, id ipsum
Exigis, vt pereat; luctuque leuabere nostro.
Scilicet haud satis est, quod, te spectante, re-
vincta est,
Et nullam quod opem patruus sponsusue tulisti;
Insuper, a quoquam quod sit seruata, dolebis,
Praemiaque eripies? quae si tibi magna videntur;
Ex illis scopulis, vbi erant adfixa, petisses;
Nunc sine, qui petiit, per quem haec non orba
senectus,
Ferre, quod et meritis et voce est pactus; eumque
Non tibi, sed certae praelatum intellige morti.
Ille nihil contra; sed et hunc et Persea vultu
Alterno spectans, petat hunc, ignorat, an illum.
Cunctatusque breui, contortam viribus hastam,
Quantas ira dabat, nequicquam in Persea misit.
Vt stetit illa toro; stratis tum denique Perseus

18. *ponto* habent plerique, vnde Heins. recepit. Sed ante eum edeb. *ponti*, quod etiam Quinctil. laudat, (et ita legitur in Berol. et Heidelb. cod.) 19. *rapta*. Duo Leidd. et tres alii *ademta*. 20. Mss. Bersm. Heidelb. et quinque alii, *Nisi tu*. 26. Mss. Bersm. et quinque alii, *Ex ipsis*. Vossian. et vnus Medic. *Ex illis*, *vbi erat*, *scopulis*. 27. Nonnulli, *Hinc sine*, quod rectius videtur Heins. qui idem auctoritate secundi Palat. Arond. Heidelb. aliorumque mox *haec* deleuit.

Quinctil. Inst. Or. IX, 3, 48. vbi hic ipse locus ab eo laudatur. Sic et I, 595. *bellua ademit* paullo durius, ademta tibi eo, quod deuoranda proposita erat belluae. *nisi si* bene se habet. v. Heins. ad Heroidd. IV, 111. Etiam Cic. ad Diu. V, 9, *nisi si in Dalmatiam aufugerit*. *exigis*, *vt pereat*, exigebas, vt periret.

22 — 26 Non vrgenda haec sunt; Phineus enim viribus suis nec solus liberare Andromedam, nec Perseo liberandi opem ferre potuit. *spectante*, nempe otiose. — Bene *haec senectus*, vt vs. 222. *hanc animam*. Itaque retinui pronomen, quod Heins. et Burm. omiserunt. *meritis* id non *pactus* erat, sed idem verbum, quod saepe fit, duobus nominibus diuerso sensu accommodatum.

30 *Ille nihil contra* (etiam XII, 232), vt solent violenti, cum repelluntur veritatis viribus. — Saepe aliquis hastam intorquet *viribus* aut *nisu irae*, *doloris* etc. *ferox* concitus furore. *rumpere pectora* frequentat Noster. III, 627. VI, 251. Etenim *rumpere* est secare, findere. III Am. 10, 32 *rumpit vomer humum*.

Exsiluit: teloque ferox inimica remisso
Pectora rupisset; nisi post altaria Phineus
Isset: et (indignum) scelerato profuit ara.
Fronte tamen Rhoeti non irrita cuspis adhaesit.
Qui postquam cecidit, ferrumque ex osse reuulsum est,
Palpitat, et positas adspergit sanguine mensas.
Tum vero indomitas ardescit vulgus in iras;
Telaque coniiciunt; et sunt, qui Cephea dicant
Cum genero debere mori. Sed limine tecti
Exierat Cepheus; testatus Iusque, Fidemque,
Hospitiique Deos, ea, se prohibente, moueri.
Bellica Pallas adest; et protegit aegide fratrem;
Datque animos. Erat Indus Athis, quem, flumine Gange

36. Viuian, *pectora fregisset* ex sollemni permutatione. 40. *Palpitat.* Multi *calcitrat*, quod sic etiam XII, 240 et alibi.

Altare aut *ara*, focus in medio atrio, in quo Dii penates colebantur. vs. 155.

38 *Fronte.* deest *in.* *Vulgus*, milites gregarii. Vs. 207. *indomita*, ἀδάμαστος, implacabilis. *Coniiciunt*, vna iaciunt. Cf. cum hoc ardore XII, 240 s. *se prohibente*, prohibere volente, improbante. *ea moueri*, eum tumultum excitari.

46 Heroa, quem inter praesentissima pericula seruari volunt, a numine quodam vel tectum, vel admonitum poëtae fingunt. Sic XII, 359 Theseus *Pallados admonitu* tutus. *Pallas* autem Perseo in omnibus itineribus aderat. De *aegide* eius locus classicus Homer. Il. β, 447 sqq. *fratrem.* Etiam Orph. de Lap. 15, 142 κασίγνητος Mineruae.

47 *Athis*, puer tener et mollis, quales solent Orientis populi, quorum etiam ad fastum ornatus, forte adumbratus est e Virg. IX, 581. (Disputatur autem de scribendi ratione huius verbi, Pro *Athis* enim multi scribunt *Atys*, quae scriptura potior esse videtur. Etenim *Athis* magis foemininam formam prae se ferret. Possis quidem prouocare ad v. *Attis*; sed pro eo alii etiam scribunt *Attys.* Illud certum est voc. *Attis*, vbi Cybeles amasius intelligitur, prima syllaba producta semper proferri. Contra *Athis* vel *Atys* primam corripit. vid. Salmas. ad Solin. p. 37. Burm. ad Virgil. Aen. V, 568. Schrader Obseruatt. p. 57. E.) *vitreis sub* (in) *antris* de Oceano et Eridano et Claudian. 12, 34. 28, 146. *Vitrea sedilia* Clymenes in Oceano Virg. G. IV, 350. Putant intelligi crystallina; ex crystallo enim antra sub mari composita fingi a poëtis. Sed et aqua marina *vitrea* dr. Aen. VII, 759. *vitrea vnda* Fucini. Claudian. 33, 269 *vitreis Oceanus vadis.* Quin adeo Dii marini ipsi *vitrei.* Horat. I od. 17, 20 *vitrea Circe.* Hinc omnia *vitrea*, quae ad Deos marinos pertinent. Virg. G. IV, 335.

Edita, Limnate vitreis peperisse sub antris
Creditur, egregius formâ, quam diuite cultu
Augebat, bis adhuc octonis integer annis;
Indutus chlamydem Tyriam, quam limbus obibat
Aureus: ornabant aurata monilia collum,
Et madidos myrrhâ curuum crinale capillos.
Ille quidem iaculo quamuis distantia misso
Figere doctus erat; sed tendere doctior arcus.
Tum quoque lenta manu flectentem cornua Perseus
Stipite, qui mediâ positus fumabat in aulâ,
Perculit; et fractis confudit in ossibus ora.

48. *antris* pro *vndis* agnoscunt primus Basil. et fragm. Zulichem. vnde recepit Heins. In nomine *Limnate* variant Mss. Heins. scribendum censet *Limnatis*, ἀπὸ τῆς λίμνης. Sic apud Lacedaem. cultam esse *Limnatim* Dianam, sic dictam a Limnis oppido. Addit idem, posse et *Limnacias* legi, nam λιμνακίδας esse nymphas palustres. (Bothius monet, esse h. v. fortasse non Graecum, sed Indicum.) 53. Pro *curuum crinale* Thuan. Oxon. Berneg. *cohibebat mithra*, quod non contemnendum putat Burm. quia *mithra* Orientalium cultus, in primis mollium virorum erat. Addit, nescire se, an ita absolute ponere *crinale* soleant veteres. 55. *doctior.* Vnus Gronou. *certior*, quod et ipsum rectum esse monet Burm. propter I, 519. At in *tendendo* arcu non tam *certitudo* requiritur, quam *doctrina* s. ars. 58. *confudit.* Vnus Medic. prior Twisdenii, Thuan. Cantabr. et Francof. *contundit*, quod placet

Nymphae Oceani vellera carpunt *hyali colore fucata*, ὑάλινα, vitrea. Nempe vtrumque voc. et de colore viridi et caeruleo dr. quem quoniam mare refert, aeque ac *viridis* et *caeruleus* de omnibus praedicatur, quae ad mare et aquam pertinent. *cultus*, vestitus. *integer*, florens aetate. *chlam. Tyr.* Aen. IV, 137. *Sidoniam picto chlamydem circumdata limbo.* Cf. II, 733. *Crinale*, ornamentum capillos cohibens, noue sic absolute positum, occurrit tamen et Pont. III, 3, 15. Similiter Horat. I ep. 11, 18 *campestre* sic substantiue, cingulum, quo cincti erant lumbi in campo se exercentium. *madidos myrrha.* III, 555. *Monilibus* et torquibus orientales colla ornare solebant. Iidem arte sagittaria excellebant. Plin. H. N. VI, 17. Itaque et Horat. I od. 29, 9. de puero Parthico, *Doctus sagittas tendere Sericas arcu paterno.*

57 *Aula*, i. q. atrium. Putem tamen, reuocandum esse *in ara*, quod omnes habent praeter Iun. et vnum Gronou. vnde Burm. accepit *in aula.* XII, 215. *ignibus atria fumant.* 271. *Ecce rapit mediis flagrantem Rhoetus ab aris Prunitium torrem*, qui locus nostro simillimus. *Fumus* autem per foramen tecti abibat. *ora*, notas et lineamenta oris. Mox vs. 292 *discussi ossibus oris.* cf. XII, 251. Silius IV, 380 *perfracta in ore cruento Ossa sonant.*

Hunc vbi laudatos iactantem in sanguine vultus
Assyrius vidit Lycabas; iunctissimus illi
Et comes, et veri non dissimulator amoris:
Postquam exhalantem sub acerbo vulnere vitam
Deplorauit Athin; quos ille tetenderat arcus
Adripit, et, Mecum tibi sint certamina, dixit;
Nec longum pueri fato laetabere, quo plus
Inuidiae, quam laudis, habes. Haec omnia nondum
Dixerat; emicuit neruo penetrabile telum;
Vitatumque tamen sinuosa veste pependit.
Vertit in hunc harpen, spectatam caede Medusae,
Acrisioniades, adigitque in pectus. At ille
Iam moriens, oculis sub nocte natantibus atrâ
Circumspexit Athin, seque acclinauit in illum;
Et tulit ad manes iunctae solatia mortis.
Ecce Syenites, genitus Methione, Phorbas,
Et Libys Amphimedon, auidi committere pugnam,

Heins. Male. Notio h. v. potius est in *fractis.* Eo *confundebantur* lineamenta oris, ne dignoscerentur. (Cod. Berol, aliique *confundit.* 59. Berol. et multi alii codd. *foedatos*, quod placet Bothio, qui *in*, ex antecedente *in* ortum, delet. 72. *in illum* e Bernegger. recepit Heins. reliqui codd. *ad illum* quod praefert Bothius.)

59 *Laudatos*, pulchros. XII, 398 *laudata artificum signa.* II. Am. 1, 33. *laudata facie puellae.* *Iactare* de motibus morientium. X, 721. Virg. Aen. XI, 669. *suo se in vulnere versat.* *Iunctissimus*, coniunctissimus, amicissimus. Tales *comites* etiam Aen. IX, 177 — 79. *sub vulnere*, ex vulnere. *sub* passim caussam indicat. vid Schulting. ad Senec. Suas. VII. *quo plus* etc. cf. XII, 292. *Puero quae gloria fuso.*

67 *Penetrabile* actiue, vt Aen. X, 481 *penetrabile telum.* *Spectantur* ea, quorum natura certis experimentis cognoscitur. —Oculi morientium *natare* drr. quoniam incerto modo fluctuant. Suauissima mors συνθνήσκειν θνήσκουσι φίλοις. Eurip. Suppl. 1006. *se acclinauit.* Aen. IX, 444. Nisus cadens *super exanimem sese proiecit amicum.* *Tulit solatia* etc. vt 191. Florus IV, 18. *magni famam ducis ad inferos secum tulit.*

74 *Syene*, vrbs Aegypti in finibus Aethiopiae sub ipso Cancri tropico. Plin. II, 70 s. 75. Ptolem. IV, 5. *madefacta tep.* ex Aen. IX, 333 *tepefacta cruore Terra torique madent.* Homer. Od. λ, 419. δάπεδον δ' ἅπαν αἵματι θῦεν. Nunc vero pro *tepebat* exspectasses aliud verbum, quod lubricitatis notionem inuolveret. Ea enim caussa fuit, cur illi *conciderent lapsi*, i. e. co-

Sanguine, quo tellus late madefacta tepebat,
Conciderant lapsi; surgentibus obstitit ensis,
Alterius costis, iugulo Phorbantis adactus.
At non Actoriden Erithon, cui lata bipennis
Telum erat, hamato Perseus petit ense: sed altis
Exstantem signis, multaeque in pondere massae
Ingentem manibus tollit cratera duabus;
Infregitque viro. Rutilum vomit ille cruorem,
Et resupinus humum moribundo vertice pulsat.
Inde Semiramio Polydaemona sanguine cretum,
Caucasiumque Abarin, Sperchionidenque Lycetum,
Intonsumque comas Elycen, Phlegiamque, Clytumque
Sternit; et adstructos morientum calcat aceruos.
Nec Phineus ausus concurrere cominus hosti,
Intorquet iaculum; quod detulit error in Idan,

80. *hamato* Louan. habet pro diuersa lect. vnde Heins. recepit; frigidius enim ei, nec conueniens pugnantium ardori videbatur, quod caeteri habent, *admoto.* (86. *Sperchеiadenque* meliores, vt Heins. dicit, codd., quod praefert H. Vossius.) 88. Vulgo *exstructos.*

pia poëtica, laberentur. *late* non est vrgendum; etenim adhuc non nisi tres conciderant. *surgentibus*, surgere conantibus.

79 *Bipennis*, securis anceps, πέλεκυς δίστομος, σάγαρις, qua gentes quaedam, vt Amazones, loco gladii vtebantur. Aen. XI, 651. Forma eius expressa in multis monumentis. V. Montefalc. tab. CX. n. 7. *hamatus ensis*, harpe. IV, 719. *Crateres*, vasa ampliora, in quibus vinum temperatur aqua. Amabant autem Veteres *vasa exstantia signis*, i. figuris eminentibus caelata, anaglypha. Cf. XII, 235. *multa in pondere massa*, massa multi ponderis. *ingentem.* Aen. IX, 346 aliquis se tegit post magnum cratera. *infregit viro* Lenzius explicat, fregit in viro. Potius capiendum, vt in formula *infringere colaphos.* Vs. 121 pro eo *illidere.* XII, 237. cratera *misit in ora.* *Rutilum* etc. Aen. IX, 349. *Purpuream vomit ille animam.* Homer. Il. ξ, 437. κελαινεφὲς αἷμ' ἀπέμεσσεν.

88 *adstruere*, struere, cumulare. *Calcare* corpora, in primis caput et ceruicem, e ferocia victorum priscorum. Passim ap. Homer. λὰξ προσβαίνει aut λὰξ ἐν στήθεσι βαίνει. Aen. X, 495. *laeuo pressit pede Exanimem.* Hinc et in venatione ferae nobiliores stratae calcabantur. VIII, 425. V. Brouckhus. (*et* Burm. Secund.) ad Propert. I, 1, 4. vbi ad Amorem hoc translatum.

90 *Error*, ἁμάρτημα, cum quis non ferit scopum. Claudian. Rapt. II, 134. *te disci perculit error.* Etiam ap. Homer.

Expertem frustra belli, et neutra arma secutum.
Ille tuens oculis immitem Phinea toruis,
Quandoquidem in partes, ait, attrahor; accipe, Phineu,
Quem fecisti hostem, pensaque hoc vulnere vulnus.
Iamque remissurus tractum de corpore telum,
Sanguine defectos cecidit collapsus in artus.
Hic quoque Cephenum post regem primus Odites
Ense iacet Clymeni; Prothoënora perculit Hypseus;
Hypsea Lyncides. Fuit et grandaeuus in illis
Emathion, aequi cultor, timidusque Deorum:
Quem quoniam prohibent anni bellare, loquendo
Pugnat, et incessit, scelerataque deuouet arma.
Huic Chromis amplexo tremulis altaria palmis
Demetit ense caput, quod protinus incidit arae;
Atque ibi semanimi verba exsecrantia lingua
Edidit, et medios animam exspirauit in ignes.
Hinc gemini fratres, Broteasque et caestibus Ammon
Inuicti, vinci si possent caestibus enses,
Phineâ cecidere manu; Cererisque sacerdos

93. *attrahor* e melioribus praetulit Burm. τῷ *abstrahor*. (98. *Prothoënora* pro *Protenora* repositi e correctione Schraderi in praefat. ad Emendatt. p. 23. In Graecis enim est Προθοήνωρ. v. Homer. Il. β, 495 et ξ, 450. E.) 102. *detouet*. Nonnulli *deuocat*, i. *auocat* v. Heins. G. —

interdum error defert telum in alium, vt Il. ϑ, 302. 311. *Expers belli*, vt XII, 320. Aphidas. — *pensa h. v. vulnus*, accipe pro hoc vulnere vulnus. Cum enim quis facit, vt duae res pares sint, tum *pensare* alteram altera dr. *defectos* destitutos priuatos. v. Schwarz. ad Plin. pan. 26.

97 Hactenus cum vno Perseo pugna: hinc arma vertuntur et in Cephenum proceres.

104 *demetere*, vt ϑερίζειν et ἀμᾶν, frequenter pro trucidare et amputare, vid. Heins. ad h. l. et Valken. Diatrib. in Eurip. Reliq. p. 225. Vituperatus est Homer. Il. κ, 457. quod loquentis caput pulueri miscetur. At ille nihil aliud vult, nisi inter loquendum caput esse resectum. Verum h. l. caput iam resectum verba edit, vt VI, 558 lingua exsecta, et XI, 53.

Ampycus, albenti velatus tempora vittà.
Tu quoque, Iäpetide, non hos adhibendus in vsus;
Sed qui, pacis opus, citharam cum voce moveres;
Iussus eras celebrare dapes, festumque canendo.
Cui procul adstanti, plectrumque imbelle tenenti,
Pettalus irridens, Stygiis cane cetera, dixit,
Manibus; et laeuo mucronem tempore figit.
Concidit, et digitis morientibus ille retentat

111. variant libri in nomine *Iäpetide* Alii enim *Iäpetion;* Heidelberg. *iampetide;* alii *Lampetie;* alii *Lampetide*, quod placet Bothio. De scriptura *Iäpetide* pro *Iapetide* vid. ad IV, 632. 112. Heins. coni. *sed quo.* Cod. Berol. *mouendo*, quod ex seq. *canendo* ortum esse videtur. Praeterea vss. 111 — 113. per anacoluthon explicandi sunt. Iungi enim debebant arctius cum sequentibus. 115. Pro *irridens*, quod omnes codd. tuentur, cor. Heins.

110 *Albens vitta* insigne sacerdotum. XIII, 643. Priscis temporibus in regalibus conuiuiis musicus adhibebatur, qui laudes heroum resque diuinas ad citharam caneret. Cic. Tusc. I, 2. Quinctil. I, 10, 10. Talis erat Demodocus in conuiuio Alcinoi Od. ϑ, 62 sqq. et Iopas in conuiuio Didus Aen. I, 739. *Iäpetide.* Hemsterh. ad Aristoph. Plut. 207. intell. Prometheum, Iapeti filium; quod nemo, opinor, probabit. (Hemsterhusium propterea exagitat Schrader. Emendatt. cap. XII. p. 224.) *vsus*, negotia. *citharam cum voce* qui *mouet*, qui voce accinit citharae, citharoedus dr. Infra vs. 332. *vocalia ora mouere. celebrare dapes*, augere hilaritatem conuiuantium. Caeterum in compositione vss. 111 — 13. negligentiam quandam obseruabis, quam etiam Lenzius notauit, qui monet profici aliquid, si post *moueres* interpunctio maxima adhibeatur, et ad *tu quoque* subint. cecidisti. Putat etiam, vs. 113 melius afore. Mihi vero nec verba *non hos adhib. in vsus*, placent, quae melius se haberent, si ille coactus esset vna pugnare.

114 *imbelle*, leue, si comparetur cum armis. Alibi *imbellis cithara* aut *lyra* non apta rebus magnis canendis, sed amori et voluptati inseruiens. Brouckh. ad Propert. IV, 6, 36. Sarcasmo illi, *Stygiis cane caetera* similis est alius XII, 321 s. Mirum autem est, illum nec inter tumultum desiisse citharam cum voce mouere. *Retentat*, iterum tentat, pergit tangere, pulsare *fila lyrae* s. fides. Infra 339 *praetentare chordas.* In lusu seq. Nostro praeiuerat Ennius, *cumque caput caderet, carmen tuba sola peregit, Et, pereunte viro, raucum sonus aere cucurrit.* Imitatus eum est et Silius IV, 173. *casuque* etc. Locus varie lectus et acceptus. *casu* non est, forte, sed, lapsu. *concidit — casuque*, et concidens, *canit miserab. carmen*, edit voces miserabiles. Sed bene de musico, *canit carmen. miserabile*, misericordiam commouens. Cic. Attic. XIV, 10 *laudari miserabiliter.* Caeterum vt hic musicus, sic Aen. IX, 774

Expertem frustra belli, et neutra arma secutum.
Ille tuens oculis immitem Phinea toruis,
Quandoquidem in partes, ait, attrahor; accipe, Phineu,
Quem fecisti hostem, pensaque hoc vulnere vulnus.
Iamque remissurus tractum de corpore telum,
Sanguine defectos cecidit collapsus in artus.
Hic quoque Cephenum post regem primus Odites
Ense iacet Clymeni; Prothoënora perculit Hypseus;
Hypsea Lyncides. Fuit et grandaeuus in illis
Emathion, aequi cultor, timidusque Deorum:
Quem quoniam prohibent anni bellare, loquendo
Pugnat, et inuessit, scelerataque deuouet arma.
Huic Chromis amplexo tremulis altaria palmis
Demetit ense caput, quod protinus incidit arae;
Atque ibi semanimi verba exsecrantia lingua
Edidit, et medios animam exspirauit in ignes.
Hinc gemini fratres, Broteasque et caestibus Ammon
Inuicti, vinci si possent caestibus enses,
Phineâ cecidere manu; Cererisque sacerdos

93. *attrahor* e melioribus praetulit Burm. τῷ *abstrahor*. (98. *Prothoënora* pro *Protenora* reposui e correctione Schraderi in praefat. ad Emendatt. p. 23. In Graecis enim est Προθοήνωρ. v. Homer. Il. β, 495 et ξ, 450. E.) 102. *detouet*. Nonnulli *deuocat*, i. *auocat* v. Heins. G. —

interdum error defert telum in alium, vt Il. ϑ, 302. 311. *Expers belli*, vt XII, 320. Aphidas. — *pensa h. v. vulnus*, accipe pro hoc vulnere vulnus. Cum enim quis facit, vt duae res pares sint, tum *pensare* alteram altera dr. *defectos* destitutos priuatos. v. Schwarz. ad Plin. pan. 26.

97 Hactenus cum vno Perseo pugna: hinc arma vertuntur et in Cephenum proceres.

104 *demetere*, vt ϑερίζειν et ἀμᾶν, frequenter pro trucidare et amputare, vid. Heins. ad h. l. et Valken. Diatrib. in Eurip. Reliq. p. 225. Vituperatus est Homer. Il. κ, 457. quod loquentis caput pulueri miscetur. At ille nihil aliud vult, nisi inter loquendum caput esse resectum. Verum h. l. caput iam resectum verba edit, vt VI, 558 lingua exsecta, et XI, 53.

Ampycus, albenti velatus tempora vitta.
Tu quoque, Iäpetide, non hos adhibendus in vsus;
Sed qui, pacis opus, citharam cum voce moveres;
Iussus eras celebrare dapes, festumque canendo.
Cui procul adstanti, plectrumque imbelle tenenti,
Pettalus irridens, Stygiis cane cetera, dixit,
Manibus; et laeuo mucronem tempore figit.
Concidit, et digitis morientibus ille retentat

111. variant libri in nomine *Iäpetide* Alii enim *Iäpetion;* Heidelberg. *iampetide;* alii *Lampetie;* alii *Lampetide*, quod placet Bothio. De scriptura *Iäpetide* pro *Iapetide* vid. ad IV, 632. 112. Heins. coni. *sed quo.* Cod. Berol. *mouendo*, quod ex seq. *canendo* ortum esse videtur. Praeterea vss. 111 — 113. per anacoluthon explicandi sunt. Iungi enim debebant arctius cum sequentibus. 115. Pro *irridens*, quod omnes codd. tuentur, cor. Heins.

110 *Albens vitta* insigne sacerdotum. XIII, 643. Priscis temporibus in regalibus conuiuiis musicus adhibebatur, qui laudes heroum resque diuinas ad citharam caneret. Cic. Tusc. I, 2. Quinctil. I, 10, 10. Talis erat Demodocus in conuiuio Alcinoi Od. 9, 62 sqq. et Iopas in conuiuio Didus Aen. I, 739. *Iäpetide.* Hemsterh. ad Aristoph. Plut. 207. intell. Prometheum, Iapeti filium; quod nemo, opinor, probabit. (Hemsterhusium propterea exagitat Schrader. Emendatt. cap. XII. p. 224.) *vsus*, negotia. *citharam cum voce* qui *mouet*, qui voce accinit citharae, citharoedus dr. Infra vs. 332. *vocalia ora mouere. celebrare dapes*, angere hilaritatem conuivantium. Caeterum in compositione vss. 111 — 13 negligentiam quandam obseruabis, quam etiam Lenzius notauit, qui monet profici aliquid, si post *moueres* interpunctio maxima adhibeatur, et ad *tu quoque* subint. cecidisti. Putat etiam, vs. 113 melius afore. Mihi vero nec verba *non hos adhib. in vsus*, placent, quae melius se haberent, si ille coactus esset vna pugnare.

114 *imbelle*, leue, si comparetur cum armis. Alibi *imbellis cithara* aut *lyra* non apta rebus magnis canendis, sed amori et voluptati inseruiens. Brouckh. ad Propert. IV, 6, 36. Sarcasmo illi, *Stygiis cane caetera* similis est alius XII, 321 s. Mirum autem est, illum nec inter tumultum desiisse citharam cum voce mouere. *Retentat*, iterum tentat, pergit tangere, pulsare *fila lyrae* s. fides. Infra 339 *praetentare chordas.* In lusu seq. Nostro praeiuerat Ennius, *cumque caput caderet, carmen tuba sola peregit, Et, pereunte viro, raucum sonus aere cucurri*. Imitatus eum est et Silius IV, 173. *casuque* etc. Locus varie lectus et acceptus. *casu* non est, forte, sed, lapsu. *concidit — casuque*, et concidens; *canit miserab. carmen,* edit voces miserabiles. Sed bene de musico, *canit carmen. miserabile*, misericordiam commouens. Cic. Attic. XIV, 10 *laudari miserabiliter.* Caeterum vt hic musicus, sic Aen. IX, 774

Fila lyrae, casuque canit miserabile carmen.
Non sinit hunc impune ferox cecidisse Lycormas;
Raptaque de dextro robusta repagula posti
Ossibus illidit mediae ceruicis: at ille
Procubuit terrae, mactati more iuuenci.
Demere tentabat laeui quoque robora postis
Cinyphius Pelates: tentanti dextera fixa est
Cuspide Marmaridae Corythi, lignoque cohaesit.
Haerenti latus hausit Abas; nec corruit ille,
Sed retinente manum moriens e poste pependit.
Sternitur et Menaleus, Perseïa castra secutus,
Et Nasomoniaci Dorylas ditissimus agri;
Diues agri Dorylas; quo non possederat alter
Latius, aut totidem tollebat farris aceruos.
Huius in obliquo missum stetit inguine ferrum:
Letifer ille locus. Quem postquam vulneris auctor

i, ridens, idque recepp. Burmann. et Gierig. Reuocaui cum Mitscherl. et Bothio *irridens*, quod nostro loco et Pettalo irruenti et citharoedum despicienti egregie conuenit. Melius forte etiam in antec. vs. ex plurimis codd. legeretur *quem adstantem* et *tenentem*, vt haec verba iungerentur cum *irridens*, neque cum *dixit*. E. 118. Olim edeb. *casuque fuit*. Heins. ex melioribus, *canit*. Burm., in *casuque canit* cacophonon esse ratus, suasit *fugit*, h. e. casu viri ad terram, et inde morte consecuta carmen aufugit et desiit. 131. Iac. Gronou. pro *tollebat* coni. *cogebat*. Sed v. Burm.

sqq. poëta interest praelio et occiditur.

120 *Repagula* s. ligna transversa, quibus fores muniebantur, vtrique posti inserta erant, et, vt e vs. 127 colligas, in parte superiore. *Procubuit terrae*, vt 197. *prosternere humi*. VII, 578. *terrae iacens*.

123 *Demere*. Cic. dixit *convellere repagula*. *robora*, repagula roborea. *Cinyps*, pars Libyae cum flumine cognomini. *Marmaridae* inter Aegyptum et Cyrenen incolebant. Plin. V, 6. *fixa est*. Simile quid XII, 331. 387. *haurire*, confodere, transigere, *latus* dixit iam Lucret. V. 1323. ex Homeric. ἀφύσσειν. Schirach. metaph. inde ductam putat, quod exhauriatur sanguis. Melius haud dubie Heyn. ad Virg. Aen. II, 600. quia hauriendo penetretur vase immisso et diffundatur aqua. Exempla multa h. locutionis e poëtis et historicis collegit Drakenb. ad Silium V, 524.

128 *Castra secutus*, pugnans pro Perseo. XII, 286. *sit fortis castrorum turba tuorum*. *Nasamones* Cyrenen incolebant. Plin. V, 5. vbi et de fertilitate agri Cyrenaici. Et omnino Africa πυροφόρος. In nummis cum spicis et cornu Copiae cernitur. Ibi Romani immensas possessiones habebant. *Ditissimus agri*

Singultantem animam, et versantem lumina vidit
Bactrius Halcyoneus, Hoc, quod premis, inquit, habeto
De tot agris terrae; corpusque exsangue reliquit.
Torquet in hunc hastam calido de vulnere raptam
Vltor Abantiades, media quae nare recepta
Ceruice exacta est, in partesque eminet ambas.
Dumque manum Fortuna iuuat; Clytiumque, Claninque
Matre satos vna, diuerso vulnere fudit.
Nam Clytii per vtrumque graui librata lacerto
Fraxinus acta femur; iaculum Clanis ore momordit.
Occidit et Celadon Mendesius; occidit Astreus,
Matre Palaestina, dubio genitore creatus;
Aethionque sagax quondam ventura videre,
Tunc aue deceptus falsa; regisque Thoactes
Armiger; et caeso genitore infamis Agyrtes.
 Plus tamen exhausto superest: namque omnibus vnum
Opprimere est animus. Coniurata vndique pugnant

etiam Aen. X, 563. *latius*, latiores agros. *Tolli* eleganter drr. quae ex agris redeunt et colliguntur. Sic et Fast. IV, 560,

134 *Singultare*, cum singultu s. motibus conuulsiuis exhalare. Aen. IX, 333 *truncus sanguine singultans*. 415. *longis singultibus ilia pulsat*.

139 *in partes em. am.* διαμπερὲς tale telum ab Homero vr. — *librata*. V. ad III, 311. *Libratione* illa vis maxima addebatur telis; itaque et Aen. IX, 418. *librata hasta* it Tago *per tempus vtrumque*. — *momordit iac.* iaculum haesit in ore. Homer. Il. ε, 75. ψυχρὸν δ' ἕλε χαλκὸν ὀδοῦσιν.

144 *Mendes*, oppidum Aegypti et nomos ad ostium Nili, quod inde Mendesium. Plin. V, 9 s. 9. et 10 s. 11. *videre ventura*, in videndis venturis. *aue deceptus*, quo minus interitum suum praeuideret. Silius V, 405 *vanis deceptus in alite signis*. Hoc quoque ex Homer. et Virg. Etenim Il. β, 859 Mysis praeerat Ennomus augur, qui οὐκ οἰωνοῖσιν ἐρύσσατο κῆρα μέλαιναν. Aen. IX, 327 Rhamnes *Turno gratissimus augur: Sed non augurio potuit depellere pestem*.

149 Pugnae descriptio interrumpitur aliquamdiu. *meritum fidemque* respicit vs. 28. *Fauent* aut *student* qui spectantes dictis et factis declarant, cui parti dediti sint. *pro parte*, parti. *vlulatus*, clamor feminarum. XII, 226. *femineo clamore sonat domus*. *superat*, obstrepit, ἀντιφωνεῖ. Vt *Pallas* et *Fortuna*,

Agmina pro caussa, meritum impugnante fidemque.
Hac pro parte socer frustra pius, et noua coniux
Cum genitrice fauent, vlulatuque atria complent:
Sed sonus armorum superat, gemitusque cadentum;
Pollutosque semel multo Bellona Penates
Sanguine perfundit, renouataque proelia miscet.
Circueunt vnum Phineus, et mille secuti
Phinea. Tela volant hibernâ grandine plura
Praeter vtrumque latus, praeterque et lumen, et aures.
Adplicat hinc humeros ad magnae saxa columnae;
Tutaque terga gerens, aduersaque in agmina versus,
Sustinet instantes. Instabant parte sinistra
Choanius Molpeus, dextra Nabataeus Ethemon.
Tigris vt, auditis diuersâ valle duorum
Exstimulata fame mugitibus armentorum,
Nescit, vtro potius ruat; et ruere ardet vtroque:

(159. Tres codd. *propter vtrumque latus*, quod defendit Burmannus.)

sic et *Bellona* huic pugnae intererat. *Penates* stabant in ipso atrio, ad focum. Ii *polluebantur* sanguine iniuste fuso. Ita grauiter ornauit illud: aucta est caedes, semel coepta. Satis fuisset, *renouat proelia*, sed plenius, *renouata miscet*. Et milites pugnantes *miscent* proelia, (Virg. G. II, 282.) et qui animos eorum excitant ad pugnandum.

158 *hiberna*, quam procellae in terram deiiciunt. Aen. X, 801 sqq. *Tela coniiciunt, velut effusa si quando grandine nimbi Praecipitant.* Cf. IX, 668. Ap. Homer. Il. μ, 156. vero tela νιφάδες ὥς πίπτον ἔραζε.

160 Similem Alexandri pugnam referunt Curt. IX, 5 et Iustin. XII, 9. quam minime credibilem, et ex hac Persei fabula fictam putat Burm. *adplicare* verb. propr. in hac re. *ad saxa*, saxis. Atria autem media *magnae* olim innitebantur *columnae*.

163 A *Chaonibus*, qui ex antiquissima Pelasgorum stirpe erant, vetustissimis temporibus pars Epiri habitabatur. Strabo p. 498: Plin. IV. prooem. Male autem *Chaonius* et *Nabataeus* (V. ad I, 61) hic iunguntur. Non igitur dubitaui e Micylli coniectura *Choanius* exhibere. Probat eam etiam Harduin. ad Plin. VI, 28 s. 32. vbi de *Choanis*, Arabiae incolis, agitur. *Tigris* etc. Bene delecta similitudo. Homer. vero et Virg. cum *leone impasto* potius, quem *vesana fames stimulat*, fortem bellatorem comparant. Aen. IX, 339.

Sic dubius Perseus, dextra laeuane feratur.
Molpea traiecti submouit vulnere cruris,
Contentusque fuga est. Neque enim dat tempus Ethemon;
Sed furit, et, cupiens alto dare vulnera collo,
Non circumspectis exactum viribus ensem
Fregit; et extrema percussae parte columnae
Lamina dissiluit, dominique in gutture fixa est.
Non tamen ad letum caussas satis illa valentes
Plaga dedit: trepidum Perseus, et inermia frustra
Brachia tendentem Cyllenide confodit harpe.

Verum vbi virtutem turbae succumbere vidit,
Auxilium Perseus, quoniam sic cogitis ipsi,
Dixit, ab hoste petam. Vultus auertite vestros,
Si quis amicus adest: et Gorgonis extulit ora.
Quaere alium, tua quem moueant miracula, dixit
Thescelus: vtque manu iaculum fatale parabat
Mittere, in hoc haesit signum de marmore gestu.
Proximus huic Ampyx animi plenissima magni
Pectora Lyncidae gladio petit; inque petendo

169. Optimus Florent. *fugae*, quod non contemnendum videtur Heins. quem vide ad XV, 513 et Freinshem. ad Curt. VI, 2. 172. Nescit Burm. annon rectius *extremae percussa*, quod in sex libris. 178. Heins. malebat *ipso*.

170 *Furere*, μαίνεσθαι, θύειν, saepe bono sensu de milite acriter pugnante. Brouckh. ad Propert. IV, 6, 56. Sed idem et iratorum est. *non circumspectis*, non antea ponderatis, h. nimiis. *Exigere ensem* summam virium intentionem notare, docuit Barth. ad Stat. VI Theb. 718. *dominus*, qui vtitur aliqua re. *Cyllenide*, quam a Cyllenio s. Mercurio acceperat. vid. ad IV, 726. Etiam Orph. Lith. 15, 45. ἅρπην Κυλληνίδα habet.

177 Serius hoc auxilio vtitur, vt fortitudinem antea ostentaret. *Hostis*, Gorgo olim occisa. Eius capite in pugna cum Gigantibus similiter vtitur Minerua ap. Claudian. 37, 93 sqq. *extulit*. IV, 655. *prodidit ora*. *miracula*, magicae artes, vs. 197. *moueant*, terreant. *fatale* Rode vertit *den tödtlichen*. Sic sane *telum fatale* Aen. XII, 919 et alibi. At nunc nemo illo interficiebatur. Ergo *fatale* potius est, quod arreptum caussa fuit ipsi mutationis. *haesit signum* exquisite; factum est signum. *Gestus* illi aut similes notati haud dubie iam ab antiquiore poëta. Etenim etiam in Polydectae et amicorum transformatione, obseruante Apollod. II, 4, 3. τῶν ἰδόντων, ὁποῖον ἕκαστος ἔτυχε σχῆμα ἔχων, ἀπελιθώθη. Hoc ergo Noster et IV, 551 sqq. secutus est.

Dextera diriguit, nec citra mota, nec vltra.
At Nileus, qui se genitum septemplice Nilo
Ementitus erat, clypeo quoque flumina septem
Argento partim, partim caelauerat auro,
Adspice, ait, Perseu, nostrae primordia gentis;
Magna feres tacitas solatia mortis ad vmbras,
A tanto cecidisse viro. Pars vltima vocis
In medio suppressa sono est; adapertaque velle
Ora loqui credas, nec sunt ea peruia verbis.
Increpat hos, Vitioque animi, non crinibus, inquit,
Gorgoneis torpetis, Eryx: incurrite mecum,
Et prosternite humi iuuenem magica arma mouentem.
Incursurus erat: tenuit vestigia tellus;
Immotusque silex, armataque mansit imago.
Hi tamen ex merito poenam subiere: sed vnus
Miles erat Persei, pro quo dum pugnat, Aconteus,
Gorgone conspecta saxo concreuit oborto:
Quem ratus Astyages etiamnum viuere, longo
Ense ferit: sonuit tinnitibus ensis acutis.
Dum stupet Astyages, naturam traxit eamdem;
Marmoreoque manet vultus mirantis in ore.
Nomina longa mora est media de plebe virorum
Dicere. Bis centum restabant corpora pugnae:
Gorgone bis centum riguerunt corpora visâ.

(186. *ultra est* ante Heins. edebatur; sed hic *est* sustulit.)
199. Maxima pars Codd. *silet*, quod probat Viuian.

187 Sic Turnus in clypeo Inachum fluuium, quia ab Inacho genus ducebat, caelatum habebat. Aen. VII, 789 sqq. *primordia*, origo. *Cadere ab aliquo* per breuiloquentiam dr. is, qui interfectus ab eo cadit. Exempla hab. t Burm. Magnum autem Veteribus erat solatium, a magno viro cadere. vid. ad IX, 6.

196 *Torpere* verb. ambiguae significationis, cum et de saxi natura, et de homine inerti dicatur. *Vestigia*, pedes.

202 *Concreuit*, immobilis est factus. Eleganter Pont. II, 11, 10. *concretus dolor*, cum quis ita obstupescit, vt sine motu stet, veluti in saxum mutatus. *trahere* vt II, 236. *media de plebe*. Aen. IX, 343. *multam sine nomine plebem*. *Corpora* saepe pro hominibus. Aen. II, 18 *delecta virum corpora*.

Poenitet iniusti nunc denique Phinea belli.
Sed quid agat? Simulacra videt diuersa figuris,
Agnoscitque suos, et nomine quemque vocatos
Poscit opem; credensque parum, sibi proxima tangit
Corpora; marmor erant. Auertitur, atque ita supplex,
Confessasque manus, obliquaque brachia tendens,
Vincis, ait, Perseu: remoue fera monstra, tuaeque
Saxificos vultus, quaecumque ea, tolle Medusae,
Tolle precor; non nos odium, regniue cupido
Compulit ad bellum: pro coniuge mouimus arma.
Caussa fuit meritis melior tua, tempore nostra.
Non cessisse piget, nihil, ô fortissime, praeter
Hanc animam concede mihi; tua cetera sunto.
Talia dicenti, neque eum, quem voce rogabat,
Respicere audenti, Quod, ait, timidissime Phineu,
Et possum tribuisse, et magnum munus inerti est,
(Pone metum) tribuam; nullo violabere ferro.
Quin etiam mansura dabo monumenta per aeuum,
Inque domo soceri semper spectabere nostri,
Vt mea se sponsi soletur imagine coniux.

212. Vulgo *vocatum*. Multi *vocando* aut *vocato*. 215. Varietates sunt, *confossas*, *conflexas*, *conuersas*, *complosas*. (224. Pro *Phineu* cor. Bothius *Perseus*, et post *timidissime* incidit; sed potest salno sensu abesse loquentis nomen. 229. Hunc vers. spurium esse, contendit Schrader. Emendatt. c. XI p. 209, quoniam Perseus non satis decore facetus sit, praesertim si conferas vs. 236.

215 Victos se Veteres *confitebantur* sublatis *manibus*, vt docet Faber Agon. I, 8. *obliqua brachia* habebat supplicans Phineus, cum obstupefactus pedem retro ferret, vultumque, ne mutaretur, auerteret. *fera monstra*, Φαλὴ δεινοῖο πελώρου Il. ε, 741. *Saxificus*, in saxum conuertens; vox ab Ouidio, vt videtur, facta ad formam *vulnificus*.

225 Lenzius interpungit post *possum*, *tribuisse* autem coniungit cum seqq. quamquam non negat, *tribuisse* posse capi pro *tribuere*. Hoc et forte melius. Horat. A. P. *poteras dixisse*, dicere. Et ita passim. (Conf. Heroidd. III, 110. IV, 88. IX, 76. A. A. I, 412, 496. II, 583, 84. 612 etc.) *Vt mea se sponsi* etc. Temere hoc additum; etenim Andromeda mox relinquebat cum Perseo paternam domum. — *Submissae*, supplices. Cic. Planc. 10. *tribubus me submisi et supplicaui*. *Obnoxius* nunc proprie, qui conscius sibi malae rei cedit alteri. vid. Parei Lexic. crit. h. v.

Dixit, et in partem Phorcynida transtulit illam,
Ad quam se trepido Phineus obuerterat ore.
Tunc quoque conanti sua flectere lumina, ceruix
Diriguit, saxoque oculorum induruit humor.
Sed tamen os timidum, vultusque in marmore supplex,
Submissaeque manus, faciesque obnoxia mansit.
Proetus.
Victor Abantiades patrios cum coniuge muros
Intrat, et immeriti vindex vltorque parentis
Adgreditur Proetum: nam fratre per arma fugato
Acrisioneas Proetus possederat arces.
Sed nec ope armorum, nec, quam male ceperat, arce,
Torua colubriferi superauit lumina monstri.
Polydectes
Te tamen, o paruae rector, Polydecta, Seriphi,

Quae tamen causa non sufficere videtur ad versum, quem omnes codd. tuentur, eiiciendum. E.) 236. Cod. Leid. *fines* et pro varia lect. *portus.* (237. *immeriti* e plurimis et optimis codd. praefert H. Vossius. Sed Bothius cum Heinsio *immeritae* defendit, monens: „Acrisio pulso regnum Argorum unicae eius filiae, Danaae, tradendum erat; quo cum Proetus ipse potitus esset, et hereditate sua neptem spoliasset, punitur a Perseo." vid. tamen Gierig. E.)

FAB. II, 236—249 *Perseus* cum *Andromeda* in patriam redit, atque *Proetum* et *Polydecten* in saxa conuertit.

236 *patrios muros*, Argos vrbem, quam etsi tenebat Proetus, tamen intrare Perseus poterat. Non igitur erat, cur Burm. praeferret *fines* aut *portus.*

237 Heins. ex Naugerii Mss. dedit *immeritae*, vt *parens* hic sit Danaë; quae quo iure dicatur *immerita*, et quam iniuriam ei a Proeto illatam vlcisci voluerit Perseus, non inuenio. Verum haud dubie vidit Lactant. in Argum. h. fab., qui per *parentem*, auum Acrisium intel.; quem etiam *immeritum*, non bene de Perseo meritum (Arca enim inclusum Persea cum matre in mare proiecerat), *vindicare*, in regnum, quo pulsus a fratre erat, restituere voluerit. Rectius tamen *immeritum* interpretaberis, qui talem sortem non meruerat, vt a fratre regno exueretur. Abantis filii regnum paternum ita inter se diuiserant, vt *Acrisius* Argis maneret, *Proetus* Tirynthem et alia possideret. Dissidia inter eos orta esse, etiam Pausan. II p. 145 narrat, sed Proetum *Acrisioneas possedisse arces*, Argos vrbem occupasse, nec ab illo, nec ab alio auctore traditur.

242 *Polydectes*, rex Seriphi (quae fuit vna ex Cycladibus), frater Diotyis, qui Dictys Persea cum matre in arca ad insulam delatum educandum curauerat. Polydectes autem, Danaës amore captus, sed Hippodamiae nuptias simulans, cum munera ab amicis colligeret, quibus Hip-

Nec iuuenis virtus, per tot spectata labores,
Nec mala mollierant: sed inexorabile durus
Exerces odium; nec iniqua finis in ira est.
Detrectas etiam laudes, fictamque Medusae
Arguis esse necem. Dabimus tibi pignora veri;
Parcite luminibus, Perseus ait; oraque regis
Ore Medusaeo silicem sine sanguine fecit.
Hactenus aurigenae comitem Tritonia fratri
Se dedit. Inde caua circumdata nube Seriphon *Colloquium Mus. c. Pallade.*
Deserit, a dextra Cythno, Gyaroque relictis:
Quaque super pontum via visa breuissima, Thebas,

244. *durus.* T. rt. Medic. et Geneu. *dirus.* 246. Plurimi Codd. *detractas.* V. Corte ad Sallust. Iug. 53 extr. (et Nolten. in Lexic. Antibarb. p. 50.) 252. *Cythno.* Mss. omnes *Cypro.* Quae insula cum remota nimis sit a Seripho, varie hoc nomen ab Edd. tentatum est. *Cythno* correxit Nauger. Et sic Planudes habet in metaphr. graeca. *Cythnus* et *Gyarus* e numero Cycladum sunt.

podamiam emeret, Perseus vltro promisit, se vel Gorgonis caput allaturum, quibus promissis vt staret, eum impulit Polydectes. Reuersus comperit, matrem cum Dictye ob Polydectae violentiam ad aras confugisse; qua re commotus illum cum sociis in saxa mutat. Sic Apollod. II, 1—4. Cf. Schol. Apollon. IV, 1091 et Schol. Pindari P. 10, 72. 12, 18. Zenob. I, 42. Hygin. fabb. 63. 64. 273. Exstiterant olim Aeschyli Polydectes, Sophoclis Danaë, Euripidis Danaë et Dictys. Sed in primis Pherecydem seriores mythologi secuti esse videntur. Persea cum Medusae capite in Seriphon redeuntem pinxerat Polygnotus. Pausan. p. 52.

244 *durus*, inexorabilis, vt Fast. IV, 111. *dura puella.* Et h. l. bene opp. τῷ *mollierant.* Otiosae additum *nec iniqua* etc. *detrectare*, minuere, detrahere gloriae alterius. *Parcere oculis* alibi est, iis non vti, Tibul. I, 2, 23. sed h. l. eos auertere, (non adspicere, vt recte monet Vulp. ad Tibul. I, 2, 33 p. 25.) Non autem *regis* tantum *ora* mutauit, sed et amicorum. Pher cyd. Pindar. Apollod. Fabulam Strabo X, p. 487 e saxosa Seriphi natura explicat, Οὕτω δ' ἐστὶ πετρώδης ἡ νῆσος, ὥστε ὑπὸ τῆς Γοργόνος τοῦτο παθεῖν αὐτήν φασιν οἱ κωμῳδοῦντες. Apud Hygin. fab. 273, qui haud dubie Aeschylum secutus est, Polydectae funebres ludos Perseus facit.

FAB. III, 250—678 *Musarum colloquia cum Pallade.* Pallas, relicto Perseo, Heliconem petit, vbi Musae ei narrant, 1) vim, quam ipsis parauerit *Pyreneus*, 250—293. 2) certamen, quod sibi fuerit cum *Pieridibus*, qua occasione multae metamorphoses commemorantur.

Aurigena, χρυσογενής, χρυσόπατρος, quem Iupiter in aurum conuersus genuerat. Sic *draconigena* et alia, quae supra legimus. Perplacet Schirachio hoc epith., quod nobilem habeat audaciam. *se dedit comitem* exqui-

Virgineumque Helicona petit; quo monte potita
Constitit, et doctas sic est adfata sorores:
Fama noui fontis nostras peruenit ad aures,
Dura Medusaei quem praepetis vngula rupit.
Is mihi caussa viae; volui mirabile monstrum
Cernere; vidi ipsum materno sanguine nasci.
Excipit Vranie: Quaecumque est caussa videndi
Has tibi, Diua, domos, animo gratissima nostro es.
Vera tamen fama est, et Pegasus huius origo
Fontis; et ad latices deducit Pallada sacros.
Quae mirata diu factas pedis ictibus vndas,
Siluarum lucus circumspicit antiquarum,

(255. Cod. *Berol. et doctas ibi sic affata sorores.*) 257. *rupit.* Vnus Ciofan. et septem Heinsii, *fecit.* Hinc Heins. coni. *fregit.* 258. *monstrum* pro *factum* reuocauit Heins. e Cantabr. priore Erfurt. secundo Medic. et aliis quibusdam. (262. Bothius dicit, rudem esse orationem: *Vera tamen fama est, et Pegasus* etc. nec placere sine pondere repetitam copulam. Correxit: *Vera tamen fama: stat Pegasus* etc. vt vltima v. *fama* syllaba propter sequens *st* producatur. Sed non video, cur copula *et* displicere possit. Imo bene hoc *et* sequentem sententiam priori annectit. E.) 264. *factas.* Oxon. *fractas.*

sitius, quam, fuit comes. *Se dare* enim omnino dic. qui intersunt aut adsunt aliis, ad eos se applicant. *caua nube*, vt, qui aquam ingrediuntur, *curuata aqua* cinguntur. Virg. G. IV, 361. *Helicon virginibus* s. Musis consecratus, quo tempore earum cultus e Thracia in Boeotiam transiit. *Potitur* loco, qui eo peruenit. *Sorores* vrr. et Furiae IV, 470. atque Parcae Horat. II od. 3, 15; sed Musae *doctae sorores*, quod epitheton ab iis ad poëtas in primis translatum est.

256 *noui fontis*, quem a forma Hippocrenes nomen accepisse putant. Sed vndecunque ei impositum sit, etymologica eius interpretatio fab. ministrauit. Etiam Troezenii cum fontem haberent cognominem, mythum ad se traxerunt. Pausan. II, 31. *Medusaeus praepes*, Pegasus e sanguine Medusae ortus. IV, 784. De significatione τοῦ *praepes* iam olim disputabant Grammatici. Omnino celerem notat, et nunc substantiue equum celerem. (vid. Burm. Secund. ad Anth. Lat. T. I. p. 7.) *monstrum*, fons mirabili modo inuentus. Sic *mirabile monstrum* etiam Virgil. Aen. III, 26. *rupit* melius, quam, *fecit.* mox *factas pedis ictibus vndas.* Pr. *rumpitur*, scinditur, terra, vnde fons exit.

261 *animo grat. n.* Notat Heins. esse hemistichium Homeric. ἐμῷ κεχαρισμένη θυμῷ. *origo*, auctor, vt I, 79. *tamen*, autem. Fons ille *Pegaseae aquae* ap. Claudian. 55, 4. et *Bellerophontei humor equi* Propert. III, 2, 2.

265 Helicon praestabat soli bonitate, consitus erat arboribus,

Antraque, et innumeris distinctas floribus herbas;
Felicesque vocat pariter studiique, locique
Mnemonidas. Quam sic adfata est vna sororum:
O, nisi te virtus opera ad maiora tulisset,
In partem ventura chori Tritonia nostri,
Vera refers, meritoque probas artesque locumque;
Et gratam sortem, tutae modo simus, habemus.
Sed (vetitum est adeo sceleri nihil) omnia terrent
Virgineas mentes, dirusque ante ora Pyreneus
Vertitur; et nondum me tota mente recepi.
Daulia Threïcio Phoceaque milite rura
Ceperat ille ferox, iniustaque regna tenebat.
Templa petebamus Parnasia. Vidit euntes,
Nostraque fallaci veneratus numina cultu,
Mnemonides (cognorat enim) consistite, dixit,

268. Olim ed. *Maeonidas.* Vetustiores Mss. *Memnonidas,* vnde Heins. cor. *Mnemonidas*, et sic optimus Florent. (Bothium offendunt verba *adfata est* propter vs. 255. et cor. *resccuta est.* Non recte.) 269. *tulisset.* Iunian. et sex alii, *vocasset.* (271. *artemque* Berol. Heidelberg. et multi alii.)

fruticibus et herbis tam saluberrimis, quam suauissimi odoris. In eo lucus Musarum, ad laenam fons Aganippe. Pausanias Boeot. p. 763 sqq. *felices studii*, deest, respectu. Horat. I. Sat. 9, 11. *felix cerebri.* Virg. *felix vteri*, et in nostro opere III, 132 Mss. nonnulli *exsilii felix.* (Exprimit hic genitiuus vtique relationem rei ad aliquid; sed non opus est, vt subaudiatur *respectu;* imo simpliciter ita ponitur. vid. Heins. ad Metam. VII, 435. Burmann. ad Valer. Fl. VI, 266. Burm. Sec. ad Anth. Lat. T. I, p. 72. et quos collegit Cl. Weichert, Vir multis nominibus mihi venerandus, ad Valer. Flacc. VIII, 14. E.) *Mnemonides* a graeco μνήμων; inde et Mnemosynes filiae dictae.

269 Blanda et vrbana compellatio. *opera maiora*, nempe bellica. *chorus*, numerus, coetus, quamquam Musae et *choros* instituebant. Hesiod. Theog. 7. Suauiter additum, *virgineus;* virgines enim facile terrentur. Et virgineo terrori conueniunt et sqq. *dirusque — vertitur. Pyreneus* e Thracia coloniam deduxit in Boeotiam, atque vel ruditate sua vel bello Musas inde fugasse dici potuit. *Se recipere* aut *colligere* dicuntur, qui ex magna animi perturbatione ad tranquillitatem redeunt.

276 *Daulis*, vrbs Phocidis, ex qua via ducebat ad Parnasi iuga. Pausan. Phoc. p. 807 s. *Templa Parn.* nempe Apollinis et Bacchi, qui ibi colebantur. Rode, *zu den Höhen des P.*

280 *Consistere* proprie dicuntur, qui a cursu aut itinere quiescunt. Burm. *sidus*, tempestas, quia ortus siderum et occasus tempestates concitat. Flor. II, 8, 8. *hoc velut sidere Asiatici belli mota tempestas.* Sed Burm. maluit, *graue frigus,*

Nec dubitate, precor, tecto graue sidus et imbrem
(Imber erat) vitare meo; subiere minores
Saepe casas Superi. Dictis et tempore motae
Adnuimusque viro, primasque intrauimus aedes.
Desierant imbres; victoque Aquilonibus Austro
Fusca repurgato fugiebant nubila coelo.
Impetus ire fuit: claudit sua tecta Pyreneus;
Vimque parat, quam nos sumtis effugimus alis.
Ipse secuturo similis stetit arduus arce;
Quaque via est vobis, erit et mihi, dixit, eadem;
Seque iacit vecors e summae culmine turris,
Et cadit in vultus, discussique ossibus oris
Tundit humum moriens, scelerato sanguine tinctam.
Pierides. Musa loquebatur. Pennae sonuere per auras:
Voxque salutantum ramis veniebat ab altis.

(286. *repercusso* permulti codd. Sed *repurgato* cum Intpp. probat Burm. Sec. ad Lotich. p. 38.) 292. *discussique* ex optimo Florent. dedit Heins. Vulgo, *discussisque*.

quia poëtae *graue sidus* vocare soleant acrem solem et inde vehementem calorem; sed hunc non conuenire imbri, quia, cum ille cadat, vehementia sideris frangatur; quae omnia frustra ab eo monita sunt.

284 *primas aedes*, atrium.

291 *Vecors*, iniecta ei insania. *turris*, regia.

293 Fabulae sensum deprehendisse sibi videtur Saftius. Putat enim, Pyren. hunc fuisse malum poëtam, qui, etiamsi alis h. e. ingenio poëtico destitutus fuerit, tamen volare voluerit, et, parum procedente opera, quasi vim inferre Musis, sed qui frustra desudauerit, *der sich den Kopf vergeblich zerbrochen habe*.

294 — extr. *Certamen Musarum cum Pieridibus*. Pausan. Boeot. p. 765. auctor est, *Pierum* Macedonem *Thespias* venisse, ibique instituisse, vt ex Thracum disciplina nouem Musae iis nominibus, quibus adhuc appellantur, colerentur. Ex aliorum autem opinione ipsum habuisse nouem filias, quas Musarum nominibus insignierit. Hoc earum certamen e Nicandro refert etiam Anton. Liberal. IX. Eo auctore Musarum cantu tota rerum natura delinita est, Pieridum contra strepitu tenebris inuoluta. Victae Pierides in nouem diuersas aues mutantur.

Pennae sonuere, auditus est clangor alarum. *salutantum*. Nempe aues illae a Graecis et Romanis docebantur reddere in primis vocem χαῖρε. Persius Prol. 8. *Tam certa loquentes*. Sonus ille non vtcunque simulabat vocem humanam, sed quam simillimus ei erat, adeo vt hominis vox credi posset. Martial. XIV,

Suspicit, et linguae quaerit tam certa loquentes
Vnde sonent; hominemque putat Ioue nata locutum:
Ales erat; numeroque nouem, sua fata querentes,
Institerant ramis imitantes omnia picae.
Miranti sic orsa Deae Dea: Nuper et istae
Auxerunt volucrem victae certamine turbam.
Pieros has genuit Pellaeis diues in aruis:
Paeonis Euippe mater fuit. Illa potentem
Lucinam nouies, nouies paritura, vocauit.
Intumuit numero stolidarum turba sororum;
Perque tot Haemonias, et per tot Achaïdas vrbes
Huc venit, et tali committunt praelia voce:
Desinite indoctum vana dulcedine vulgus
Fallere; nobiscum, si qua est fiducia vobis,
Thespiades certate Deae: nec voce, nec arte
Vincemur; totidemque sumus. Vel cedite victae
Fonte Medusaeo, et Hyantea Aganippe:

297. Heins. maluit, *hominumque loquentum.* (299. Pro *omnia* cod. Berol. e correctione *omina* cum glossa, *mala signa.*) 310. *Thespiades,* Nonnulli *Aonides.*

76. *Pica loquax certa dominum te voce saluto, Si me non videas, esse negabis auem.* Eodem sensu supra II, 668. *certi hinnitus.* Contra Quinctil. Inst. II, 1, 21 de infante, *loqui primum incerta voce tentauit.* *Picis* autem expressior adeo loquacitas, quam psittacis. Plin. X, 42 s. 59. *Victas certamine* Pieridas esse a Musis, vetus erat traditio, quae forte hoc volebat, Graecos proprie sic dictos ingenio superasse finitimos, Macedonas etc.

302 *Pieros,* Inde *Pierides* dictae, quo nomine interdum ipsae Musae insigniuntur a *Pieria,* vbi cultae. Nomina *sororum* habet Anton. Liberal. IX. vbi vid. Munker, *vocauit*, inuocauit. *Iuno Lucina fer opem, obsecro!* Terent. Ad. III, 1, 15. De *Pella* et *Paeonia* mox ad vs. 313. *Haemonia*, Thessalia. I, 568. Eius partes *Achaia*, Pelasgiotis et Phthiotis.

307 *Committunt proelia,* prouocant ad certamen, *Thespia,* oppidum iuxta Heliconem. Ibi in honorem Musarum dies festi et ludi celebrabantur. Pausan. p. 761 et 771.

312 *Hyantea.* II, 147. *Emathia*, Macedonia, Iustin. VII, 1. Eius oppidum *Pella*, patria Pieridum. Partem Macedoniae septemtrionalem *Paeonia* protegebat a Triballis. Plin. IV, 10. *niuosos*, quia Graecis ad septentrionem; [vel potius quia ad montem Orbelon, partem Haemi, habitabant. Haemus autem et omnino montes Thraciae saepissime *niuosi*

Nec dubitate, precor, tecto graue sidus et imbrem
(Imber erat) vitare meo; subiere minores
Saepe casas Superi. Dictis et tempore motae
Adnuimusque viro, primasque intrauimus aedes.
Desierant imbres; victoque Aquilonibus Austro
Fusca repurgato fugiebant nubila coelo.
Impetus ire fuit: claudit sua tecta Pyreneus;
Vimque parat, quam nos sumtis effugimus alis.
Ipse secuturo similis stetit arduus arce;
Quaque via est vobis, erit et mihi, dixit, eadem;
Seque iacit vecors e summae culmine turris,
Et cadit in vultus, discussique ossibus oris
Tundit humum moriens, scelerato sanguine tinctam.

Pierides.

Musa loquebatur. Pennae sonuere per auras:
Voxque salutantum ramis veniebat ab altis.

(286. *repercusso* permulti codd. Sed *repurgato* cum Intpp. probat Burm. Sec. ad Lotich. p. 38.) 292. *discussique* ex optimo Florent. dedit Heins. Vulgo, *discussisque.*

quia poëtae *graue sidus* vocare soleant acrem solem et inde vehementem calorem; sed hunc non conuenire imbri, quia, cum ille cadat, vehementia sideris frangatur; quae omnia frustra ab eo monita sunt.

284 *primas aedes*, atrium.

291 *Vecors*, iniecta ei insania. *turris*, regia.

293 Fabulae sensum deprehendisse sibi videtur Saftius. Putat enim, Pyren. hunc fuisse malum poëtam, qui, etiamsi alis h. e. ingenio poëtico destitutus fuerit, tamen volare voluerit, et, parum procedente opera, quasi vim inferre Musis, sed qui frustra desudauerit, *der sich den Kopf vergeblich zerbrochen habe.*

294 — extr. *Certamen Musarum cum Pieridibus.* Pausan. Boeot. p. 765. auctor est, *Pierum* Macedonem *Thespias* venisse, ibique instituisse, vt ex Thracum disciplina nouem Musae iis nominibus, quibus adhuc appellantur, colerentur. Ex aliorum autem opinione ipsum habuisse nouem filias, quas Musarum nominibus insignierit. Hoc earum certamen e Nicandro refert etiam Auton. Liberal. IX. Eo auctore Musarum cantu tota rerum natura delinita est, Pieridum contra strepitu tenebris inuoluta. Victae Pierides in nouem diuersas aues mutantur.

Pennae sonuere, auditus est clangor alarum. *salutantum.* Nempe aues illae a Graecis et Romanis docebantur reddere in primis vocem χαῖρε. Persius Prol. 8. *Tam certa loquentes.* Sonus ille non vtcunque simulabat vocem humanam, sed quam simillimus ei erat, adeo vt hominis vox credi posset. Martial. XIV,

Suspicit, et linguae quaerit tam certa loquentes
Vnde sonent; hominemque putat Ioue nata locutum:
Ales erat; numeroque nouem, sua fata querentes,
Institerant ramis imitantes omnia picae.
Miranti sic orsa Deae Dea: Nuper et istae
Auxerunt volucrem victae certamine turbam.
Pieros has genuit Pellaeis diues in aruis:
Paeonis Euippe mater fuit. Illa potentem
Lucinam nouies, nouies paritura, vocauit.
Intumuit numero stolidarum turba sororum;
Perque tot Haemonias, et per tot Achaïdas vrbes
Huc venit, et tali committunt praelia voce:
Desinite indoctum vana dulcedine vulgus
Fallere; nobiscum, si qua est fiducia vobis,
Thespiades certate Deae: nec voce, nec arte
Vincemur; totidemque sumus. Vel cedite victae
Fonte Medusaeo, et Hyantea Aganippe:

297. Heins. maluit, *hominumque loquentum.* (299. Pro *omnia* cod. Berol. e correctione *omina* cum glossa, *mala signa.*) 310. *Thespiades*, Nonnulli *Aonides*.

76. *Pica loquax certa dominum te voce saluto, Si me non videas, esse negabis auem.* Eodem sensu supra II, 668. *certi hinnitus.* Contra Quinctil. Inst. II, 1, 21 de infante, *loqui primum incerta voce tentauit.* *Picis* autem expressior adeo loquacitas, quam psittacis. Plin. X, 42 s. 59. *Victas certamine* Pieridas esse a Musis, vetus erat traditio, quae forte hoc volebat, Graecos proprie sic dictos ingenio superasse finitimos, Macedonas etc.

302 *Pieros*, Inde *Pierides* dictae, quo nomine interdum ipsae Musae insigniuntur a *Pieria*, vbi cultae. Nomina *sororum* habet Anton. Liberal. IX. vbi vid. Munker, *vocauit*, inuocauit. *Iuno Lucina fer opem, obsecro!* Terent. Ad. III, 1, 15. De *Pella* et *Paeonia* mox ad vs. 313. *Haemonia*, Thessalia. I, 568. Eius partes *Achaia*, Pelasgiotis et Phthiotis.

307 *Committunt proelia*, prouocant ad certamen, *Thespia*, oppidum iuxta Heliconem. Ibi in honorem Musarum dies festi et ludi celebrabantur. Pausan. p. 761 et 771.

312 *Hyantea*. II, 147. *Emathia*, Macedonia, Iustin. VII, 1. Eius oppidum *Pella*, patria Pieridum. Partem Macedoniae septemtrionalem *Paeonia* protegebat a Triballis. Plin. IV, 10. *niuosos*, quia Graecis ad septentrionem; [vel potius quia ad montem Orbelon, partem Haemi, habitabant. Haemus autem et omnino montes Thraciae saepissime *niuosi*

Vel nos Emathiis ad Paeonas vsque niuosos
Cedemus campis: dirimant certamina Nymphae.
Turpe quidem contendere erat; sed cedere visum
Turpius. Electae iurant per flumina Nymphae,
Factaque de viuo pressere sedilia saxo.
Tunc, sine sorte prior, quae se certare professa est,
Bella canit superûm; falsoque in honore Gigantas
Ponit, et extenuat magnorum facta Deorum;
Emissumque ima de sede Typhoëa terrae
Coelitibus fecisse metum, cunctosque dedisse
Terga fugae; donec fessos Aegyptia tellus
Ceperit, et septem discretus in ostia Nilus.
Huc quoque terrigenam venisse Typhoëa narrat,

322. *cunctosque.* Cod. Basil. tum margo Micylli, Gryphii et Bersm. *victosque*, quod non displicebat Heins.

dicuntur.] *dirimant cert.* iudices sedeant certaminis. Iudices *eligebantur*, sedentes cognoscebant, et *iurati* sententiam dicebant. *Sedilia viuo saxo* etiam Aen. I, 166 in domo Nympharum.

318 In certaminibus *sorte* plerumque constituebatur, vter certantium *prior* diceret. Nunc vna Pieridum ipsa hoc sibi arrogat. Lenzius vero sic interpungit, *tunc, sine sorte, prior, quae se* etc. vt *prior* sit natu maior s. maxima. Turpe autem Diis argumentum erat carminis seq. *ponere in honore*, reddere honoratum, commemorandis eius virtutibus. Similiter *ponere in gratia* Cic. Attic. V, 3, 11. vid. Ernesti Clau. Cic. s. v. *gratia*. *extenuat*, imminuit.

321 *Typhoeus* aut *Typhon* (Τυφωεύς, Τυφών) monstrum immane, quod Terra, deuictis Gigantibus magis exacerbata, e Tartaro peperit. Is et ipse coelum oppugnauit, iactisque cum sibilo et boatu candentibus saxis Deos terruit. Hesiod. Th. 820 sqq. Apollod. I, 6, 3. Anton. Lib. 28 et 47. Schol. Aeschyli ad Prom. 351. Hygin. fab. 152 et 196. E descriptione Hesiodi facile apparet, ventos procellosos, motus terrae, flammasque inde erumpentes huic fictioni originem dedisse. Fuga Deorum mutatorum in Aegyptum, vbi Dii sub formis animantium colebantur, addita est, vt religio Aegyptiaca accommodaretur Graecae. Eadem igitur tradebant sacerdotes Aegyptii. Hygin. P. A. II, 28.

325 *terrigenam.* Γηγενής dr. etiam Aeschylo. A Iunone procreatur in h. in Apol. 306 sqq. vbi hic mythus aliter narratur. Qui in aliam formam transeunt, ea *se celare* drr. VI, 110. etiam *abdi*, vt I Amorr. 10, 3. *plumis abditus albis.* *Mentiri* aliquem eleganter dr. qui formam eius induit. V. Intt. ad Sil. II, 637. Quaerunt autem Grammatici, vtrum *mentiri* etiam res dicantur, atque τὸ *mentitus* vbi-

Et se mentitis Superos celasse figuris:
Duxque gregis, dixit, fit Iuppiter; vnde recuruis
Nunc quoque formatus Libys est cum cornibus
Ammon:
Delius in coruo, proles Semeleïa capro,
Fele soror Phoebi, niuea Saturnia vaccâ,
Pisce Venus latuit, Cyllenius ibidis alis.

Hactenus ad citharam vocalia mouerat ora.
Poscimur Aonides: — sed forsitan otia non sunt,
Nec nostris praebere vacat tibi cantibus aurem.

328. Vnus Argentinus et vnus Heins. *in cornibus*, quod Burm. doctius videtur, quam vt a librario indocto profectum fuerit. (329. Cod. Heidelb. *Delius in tauro*. 334. *aurem* ex Langermann. cod. recepit Heins. Putarunt enim, numerum singularem magis poeticum esse. vid. Heins. Burm. et Lennep. ad Heroidd. I, 24. Burm. ad Lucan. II, 57 et 298. Burmann. Sec. ad Lotich. I, 4, 81. ad Anthol. Lat. T. I, p. 89. ad Propert. I, 2, 3. p. 23. ad II, 4, 21. p. 246. ad II, 16, 32. p. 299. Burm. ad Met. I, 528. Sin autem singularis numerus magis poeticus est, non debebat Burm. Heroid. I, 9. legere *spatiosas noctes*, idque exemplis confirmare Burm. ad Propert. I, 12, 13. p. 128. Tum legendum ibid. vs. 8. *tardum diem*, contra metrum. Conf. ep. I, 18, 29 et de verbo *aures* Ciofan. et Burm. ad nostrum locum. Omnino haec lex non vera esse videtur. Audiendi sunt hac in re semper codd. Quare que actiue s. neutraliter accipiendum sit, an passiue in istis exemplis capiendum. V. Schwarz. ad Plin. pan. 81. Infra X, 159. *mendacibus pennis* de Ioue in aquilam mutato. De hac Deorum transformatione vid. Eratosth. κατασ. cap. 27. Hygin. dd. ll. Anton. Lib. d. l. vbi alia, quam hic, animantia commemorantur, sub quorum figuris Dii latuerint. Neque ibi Iupiter et Iuno mutantur, sed contra Minerua cum aliis Diis additur. Apollod. hoc vnum habet, τὰς ἰδέας μετέβαλον εἰς ζῷα. Euseb. Praeparat. Euang. p. 31. monet, ex hac Deorum transformatione ortum esse eorum cultum apud Aegyptios.

327 *Dux gregis*, hircus. *vnde recuruis* etc. V. ad vs. 17. *Coruus* propter diuinandi dotem Apollini sacer. Nicandro auctore in accipitrem transiit, cuius caput apud Aegyptios Soli dabatur. *Capri* formam habebat Mendes s. Pan Aegyptiorum. Ab iisdem Luna sub *felis* imagine colebatur. *Vaccae* cornua habebat Isis, et *ibis* symbolum erat Hermetis. V. Iablonskii Panth. Aeg. V, 2. In *piscem* Venus etiam apud Syros alio tempore transiit. Hygin. P. A. 30. Noster Fast II, 461. seqq. Et omnino haec de Typhoeo fab. apud Syros nata videtur, monente Heynio ad Apollod. d. l.

332 *voc. mou. ora*, descriptio cantus; accinerat voce citharae. De v. *posci* v. ad IV, 274. Sic et graec. αἰτεῖσθαι. *Aonides* ab Aonibus, priscis Boeotiae incolis. Modeste Musa abrumpere vult orationem et suos reticere cantus.

Ne dubita, vestrumque mihi refer ordine carmen,
Pallas ait; nemorisque leui consedit in vmbra.
Musa refert: Dedimus summam certaminis vni.
Surgit, et immissos hedera collecta capillos
Calliope querulas praetentat pollice chordas;
Atque haec percussis subiungit carmine neruis.
Prima Ceres vnco glebas dimouit aratro:

hoc l. legendum est cum codd. *artes* vti ep. I, 24. *in cineres* pro *in cinerem*, quidquid oblocuti sint Intpp. v. et Gierig. ad Metam. II, 216. Quod autem V. D. in Ephem. Ienens. a. 1814 Nr. 15. p. 115 de illo loco monet, posse quidem dici *in cineres*, neque tamen *verti in cineres*; huius quidem rei caussam nullam video. Eodem modo Amorr. III, 5, 12. *in aquas vertere*. E.)

335 *Ordine referre* drr. qui rem totam inde ab initio referunt. Longius igitur carmen auditura Pallas *consedit*. *Leuis vmbra* etiam Tibul. II, 5, 96. vbi Heyne hoc epith. inde explicat, quia, foliis et fronde leviter ab aura motis, ipsa vmbra micat et contremiscit. Possis et dicere, quia vmbra nullo est pondere. Propert. III, 2, 1. *mollis vmbra Heliconis*. Schirachius h. l. interpretatur gratam, dulcem, vertitque *den sanften Schatten*. *summam certaminis*, vniversum certamen, quemadmodum Cic. Fin. II, 27. *summa philosophiae* est vniuersa philosophia. Eligitur *Calliope*, Musa praestantissima, quae res gestas Deorum atque heroum cantu celebrabat. Itaque interdum pro toto Musarum choro ponitur. Infra vs. 662 *maxima* vr. Ad dicendum prodituri vestitum componere solebant. Plinius II Ep. 3, 2. *surgit, amicitur*. Similiter et nunc Calliope decori caussa, *capillos* (quos mulieres domi sedentes *immissos* in faciem, aut sparsos per humeros et defluentes habebant, VI, 168. Trist. I, 3, 90.) *colligit*, non nodo aut reticulo, sed *hedera*, doctarum frontium ornamento, quo et poëtae coronari solent. Horat. I od. 1, 29. *Praetentat chordas*, ante cantum oris pulsat, praeludit, ἀνακρούεται, ἀναβάλλεται, more citharoedorum. *Retentare chordas* supra 117. *Querulae* propter mollem sonum. *Querula tibia* Horat. III od. 7, 30.

341 *Hymnus Musae Cererem celebrans* pertinet ad vs. 661. sed pars eius grauissima *Raptus Proserpinae*, cui quatuor metamorphoses insertae, ad vs. 571.

Plutoni, Siciliam, Typhoei motibus concussam, ambienti Cupido, matre impellente, amorem iniicit. Quo facto ille e vestigio *Proserpinam*, prope Hennaea moenia flores legentem, *rapit*, et per Cyanes, se opponere laborantis, fontem ad inferos deuehit. Tum moerens *Cyane in aquas extenuatur*. Ceres, accensis in Aetna taedis, diu noctuque per totum terrarum orbem filiam amissam quaerit, atque inter errores illos *puerum* quendam *in stellionem mutat*. Reuersa in Siciliam e Proserpinae zona, quam in Cyaneo fonte natantem videt, filiam ibi euanuisse discit. Hinc saeviens terras omnes, Siciliam in primis, sterilitate damnat. Arethusa vero et pro terra deprecatur, et prodit, Proserpinam Plutonis esse coniugem. His cognitis Ceres ad Iouem querelas suas

Prima dedit fruges, alimentaque mitia terris:
Prima dedit leges: Cereris sumus omnia munus.
Illa canenda mihi est. Vtinam modo dicere possem
Carmina digna Deae! certe Dea carmine digna est.
Vasta giganteis iniecta est insula membris

343. *sumus* pro vulgari *sunt* ex Berneggeriano et vno Hamburg. qui pro diuersa lect. habet, Heins. recepit. (344. Cod. Berol. *possim*.) 345. Cum antea *digna Dea* ederetur, Heins. ex Bernegg. aliisque plurimis *Deae* praetulit.

defert, qui eam solatur, sed et reddere filiam matri ea lege vult, si nullos adhuc ore cibos sumserit. Comederat autem illa septem granati grana. Quod cum *Ascalaphus* importune prodidisset, *in bubonem transformatur*. Quin etiam *Acheloi* filiae, quae Proserpinae flores legenti adfuerant, cum ipsae id expeterent, *in nouam Sirenum formam transeunt*. Iupiter tandem rem ita componit, vt Proserpina singulis annis sex menses cum matre sit, totidem cum Plutone. — Haec fab. a plurimis, sed magna varietate, tractata est. Iuxta Marmor Arund. I, 14. iam sub Erechtheo aliquis, cuius nomen deletum est, carmen de ea composuit. Idem fecerat, vt e Pausan. I, 39 apparet, Pamphus. Ordine relata est in Homerico hymn. in Cererem, et copiosius etiam seriore aetate a Claudiano peculiari de Raptu Pros. carmine. Breuiter eam attingunt Orpheus in Argon. 1189. sqq. Callim. h. in Cerer. 5 — 17. Cf. et Apollod. I, 5. qui fere hym. Homeric. sequitur, Hygin. f. 146. Arnob. adu. Gentes V p. 173 s. Denuo Noster eam tractauit Fast. IV, 339 sqq. Expressa denique erat in multis nummis aliisque monumentis. Spanhem. ad Callim. 9.

Prima Ceres etc. e Virg. G. I, 147. *Prima Ceres ferro mortales vertere terram instituit.* Cf. Noster Amorr. III, 10. Fast. IV, 401. *dimouit*, dimouere i. arare instituit. *dimouere terram* etiam G. II, 513. *mitia*, culta, cum antea glandibus vescerentur homines. *mite*, proprie de frugibus cultis et maturitatem consecutis. Locutionem *sumus omnia* illustrat Heins. qui laudat Pont. I Eleg. 1, 77. *quorum sumus omnia*, et infra X, 32. *omnia debemur vobis*. vbi v. not. Sed quoniam nos ipsi h. l. non in illis *omnibus* sumus, propterea praeferrem *sunt*, nisi altera lect. doctior esset, quam vt a librario proficisci potuerit. — *munus*; hinc *munifica* dicta. Et quoniam agricultura est veluti mater *legum* ciuilium, propterea Ceres etiam *legifera*, θεσμοφόρος.

345 Posse *Deae* ad *dicere* referri, monet Heins. ad h. l. idemque ad Trist. IV, 3, 57. exempla congessit, quibus τὸ *dignus* adiunctum sibi habet casum secundum. (Adde Burm. Secund. ad Anth. Lat. T. II, p. 86. Nolten. Lexic. Antibarb. p. 1408.)

346 Terrarum motus et subterraneorum ignium explosiones gigantibus terrae inclusis tribuere solebat fabulosa antiquitas, physica fere phaenomena ex fabulis explicans. Ac Siciliae quidem, *vastae*, maximae in mari mediterraneo, *insulae*, Graecis a tribus promontoriis, ἄκραις, *Trin-*

Trinacris, et magnis subiectum molibus vrguet
Aetherias ausum sperare Typhoëa sedes.
Nititur ille quidem, pugnatque resurgere saepe;
Dextra sed Ausonio manus est subiecta Peloro,
Laeua, Pachyne, tibi; Lilybaeo crura premuntur;
Degrauat Aetna caput: sub qua resupinus arenas
Eiectat, flammamque fero vomit ore Typhoëus.
Saepe remoliri luctatur pondera terrae,
Oppidaque, et magnos euoluere corpore montes.
Inde tremit tellus; et Rex pauet ipse silentum,
Ne pateat, latoque solum retegatur hiatu;
Immissusque dies trepidantes terreat vmbras.
Hanc metuens cladem tenebrosa sede tyrannus

348. *sperare.* Nonnulli *spectare.* Heins. malebat, *spirare* i. affectare, idque multis exemplis comprobat. (349. cod. Berol. duo Vatican. Vrsin. Coelest. plurimique Heins. *tentatque*, quod praefert Ciofanus.) 351. *premuntur.* Vatic. et vnus Medic. *tenentur.*

acris dictae, Noster Aeschylum Prom. 351. Pindar. O. IV, 12. secutus tam h. l. quam IV Fast. 491. et II Pont. 10, 25. *Typhoeum* subiicit, qui cum in acerrimo cum Ioue bello tandem fulminum vi territus per mare mediterraneum fugere coepisset, hac Insula a Ioue obrutus credebatur. Atque ita etiam Nicander ap. Anton. Lib. 28. Apollod. I, 6, 3. Hygin. f. 152. Secundum Homer. autem Il. β, 783 ille *in Arimis* iacet, i. vel in Cilicia, vel in Syria. Sed Arimos cum nonnulli in Pithecusis insulis prope Misenum collocarent, Virg. Aen. IX, 715 vnam ex illis Prochytiam nominauit. Vid. ibi Heynii Exc. *Encelado* Aetnam superimponunt Orph. Quint. Smyrn. 14, 582. Virg. Aen. III. 578. alii. Commode autem Noster rem omnem a *Typhoei* supplicio et motibus repetit; eum enim Pieris et carminis sui argumentum fecerat, et falso in honore posuerat. — *moles*, montes et oppida, vs. 354 s. *aeth. sperare sedes.* I, 152. *regnum affectare coeleste.*

350 Nota sunt haec tria Siciliae promontoria, de quibus vid. Claudian. Rapt. I, 147 sqq. *Pelorum* (Capo Pelorus) orientem spectat *Pachynum* (Capo Passero) meridiem, *Lilybaeum* (C. Marsala) occidentem. *Ausonium*, Ausoniae s. Italiae vicinum.

356 Sic Typhoei motus fit caussa probabilis, cur Pluto e sede sua exierit ad superas auras, Cupidinisque telis vulnerari potuerit. Sequentia expressa ex Homer. Il. υ, 61. Ἔδδεισεν δ' ὑπένερθεν ἄναξ ἐνέρων Ἀϊδωνεὺς — — *μή οἱ ὕπερθε* Γαῖαν ἀναῤῥήξειε Ποσειδάων ἐνοσίχθων, Οἰκία δὲ *θνητοῖσι* καὶ ἀθανάτοισι φανείη. Quem locum magnificum et Longino 9 laudatum expressit etiam Virg. Aen. VIII, 243, sed tantum in similitudine. Verum h. l. vt ap. Homer. verus Plutonis timor declaratur. Sed verba petita ex illo Virg. *trepidentque immisso lumine Manes.* — *pateat*, patescat. *dies*, lux. *trepidantes terreat*, terreat, vt trepident. *Silentes* simpliciter, mortui.

Exierat; curruque atrorum vectus equorum
Ambibat Siculae cautus fundamina terrae.
Postquam exploratum satis est, loca nulla labare,
Depositique metus, videt hunc Erycina vagantem
Monte suo residens, natumque amplexa volucrem:
Arma, manusque meae, mea, nate, potentia, dixit,
Illa, quibus superas omnes, cape tela, Cupido,
Inque Dei pectus celeres molire sagittas,
Cui triplicis cessit fortuna nouissima regni.
Tu Superos, ipsumque Iouem, tu numina ponti
Victa domas, ipsumque, regit qui numina ponti.
Tartara quid cessant? cur non matrisque tuumque

(363. *depositique metus* ex vno Ciof. et Abb. melioribusque Heins. codd. receperunt. Quatuor codd. *depositusque metus*. Plurimi, *depositoque metu*, alii *deposuitque metum*. 370. Pro *ponti* codd. Berol. Heidelb. multique alii *terrae*.)

360 *Equorum* illorum nomina habet Claudian. R. I, 282. *atra* omnia, quae, ad inferos pertinent. κυανότριχας ἵππους Plutoni dat etiam Orpheus; *caeruleos* Noster Fast. d. 1. (Proserpinam tamen, quamquam Plutonis curru vtitur, λευκίππον vocat Pindarus. cf. Hom. H. in Cer. 377. Aliis diis albi equi tribuuntur. v. Metam. XV, 189. Amorr. II, 1, 23. Aeschyl. Pers. 384. Sophocl. Aiac. 673. Theocr. XIII, 11 etc.). *Ambibat*, vt Iupiter moenia mundi, II, 401. *Eryx* (St. Guilano) mons altissimus non longe a Lilybaeo, Veneris *Erycinae* templo memorabilis. Hic Venus sua sponte in Plutone amorem excitat; sed apud Claudian. cum Iupiter constituisset Proserpinam Plutoni coniugem poscenti iungere, iubetur illam dolis perducere, vt certo die in campis ludat, Venerique comites se dant Mineruа et Diana. Secundum Apollod. res fit Διὸς συνεργοῦντος. Cf. Hym. Homer. in Cer. 79. *vagantem*, euntem et redeuntem. II, 409.

365 Non imperat filio, sed socium regni captat argumentis blandis et fortibus. Ante oculos poëta habuit Aen. I, 663. Ibi quoque Venus Amori, *Nate, meae vires, mea magna potentia*, per quem ego valeo et potens sum. Noster *arma* et *manus* addidit, quibus milites imperium proferunt (Conf. Amorr. I, 1, 13. Theocr. Id. XIII, init. Schwebel. ad Bion. Id. III, 1.) *superas*, domas. cf. I, 463 s. *triplex*, in tres partes diuisum. *fortuna nouissima*, sors vltima; nam fortuna tribuit sortem. Iouis sors prima exierat, nouissima Plutonis, qui hinc a Senec. Herc. Fur. 833. *tertiae rex sortis* vocatur. Claudian. Rapt. I, 100. *Tertia supremae patior dispendia sortis. molire*, mitte.

371 *quid cessant*, cur non adducuntur nostro imperio? Claudian. R. P. I, 224 Iupiter Veneri, *cur vltima regna quiescunt? Agitur* bene explicat Regius, in periculo versatur, ne a nobis amittatur. Saepe Cic. *agi salutem, imperium* etc. dicit. Et bene *tertia mundi pars;* rege enim victo, totum regnum vincitur et

Imperium profers? agitur pars tertia mundi.
Et tamen in coelo, quae iam patientia nostra est,
Spernimur; ac mecum vires tenuantur Amoris.
Pallada nonne vides, iaculatricemque Dianam
Abscessisse mihi? Cereris quoque filia virgo,
Si patiamur, erit; nam spes adfectat easdem.
At tu, pro socio si qua est mea gratia regno,
Iunge Deam patruo. Dixit Venus: ille pharetram
Soluit, et arbitrio matris de mille sagittis
Vnam seposuit; sed qua nec acutior vlla,
Nec minus incerta est, nec quae magis audiat arcum;
Oppositoque genu curuauit flexile cornu;
Inque cor hamata percussit arundine Ditem.

373. Heins. ductu Mss. hanc lect. concinnauit et commendavit, *Et tamen in coelo quoque tanta potentia nostro Spernitur.* (Burmannus tamen recte codd. plurimorum lectionum, quam et Gierig recepit, tuetur. 378. *si qua est mihi gratia* multi codd. et *mihi* pro *mea* arridebat Pontano et Heinsio. Waddelus animadu. crit. p. 107 cor. *si qua et mihi* etc. et sensum esse dicit: „Caussa tibi mecum communis est (vs. 371): at si de tuo honore minus sollicitus es, saltem mihi hanc gratiam concede." vide tamen Gierig. in notis, qui bene monet, *si qua est gratia* esse dictionem in precibus solemnem. 383. Priscian. A. G. Lib. VI, c. 4. §. 20. (ed. Kr. p. 685 ed. P. legit *cornum*, de qua forma vid. Heins. ad II, 874 et Burm. ad Anth. Lat. T. I p. 6. E.) 384. Regius cor. *corde.* Burm. nec *in cor*, nec *in corde percussit* satis eleganter dictum seruire cogitur. Claudian. Rapt. II, 13 Venus *iam Dite subacto Ingenti famulos Manes ductura triumpho. profers*, extendis, amplias. *iam* inseruit indignationi, notante Burm. *Patientia*, animi lenitas, cum quis patitur et ea, quae fieri non debent, adeoque saepe in vitio ponitur. Eleganter *qui* adhibetur in interiectionibus, aut pro *cum tantus. tenuantur*, minuuntur, quod est in Varr. lectionibus. *Abscedunt alterius* qui deserunt eius partes. Sed nunc est, fugere alterius imperium. *adfectat*, concepit. *si qua est gratia* sollemnis formula in precibus. IV, 535. (v. Heins.)

380 *Soluit*, aperit, detracto operculo, quo tegi pharetra solebat. (Amorr. I, 1, 21.) *seposuit* exquisitius, quam, elegit. V. ad Plin. pan. 37, 4. *nec quae magis* etc. Haec verba capit cum aliis etiam Burm. de certa sagitta. Male; hoc enim iam dixerat poëta; igitur alia virtus intelligi debet. Facile *audit arcum* sagitta ea, quae habilis est, et facile regi, mitti potest. Virg. G. I, 514. *neque audit currus habenas*, regi non potest. Sic cepit etiam Schirach. „Notata, inquit, sagitta subtilis. Praeclara vero est descriptio Amoris sagittam mittentis; eligit de mille vnam, et quidem acutissimam,

Haud procul Hennaeis lacus est a moenibus altae,
Nomine Pergus, aquae. Non illo plura Caystros
Carmina cygnorum labentibus audit in vndis.
Silua coronat aquas, cingens latus omne, suisque
Frondibus, vt velo, Phoebeos submouet ictus.
Frigora dant rami, Tyrios humus humida flores;

putat. Manult, *Inde cor — Ditis*. (Sed vulgatam lectionem defendit Crede in Animaduerss. in loca quaed. vett. poëtt. eorumque vertendorum specim. (Marburg. 1792, 8.) p. 22, qui comparat Fast. I, 576, vbi legit: *Ter quater aduersi caedit in ora viri*. Videtur poëta duas dictiones cogitando permutasse. Cum enim diceretur *iacere sagittam in cor* et *percutere cor sagitta*, inde fecit *percutere sagittam* (*arundinem*) *in cor*. 385. Wakef. ad Lucret. II, 390 T. I, p. 267 pro *altae* sine iusta caussa cor. *albae*. E.) 387. *labentibus*. Thuan. et vnus Gronou. *plaudentibus*, quod argutum Heins. iudicat. Burm. vero non omnino reiicit *edit*, quod Francof. pro *audit* habet, quia *audiat* modo praecessit. 389. *ictus* ex Neapol. secundo Medic. et vna Palat. bene adoptauit Heins. Vulgo, *ignes*. 390. *Tyrios* pro *varios* Heins. ex Florent. S. Marci, Neap. et secundo Medic. dedit. (*vario* tamen defendit Bothius, quoniam *Tyrii flores* frigeant. Waddelus autem l. c. p. 107 — 109 suspecta habet verba *Frigora dant rami*, cum praecedat *silua frondibus Phoebeos submouet ictus* et cor. satis audacter: *Dant philyras rami*. E.)

certissimam, facile sequentem: atqui vero tanta cura opus erat; etenim agitur pars tertia mundi."

385 *Henna* aut *Enna* vrbs in media Sicilia sita, atque hinc vmbilicus insulae dicta. Ibi Ceres tanta religione colebatur, vt illa vrbs non vrbs, sed fanum Cereris, omnesque ciues sacerdotes istius Deae esse viderentur. Cic. Verr. IV, 49. 50. Liu. XXIV, 39. Ex eius vrbis nemore Proserpinam esse raptam, probatissimi auctores referunt. (v. Heins. ad h. l.) Alii tamen, vt Pindar. Nem. A. Hygin. fab. 146. Claudian. Aetnam nominant. vid. Brouckh. ad Propert. I, 3, 1. Sunt rursus alii, qui id in Attica aut in Asiaticis terris accidisse malint. Campum Nysaeum habet Homeric. hym., occidentale Hispaniae litus Orpheus. Vid. Schol. Hesiodi p. 303 et Spanhem. ad Callim. h. in Cer. vs. 9. Cum Nostro conferas verba Cic. Verr. IV, 48. (Variant tamen in nostro loco codices, et multi *Aetnaeis* pro *Hennaeis* exhibent.)

386 *Pergus*. Sic vr. etiam a Claudian. R. P. II, 112. a quo inde a vs. 100 forma loci describitur. De *Caystro* eiusque *cygnis* v. II, 253. *labentes vndae* ipse fluuius.

388 Etiam Orpheus ibi memorat fuisse εὐρύ τε καὶ μέγα ἄλσος. Frequenter soli tribuuntur *ictus*. vid. Heins. ad h. l. (et Burmann. Sec. ad Anth. Lat. T. II p. 390.) Radii enim eius sunt veluti *tela*, quae percutiunt et verberant corpora. Horat. II od. 15, 9. *ramis laurea feruidos Excludit ictus* — *vt velo*. Rode, *gleich einem Schleier*. Immo *velum* intell. quod in Amphitheatris expansum spectatores a solis verberibus defendebat. Iuuenal. IV, 122. *Tyrios*. Arnob. habet *purpureos*, i. om-

Perpetuum ver est. Quo dum Proserpina luco
Ludit, et aut violas, aut candida lilia carpit;
Dumque puellari studio calathosque sinumque
Implet, et aequales certat superare legendo;
Paene simul visa est, dilectaque, raptaque Diti:
Vsque adeo properatur amor. Dea territa moesto
Et matrem, et comites, sed matrem saepius, ore
Clamat; et, vt summa vestem laniarat ab ora,
Collecti flores tunicis cecidére remissis.
Tantaque simplicitas puerilibus adfuit annis;
Haec quoque virgineum mouit iactura dolorem.
Raptor agit currus, et nomine quemque vocatos
Exhoratur equos; quorum per colla, iubasque
Excutit obscura tinctas ferrugine habenas.
Perque lacus altos, et olentia sulfure fertur

405. Diomedes p. 304 legit *locos sacros*.

nino pulchros. Etenim *Tot fuerant illic, quot habet natura, colores*, Fast. d. l. 429. vbi copia istorum florum recensetur.

392 In eo consentiunt omnes, raptam Proserpinam, cum *flores legeret*, a quo non differt alterum *ludere*, quod de omni opera non seria ponitur. Iam Pamphus scripserat, raptam eam esse παίζουσαν καὶ ἄνθη συλλέγουσαν, eamque deceptam esse, non *violis*, sed *narcissis*. Pausan. IX pag. 773. Similiter Hom. hym. in Cer. 5. παίζουσαν ἄνθεά τ' αἰνυμένην. Tum *narcissus* eximiae pulchritudinis, quem decerpserit, commemoratur. Cf. Schol. Sophocl. ad Oed. Col. 647. In nummis ab Hennensibus in memoriam huius raptus Lusis et *violae* flos cernitur. Spanhem. ad Callim. 15. Schirach. monet, dulcedinem versui inesse, natam ex repetita litera *a*, idque factum esse ex imitat. Virg. *Mollia luteola pingit vaccinia caltha*.

393 De *calathis* vid. ad IV, 10. Inseruiebant etiam floribus collectis. *Aequalium* Nympharum catalogum hym. Hom. 418 habet. Ex iis infra *Sirenes* commemorantur. De *certamine* illo Claudian. II, 137. *Aestuat ante alias auido feruore legendi — nunc calathos implet, nunc se ignara coronat, Augurium fatale tori.* Celeritas raptus bene notatur verbis *Paene simul* etc. in quibus etiam numerum obserua. Dictum hoc ad illud Caesaris, Veni, Vidi, Vici. *properatur amor*, propere satisfit amori.

397 *matrem*, quae in hymn. Hom. etiam audit eius vocem. De illa *summa ora* v. ad III, 480. *Simplicitas* nunc in eo cernitur, quod minutiarum quoque curam habebat puella. Sed fictum hoc contra naturam; summus enim terror tali simplicitati aduersatur.

402 *nomine quemque*, II, 192. *exhortatur*, III, 242. *Ferruginea*, omnia inferna. vid. Heins. *ferrugineus amictus* Plutonis. Claudian. II, 275.

Stagna Palicorum, rupta feruentia terra;
Et qua Bacchiadae, bimari gens orta Corintho,
Inter inaequales posuerunt moeniaportus.
Est medium Cyanes, et Pisaeae Arethusae, *Cyane.*
Quod coit angustis inclusum cornibus, aequor.
Hic fuit, a cuius stagnum quoque nomine dictum est,
Inter Sicelidas Cyane celeberrima Nymphas;
Gurgite quae medio summâ tenus exstitit aluo,
Agnouitque Deum: Nec longius ibitis, inquit;

(414. *deum* ex nonnullis codd. reposuit Heins. Plurimi et optimi libri tuentur *deam*) quod grauius esse videtur. Etenim si

406 *Palici*, gemini fratres, Iovis et Thaleae nymphae filii, de quibus Diod. Sic. XI, 89. Macrob. V, 19. Ab his *Palica* vrbs dicta, iuxtaque eam *Palicorum lacus*, λίμνη Παλίκων, Παλικινὴ κρήνη, κρατῆρες Παλίκων. Habebat aquas sulfureas, et emittebat grauem odorem, vt tradunt Stephan. Byz. Strabo, et alii. Vituperat autem Diomed. p. 304. *olentia sulfure*, cum *olere sulfur*, *vnguentum*, latine dicatur. Sed bene Heins. monet, et exemplis comprobat, etiam Ablatiuum subinde addi verbo *olere;* et Ouidium amphibologiae vitandae caussa maluisse *sulfure*, quam *sulfura*. Capoferreus autem contendit, eum scripsisse, *olenti a sulphure;* essent enim *olentia* et *feruentia* duo epitheta eiusdem substantiui. At quis duo epitheta sic iuncta vituperet? Stagna illa erant et feruentia et olentia.

407 *Bacchiadarum*, qui a Bacchia vel Bacchide genus ducebant, inclyta familia summam apud Corinthios potestatem obtinuit, sed sine ob luxuriam, siue ob affectatam tyrannidem a Cypselo expulsa est. Aelian. V. H. 1, 19. Pausan. Corinth. p. 120. Schol. Apollon. Rh. ad IV, 1212. *bimaris*, διθάλασσος, quae a duobus maribus cingitur, Ionio et Aegaeo. Facta haec vox videtur ab Horat. I Od. 7, 2. vbi vid. Iani. *moenia*, Syracusas intelligit, easque designat a duobus *portibus*, quorum alter amplior multo altero. Sic *inaequales*.

409 *Arethusa* fons Syracusis maxime memorabilis, qui in modum iusti fluuii e terra prorumpit. vid. Cic. Verr. IV, 53. (Adde Goeller De situ et origine Syracusarum p. 74 et 303.) Cur *Pisaea* dicatur, infra apparebit e vs. 487 et 494. *medium Cyanes*, inter Cyanen et Arethusam, vt infra 644 *medium coeli terraeque*, et Horat. II od. 19, 28. *medius pacis et belli*. Lenzius vero ita iungit verba, *Est medium aequor, quod cornibus Cyanes et Arethusae inclusum coit*. Quae includunt portus aut sinus, *brachia* alibi solent dici et *crura*, nunc a forma *cornua*. Iis, quoniam sunt *angusta*, mare *coit*, coërcetur in angustum spatium. Vid. Cic. Verr. IV, 52. Arethusa erat in insula vrbis. Ea disiuncta mari angusto. *Cyane Nympha* fuit in comitibus Proserpinae secundum Claud. II, 61. *exstitit*, repente prodiit. *summa tenus aluo*, vt solent numina aquarum natare.

Perpetuum ver est. Quo dum Proserpina luco
Ludit, et aut violas, aut candida lilia carpit;
Dumque puellari studio calathosque sinumque
Implet, et aequales certat superare legendo;
Paene simul visa est, dilectaque, raptaque Diti:
Vsque adeo properatur amor. Dea territa moesto
Et matrem, et comites, sed matrem saepius, ore
Clamat; et, vt summa vestem laniarat ab ora,
Collecti flores tunicis cecidére remissis.
Tantaque simplicitas puerilibus adfuit annis;
Haec quoque virgineum mouit iactura dolorem.
Raptor agit currus, et nomine quemque vocatos
Exhoratur equos; quorum per colla, iubasque
Excutit obscura tinctas ferrugine habenas.
Perque lacus altos, et olentia sulfure fertur

406. Diomedes p. 304 legit *locos sacros*.

nino pulchros. Etenim *Tot fuerant illic, quot habet natura, colores*, Fast. d. l. 429. vbi copia istorum florum recensetur.

392 In eo consentiunt omnes, raptam Proserpinam, cum *flores legeret*, a quo non differt alterum *ludere*, quod de omni opera non seria ponitur. Iam Pamphus scripserat, raptam eam esse παίζουσαν καὶ ἄνθη συλλέγουσαν, eamque deceptam esse, non *violis*, sed *narcissis*. Pausan. IX pag. 773. Similiter Hom. hym. in Cer. 5. παίζουσαν ἄνθεά τ' αἰνυμένην. Tum *narcissus* eximiae pulchritudinis, quem decerpserit, commemoratur. Cf. Schol. Sophocl. ad Oed. Col. 647. In nummis ab Hennensibus in memoriam huius raptus rosis et *violae* flos cernitur. Spanhem. ad Callim. 15. Schirach. monet, dulcedinem versui inesse, natam ex repetita litera *a*, idque factum esse ex imitat. Virg. *Mollia luteola pingit vaccinia caltha.*

393 De *calathis* vid. ad IV, 10. Inseruiebant etiam floribus collectis. *Aequalium* Nympharum catalogum hym. Hom. 418 habet. Ex iis infra *Sirenes* commemorantur. De *certamine* illo Claudian. II, 137. *Aestuat ante alias auido feruore legendi — nunc calathos implet, nunc se ignara coronat, Augurium fatale tori.* Celeritas raptus bene notatur verbis *Paene simul* etc. in quibus etiam numerum obserua. Dictum hoc ad illud Caesaris, Veni, Vidi, Vici. *properatur amor*, propere satisfit amori.

397 *matrem*, quae in hymn. Hom. etiam audit eius vocem. De illa *summa ora* v. ad III, 480. *Simplicitas* nunc in eo cernitur, quod minutiarum quoque curam habebat puella. Sed fictum hoc contra naturam; summus enim terror tali simplicitati aduersatur.

402 *nomine quemque*, II, 192. *exhortatur*, III, 242. *Ferruginea*, omnia inferna. vid. Heins. *ferrugineus amictus* Plutonis. Claudian. II, 275.

Stagna Palicorum, rupta feruentia terra;
Et qua Bacchiadae, bimari gens orta Corintho,
Inter inaequales posuerunt moenia portus.

Cyane.

Est medium Cyanes, et Pisaeae Arethusae,
Quod coit angustis inclusum cornibus, aequor.
Hic fuit, a cuius stagnum quoque nomine dictum est,
Inter Sicelidas Cyane celeberrima Nymphas;
Gurgite quae medio summâ tenus exstitit aluo,
Agnouitque Deum: Nec longius ibitis, inquit;

(414. *deum* ex nonnullis codd. reposuit Heins. Plurimi et optimi libri tuentur *deam*) quod grauius esse videtur. Etenim si

406 *Palici*, gemini fratres, Iovis et Thaleae nymphae filii, de quibus Diod. Sic. XI, 89. Macrob. V, 19. Ab his *Palica* vrbs dicta, iuxtaque eam *Palicorum lacus*, λίμνη Παλίκων, Παλικηνὴ κρήνη, κρατῆρες Παλίκων. Habebat aquas sulfureas, et emittebat grauem odorem, vt tradunt Stephan. Byz. Strabo, et alii. Vituperat autem Diomed. p. 304. *olentia sulfure*, cum *olere sulfur*, *vnguentum*, latine dicatur. Sed bene Heins. monet, et exemplis comprobat, etiam Ablatiuum subinde addi verbo *olere*; et Ouidium amphibologiae vitandae caussa maluisse *sulfure*, quam *sulfura*. Capoferreus autem contendit, eum scripsisse, *olenti a sulphure*; essent enim *olentia* et *feruentia* duo epitheta eiusdem substantiui. At quis duo epitheta sic iuncta vituperet? Stagna illa erant et feruentia et olentia.

407 *Bacchiadarum*, qui a Bacchia vel Bacchide genus ducebant, inclyta familia summam apud Corinthios potestatem obtinuit, sed siue ob luxuriam, siue ob affectatam tyrannidem a Cypselo expulsa est. Aelian. V. H. 1, 19. Pausan. Corinth. p. 120. Schol. Apollon. Rh. ad IV, 1212. *bimaris*, διθάλασσος, quae a duobus maribus cingitur, Ionio et Aegaeo. Facta haec vox videtur ab Horat. I Od. 7, 2. vbi vid. Iani. *moenia*, Syracusas intelligit, easque designat a duobus *portibus*, quorum alter amplior multo altero. Sic *inaequales*.

409 *Arethusa* fons Syracusis maxime memorabilis, qui in modum iusti fluuii e terra prorumpit. vid. Cic. Verr. IV, 53. (Adde Goeller De situ et origine Syracusarum p. 74 et 303.) Cur *Pisaea* dicatur, infra apparebit e vs. 487 et 494. *medium Cyanes*, inter Cyanen et Arethusam, vt infra 644 *medium coeli terraeque*, et Horat. II od. 19, 28. *medius pacis et belli*. Lenzius vero ita iungit verba, *Est medium aequor, quod cornibus Cyanes et Arethusae inclusum coit*. Quae includunt portus aut sinus, *brachia* alibi solent dici et *crura*, nunc a forma *cornua*. Iis, quoniam sunt *angusta*, mare *coit*, coërcetur in angustum spatium. Vid. Cic. Verr. IV, 52. Arethusa erat in insula vrbis. Ea disiuncta mari angusto. *Cyane Nympha* fuit in comitibus Proserpinae secundum Claud. II, 61. *exstitit*, repente prodiit. *summa tenus aluo*, vt solent numina aquarum natare.

Non potes inuitae Cereris gener esse; roganda,
Non rapienda fuit. Quod si componere magnis
Parua mihi fas est, et me dilexit Anapis:
Exorata tamen, nec, vt haec, exterrita nupsi.
Dixit; et, in partes diuersas brachia tendens,
Obstitit. Haud vltra tenuit Saturnius iram;
Terribilesque hortatus equos, in gurtitis ima
Contortum valido sceptrum regale lacerto
Condidit. Icta viam tellus in Tartara fecit,
Et pronos currus medio cratere recepit.
At Cyane, raptamque Deam, contemtaque fontis
Iura sui moerens, inconsolabile vulnus
Mente gerit tacita, lacrimisque absumitur omnis;

Plutonem tantum agnouit, nulla caussa aderat, cur enm in cursu cohibere studeret. Bene autem hoc fecit, postquam vidit, esse hanc deam Proserpinam, intellexitque eam raptam. Poterat autem Plutonem alloqui, etiamsi nesciret, quinam ille esset. Seq. vs. ex quinque codd. malim *nec* pro *non.* E.) 415. Heins. malebat *Cereri.*

417 *Anapis* s. *Anapus*, fluvius, qui, vbi Cyanen recepit, in portum Syracusarum maiorem se exonerat. II ex P. 10, 26. *Quaque suis Cyanen miset Anapus aquis.* Sed ex illa aquarum coniunctione matrimonium fecerunt poëtae. (Hunc fluuium in Graecis semper Ἄναπον dici, monet Heins. Salmasius contra contendit, vbique *Anapim* scribendum esse pro *Anapum* (vid. Exercit. Plin. p. 78); eum tamen refellit Burm. ad h. l. cf. Nolten. Lexic. Antib. pag. 19.) *exterrita*, vi coacta.

420 *Tenuit*, retinuit, compressit. *Sceptrum trabale* ei dat Claudian. II, 172. Id *contorquetur*, cum, tamquam hasta emittenda, lacerto libratur. *condere*, trudere, quemadmodum ensis in corpus *condi* dr. Etiam de loco, quo Proserpina deducta in Tartarum, variae erant sententiae. Per Aetna hiatum quendam id factum plures tradebant, idemque etiam hodie spelunca Proserpinae vr. V. Brydonii Itinerar. T. I p. 189. In h. Orph. in Plut. abducitur per antrum Atticae. Claudian. II, 307. Raptor *Taenara intrat.* Scilicet plures speluncae reperiebantur, per quas descensus ad inferos patere credebatur.

426 *vulnus*, dolorem, vt *aeternum vulnus* Virg. Aen. I, 36. Similiter ἕλκος apud Graec. Sed *vulnus* nec pr. nec adeo tropice bene dr. *inconsolabile.* *Tenuatur* melius, quam, mutatur, transit. Exquisitius etiam Virg. G. IV, 410. *in aquas tenues dilapsus abibit*, quod Noster mox vs. 435 expressit. *molliri*, vt cera liquescens. *pati flexus*, fieri flexibilia. Mox argutatur et ingenio abutitur in *tenuissimis* illis et *breui* earum *transitu* in aquas; tum quod *vitiatas* prius memorat venas. Melius Claudian. III, 251 moerens Cyane *tacito laesa veneno Soluitur in laticem; subrepit crinibus humor, Liquitur, in roremque pedes et brachia manant.*

Et, quarum fuerat magnum modo numen, in illas
Extenuatur aquas. Molliri membra videres,
Ossa pati flexus, vngues posuisse rigorem;
Primaque de tota tenuissima quaeque liquescunt,
Caerulei crines, digitique, et crura, pedesque:
Nam breuis in gelidas membris exilibus vndas
Transitus est. Post haec tergumque, humerique, latusque,
Pectoraque in tenues abeunt euanida riuos.
Denique pro viuo vitiatas sanguine venas
Lympha subit; restatque nihil, quod prendere possis.

Stelles.

Interea pauidae nequicquam filia matri
Omnibus est terris, omni quaesita profundo.
Illam non rutilis veniens Aurora capillis
Cessantem vidit, non Hesperus; illa duabus
Flammiferâ pinus manibus succendit ab Aetnâ,
Perque pruinosas tulit irrequieta tenebras.

442. *flammifera* ex vno suo dedit Heins. Vulgo, *flammiferas*. Pr. Gronou. *flammigenis*. Vnus Medic. *ad Aethnam*.

438 — 461 *Ceres, Proserpinam quaerens, puerum quendam mutat in stellionem s. lacertam.* Haec etiam Anton. 24. e Nicandro refert, quem eundem cf. etiam in Theriac. 484 sqq. Paullo aliter et turpiuscule ex Orpheo (fragm. 16) rem narrant Clemens Alex. paran. p. 13 et Arnob. adu. Gent. V p. 174.

Pauor ille matris Fast. d. l. 455 sqq. describitur. Vt hic *terrae* et *profundum*, sic a Callim. tota terra et omnes fluuii commemorantur. Secundum Hymn. Hom. errat nouem dies. *Pinus* possent esse faces, vt saepe. Et Apollod. μετὰ λαμπάδων, Arnob. *faces geminas.* Sed Ceres integras arbores gestauit. Fast. 493: *accendit geminas pro lampade pinus.* Auctore Claudian. III, 376. duas cupressus cum in vsum succidit, easque complectitur, sicut sunt. Cic. Verr. IV, 48 *taedas* vocat. Sed *taeda* etiam hodie siculis vr. genus arborum, quae non nisi in Aetna nascuntur, et quarum lignum resinosum egregias praebet faces. v. Brydon. d. l. p. 189. Ipsa Dea inde *taedifera. ab Aetna*, Aetnae ignibus. Petron. 89. *ab aris accendit faces.* Quomodo ab Aetna accenderit, ex suo commento narrat Claudian. III inde a vs. 392.

443. 44 Noctu et interdiu quaesiuit filiam. *Dies* s. sol clariore sua luce *hebetat*, obscurat sidera, vt non appareant. Similiter fere II Amor. VI, 21. psittacus *virides pennis hebetat zmaragdos.* Sed Schirach. alius generis veneres in h. v. deprehendit. „*Hebetare sidera*, inquit, dicitur *dies*, vbi tepidum est vesperae tempus, vacans aestu calentis solis. Valde poëtice!"

Rursus, vt alma dies hebetarat sidera, natam
Solis ad occasum, Solis quaerebat ab ortu.
Fessa labore sitim collegerat, oraque nulli
Colluerant fontes; cum tectam stramine vidit
Forte casam, paruasque fores pulsauit: at inde
Prodit anus, Diuamque videt, lymphamque roganti
Dulce dedit, tostâ quod coxerat ante polentâ.
Dum bibit illa datum, duri puer oris et audax
Constitit ante Deam; risitque, auidamque vocauit.
Offensa est, neque adhuc epotâ parte, loquentem
Cum liquido mixtâ perfudit Diua polentâ.
Combibit os maculas; et, qua modo brachia gessit,
Crura gerit; cauda est mutatis addita membris;

(444. Pro *alma* cor. Wakefield. Silu. Crit. P. V. p. 81 *alba*. 445. Plurimi codd. *ad occasus*. Alii *ab occasu* . . . *ad ortus*. Francof. vnus Palat. et vndecim alii *ad occasum*, quod praetulerunt Burmann. Mai. ad h. l. et Burm. Sec. ad Lotich. p. 214. E.) 446. Olim ed. *sitim conceperat*. Sed iam Ciof. ex duobus suis et Abb. *collegerat* protulit, idemque plurimis aliis comprobatum recepit Heins. (Heinsio accedit Burm. Sec. ad Propert. II, 11, 9 p. 308.) Mox pro *colluerant* multi *polluerant*, vnde Heins. coni. *proluerant*. 550. *tosta* pro *testa* correxerunt Barthius, Turnebus et Vossius, quod etiam potiores codd. tuentur.

447 *Colluere* raro ita occurrit de bibente; durius multo apud Lactant. in argum. *aquam ad colluendum ieiunium porrigere*. *Colligere sitim*, contrahere, etiam Virg. G. III, 327. *Adducere sitim* Horat. IV od. 12, 13. De *siti* Cereris multa ap. Vett. Callim. 7. 12. 17. In h. Hom. a Metanira, Celei Eleusinii coniuge, primum recreatur potu, postquam a Iamba, Metanirae famula, exhilarata erat. Sed haec *anus* a Nicandro Misma, ab aliis Baubo vr.

450 *Dulce* absolute positum, vt τὸ γλυκὺ Graec. Ab Orpheo in fragm. vr. κυκεῶν, cinnus, potio confecta e tosta polenta, melle, vino, floribus, herbisque variis. vid. Munker. ad Lactant. argum. Fischeri Ind. Theophr. in κυκεών. Arnob. d. l. *oggerit potionem Cinnum*, *cyceonem quam nuncupat Graecia*, idemque e Clemente addit, in Mystarum symbolis fuisse: *Ieiunaui, atque ebibi cyceonem*. Cyceonem Ceres iuxta Antonin. d. l. ebibit ἀθρόως, i. ἀμυστὶ, vno spiritu, adeoque *auide*. *puer*, filius Mismes secundum Nicandr. *durum os* signum impudentiae.

455 *Combibit* exquisitius, quam, attraxit, accepit. Anton. ἐγένετο ποικίλος. *monstra*, mirabiliter mutatam formam, *aptum colori; stellio* enim genus lacertae. Maculae passim vrr. *guttae*. Cum stellio Graecis ἀσκάλαβος diceretur (V. Schol. Nicandri ad Alex. 128), Mellmannus putat, hanc metam ortam esse ex confusione cum transform. sequente, vs. 539. aut ad exemplum eius fictam.

Inque breuem formam, ne sit vis magna nocendi,
Contrahitur, paruâque minor mensura lacertâ est.
Mirantem, flentemque, et tangere monstra parantem
Fugit anum, latebramque petit; aptumque colori
Nomen habet: variis stellatus corpora guttis.
Quas Dea per terras, et quas errauerit vndas,
Dicere longa mora est. Quaerenti defuit orbis.
Sicaniam repetit. Dumque omnia lustrat eundo,
Venit et ad Cyanen: ea ni mutata fuisset,
Omnia narrasset, sed et os, et lingua volenti
Dicere non aderant; nec, quo loqueretur, habebat.
Signa tamen manifesta dedit, notamque parenti,
Illo forte loco delapsam gurgite sacro,
Persephones zonam summis ostendit in vndis.
Quam simul agnouit, tamquam tum denique raptam
Scisset, inornatos laniauit Diua capillos;
Et repetita suis percussit pectora palmis.

(460. post *petit* in cod. Berol. interpositum est *p*, quod signum productionis esse, monet Bothius pag. 92, collato Pfeiffero Ueber Bücherhandschriften p. 179. E.) 463. *Dicere*. Voss. *referre*, quod probat Heins. 469. Burm. legebat c. Excerpt. Langerm. *Illo forte die, delapsam in gurgite s.* (Etiam cod. Berol. *die*, Idem cod. cum multis aliis *dilapsam*.)

462—550 Ceres cum ex Arethusa cognouisset raptum Proserpinae, Iouem supplex adit, qui ea lege filiam repeti posse pronuntiat, si nullos gustauerit cibos. *Ascalaphus* autem, qui eam comedentem viderat, remque indicauerat, mutatur in bubonem.

Errauerit. Errores illos describunt hymn. Hom. 43 seqq. Callim. 8. Apollod. I, 5, 1, Noster ipse Fast. 455 sqq. *defuit orbis*, nulla superfuit pars orbis terrarum, vbi quaereret. *Sicania* a Sicanis, qui ex Iberia immigrauerant. Thucyd. VI, 2. *Omnia narrasset*, nempe mutatis manet sensus pristinus.

467 Ne ineptae tautologiae reus sit Ouid., Schirach. *adsunt* interpretatur, adiuuant, vt verbum translatum h. l. sit a patronis caussarum, qui verba faciunt pro reis. Non tamen opus est illa interpretatione. Sensus: Nec aliud instrumentum habebat, quo vocem emitteret. E *zona* reperta Ceres didicit, ibi euanuisse filiam. Itaque fonti per signa loquenti hoc indicium tribuitur. Aliter de Cyane Claudian. III, 255.

473 *repetita*, V. ad IV, 734. *Damnum*, filia amissa. XII, 16. Iam saeuit in terram, vt II, 399. Phoebus in equos solares, et vt ille recusat solem diutius vehere, sic nunc et Ceres muneri suo deest. Etiam in h. Hom. 305 sqq. eius et moerentis filiam et irascentis Ioui culpa terra nul-

Nec scit adhuc, vbi sit; terras tamen increpat omnes,
Ingratasque vocat, nec frugum munere dignas;
Trinacriam ante alias, in qua vestigia damni
Reperit. Ergo illi saeuâ vertentia glebas
Fregit aratra manu, parilique irata colonos
Ruricolasque boues leto dedit, aruaque iussit
Fallere depositum, vitiataque semina fecit.
Fertilitas terrae, latum vulgata per orbem,
Cassa iacet; primis segetes moriuntur in herbis;
Et modo sol nimius, nimius modo corripit imber;
Sideraque, ventique nocent; auidaeque volucres
Semina iacta legunt; lolium, tribulique fatigant
Triticeas messes, et inexpugnabile gramen.
Tum caput Eleis Alpheïas extulit vndis,

482. *Cassa* ex Arond. (qui sic pro diuersa lect.) Heins. praetulit. Vulg. *sparsa.* G. — Reuocanda est lectio *Falsa iacet* ex codd. Maffei vtroque, Ciofan. Ambros. et praestantissimis Heinsii, quod ob antecedens *fallere depositum* reiecerunt. *Fallere* et *deludere* dicitur terra, quae vota et spem colonorum destituit, nec depositum reddit. Hinc in cod. Ambros. glossa erat: *falsa*, *fallens colentes.* vid. Burm. ad h. l. et Burm. Secund. ad Prop. II, 12, 31 p. 318. E.

las fert fruges, agricolarum labor irritus est, parumque abest, quin genus hum. fame pereat. Cf. Diod. Sic. V, 5.

480 Semina bene drr. *deponi* in terra, quae cum non respondet votis coloni, *fallit depositum.* *Fertilitas terrae* Siculae, Leontinorum inprimis camporum, a Diodoro, Plinio aliisque tantopere celebrata, *vulgata* sane est. Atque nostris etiam temporibus terra illa multis eximiae fertilitatis suae speciminibus accusat inertiam incolarum, vt passim queritur Brydon. Itaque et hodie dicere licet, fertilitas illa *cassa iacet*, i. vacat. De v. *cassus* vid. Heins. ad Fast. VI, 406. *primis in herbis* cum tenerae adhuc herbae sunt. *Tenera in herba* dixit Virg. Cf. infra X, 209.

484 *Auidae volucres*, improbus anser, Strymoniaeque grues. Virg. G. I, 119. *Semina legere*, *σπέρματα συλλέγειν*, pr. de his auibus, quae inde *σπερμολόγοι* dictae. Foesii Oecon. Hipp. p. 348. *fatigant* exquisite, impediunt segetem surgere conantem, eam coërcent. Plin. III Ep. 19, 6. *felicitas terrae fatigatur imbecillis cultoribus.* Virg. G. I, 153. *interque nitentia culta Infelix lolium et steriles dominantur auenae.* *Lolium* Nostris Trespe, *tribulus*, Burzeldorn, in Italia frequens.

487 *Alpheus*, hodie Carbon, vbi *Elidem* irrigauit, mari Peloponnesiaco infunditur, sed sub mari procurrere, atque in Sicilia cum Arethusa (quae inde *Alpheias*) aquas suas confundere credebatur. Senec. Nat. quaest,

Rorantesque comas a fronte remouit ad aures,
Atque ait: O toto quaesitae virginis orbe,
Et frugum genetrix, immensos siste labores;
Neue tibi fidae violenta irascere terrae:
Terra nihil meruit, patuitque inuita rapinae.
Nec sum pro patria supplex; huc hospita veni.
Pisa mihi patria est, et ab Elide ducimus ortum.
Sicaniam peregrina colo; sed gratior omni
Haec mihi terra solo est. Hos nunc Arethusa penates,
Hanc habeo sedem; quam tu, mitissima, serua.
Mota loco cur sim, tantique per aequoris vndas
Aduehar Ortygiam, veniet narratibus hora
Tempestiua meis; cum tu curisque leuata,
Et vultûs melioris eris. Mihi peruia tellus
Praebet iter, subterque imas ablata cauernas

502. *imas.* Vnus Moreti *cauas*, quod rectius videtur Heins. Sed *cauae cauernae* merito displicent Burm. Praeterea in *imas* caussa est, cur Arethusa Proserpinam cernere potuerat.

III, 26. Strabo V. p. 270. Pausan. Eliac. p. 390. qui rem comprobat auctoritate Delphici oraculi. Idemque error etiam nunc tenet multorum Siculorum mentes. (Vide, quos de hac Arethusae et Alphei fabula adfert Goeller p. 303 seq.) Arethusae autem Noster ipse et oratoris deprecatorisque, vt Telluri II, 272 sqq., et indicis partes dedit. Optime autem, vt e vs. 504 sqq. apparet, ei indicium tribuitur. In h. Homer. 74. quem Noster Fast. IV, 583 sequitur, rem Sol prodit; apud Apollod. Hermionenses, quia ad Hermionem Argolidis descensum ad inferos esse putabant.

Eorum, qui ad dicendum prodeunt, gestus aliquis notari solet. II, 272. Supra vs. 338. Haec *remouet comas*, vt IV, 475 Tisiphone colubras. *rorantes.* I, 339.

490 *genetrix*, Dea. Dii earum rerum *genitores*, quarum curam gerunt. *meruit*, malo sensu, vt II, 279. *Nec sum pro patria* etc. Ita sibi viam pandit ad Arethusae fata in sqq. narranda. Sed loquacior paullo est in verbis, *huc hospita veni*, *Sic. peregrina colo*, *hos nunc* etc. Similiter I, 574 peccatum.

499 Syracusae cum quatuor haberent partes, earum vna, in insula sita, *Ortygia* dicta est, eaque pars hodie etiam restat, vid. Brydon. pag. 221. (Adde Goeller p. 37—49 qui quinque Syracusarum partes nominat.) In ea fons Arethusa. Cic. Verr. IV, 52. Virg. Aen. III, 692. — *Hora tempestiua* mox veniet vs. 573. *narratus* noue dictum, vt supra *erratus*. *melioris*, laetioris. Sic et VIII, 677 *vultus boni*. *peruia tellus*, canales subterranei. *desueta*, quae cernere desueui, diu non vidi, dum sub terra labor *Stygio gurgite*, ibi, vbi Styx.

Hîc caput attollo, desuetaque sidera cerno.
Ergo, dum Stygio sub terris gurgite labor,
Visa tua est oculis illic Proserpina nostris.
Illa quidem tristis, nec adhuc interrita vultu;
Sed regina tamen, sed opaci maxima mundi,
Sed tamen inferni pollens matrona tyranni.
Mater ad auditas stupuit, ceu saxea; voces,
Attonitaeque diu similis fuit: vtque dolore
Pulsa graui grauis est amentia; curribus auras
Exit in aetherias: ibi toto nubila vultu
Ante Iouem passis stetit inuidiosa capillis,
Proque meo supplex venio tibi, Iupiter, inquit,
Sanguine, proque tuo. Si nulla est gratia matris,
Nata patrem moueat; neu sit tibi cura, precamur,
Vilior illius, quod nostro est edita partu.
En, quaesita diu tandem mihi nata reperta est;
Si reperire vocas, amittere certius; aut si,
Scire, vbi sit, reperire vocas. Quod rapta, feremus;
Dummodo reddat eam: neque enim praedone marito
Filia digna tua est; si iam mea filia digna est.

512. *toto*. Heins. maluit *moto*, et mox *squallida*, qui fragm. Boxh. *pallida* pro *nubila*. 517. *edita*. Medic. *prodita*, quod elegantius videtur Burm. 519. Heins. coni. *verius*. (521. Pro *reddat eam* cod. Berolin. *reddatur*, idque praefert Bothius.)

507 De repetito *sed* v. ad vs. 17. *Maxima* substantiue, domina. Matrem consolatura amplificat dignitatem filiae. Etiam in *matrona*, coniux, aliquid dignitatis est. *Potentiam* eius Pluto ipse in h. Homer. 365 sqq. describit. Claudian. I, 3. *profunda Iuno* dr. Virg. Aen. VI, 138. *Iuno inferna* et a Nostro XIV, 114. *Auerna Iuno*.

511 *Amentia*. Eo habitu expressa est in monumento antiquo, quod exhibet Spanhem. ad Callim. d. l. Amentiam remissam secutus est *dolor*. *nubila vultu*, moesta, dixit etiam Statius Sylu. III, 5, 11. Noster V Trist. 3, 14. *nubila Parca nascenti fuit*. Graeci poëtae moestis tribuunt ὀφρύων νεφέλην aut νέφος. Sophocl. Antig. 532. Eurip. Hipp. 173. Cf. mox similitudinem vs. 570. In h. Homer. Iupiter ipse, sterilitate terrae commotus, primum Irin, mox omnes deinceps Deos demittit coelo, qui Cererem ad concilium Deorum reuocent. Illa vero negat, se redituram aut fruges terris reddituram ante, quam filiam vidisset. Ea igitur ex Orco dimittitur. *invidiosa*, odio Plutonis plena.

518 *En*, *quaesita* etc. Cf. I, 653 — 55. *reperta est*, scio, vbi

Iuppiter excepit: Commune est pignus onusque,
Nata mihi tecum; sed, si modo nomina rebus
Addere vera placet, non hoc iniuria factum,
Verum amor est; neque erit nobis gener ille pudori.
Tu modo, Diua, velis. Vt desint cetera, quantum est
Esse Iouis fratrem! quid quod nec cetera desunt,
Nec cedit nisi sorte mihi Sed tanta cupido
Si tibi discidii, repetat Proserpina coelum;
Lege tamen certa, si nullos contigit illic
Ore cibos: nam sic Parcarum foedere cautum est.
Dixerat. At Cereri certum est educere natam.
Non ita fata sinunt; quoniam ieiunia virgo
Soluerat, et cultis dum simplex errat in hortis,

(530. Alii codd. *dissidii*, de quorum verborum perpetua commutatione vid. Burm. Sec. ad Propert. I, 11, 28. p. 122 sq. qui monet, *dissidium* esse discordiam, *discidium* autem separationem et diuortium; quod discrimen iam Gronou. ad Liuium XXV, 18 statuit. Adde Nolten. Lexic. Antib. pag. 52. Pro *repetat* cod. Berolin. *repetet*. E.) 535. *et cultis*. Tres *irriguis*. Heins. corrigit *et riguis*, i. quos riuus intersecabat.

sit. *certius*, quia iam nullus inde reditus.

523 *Pignora* parentum drr. liberi ob amorem, *onera*, propter curae molestias. (vide de priore verbo Burm. Sec. ad Auth. Lat. T. I, p. 201.) Sensus: Ego aeque ac tu tam amare filiam, quam saluti eius prospicere, debeo. *neque erit* etc. In h. Homer. 83. s. Sol Cererem sic solatur laudibus honorificae affinitatis. οὔ τοι ἀεικὴς γαμβρὸς ἐν ἀθανάτοις πολυσημάντωρ Ἀιδωνεύς. *Vt desint*, ponamus deesse, *caetera*, quae generum commendant, regnum scilicet. *sorte*. V. ad vs. 368. *discidii*, diuortii. *si nullos* etc. Lex fatorum erat, vt nemini ex inferis redire liceret, qui ibi aliquid gustasset. *foedus*, ordo et cursus rerum constans, h. l. quem Parcae, tamquam ex composito, constituerant. Claudian. 3, 4. *foedera mundi*, constans ille ordo, quo mundus regitur.

535 *Cultos* illos *hortos* inferorum describit Homer. Od. λ, 589. Ibi arbores frugiferae, piri, mali, ficus, oleae, etiam ῥοιαὶ, mali punicae. *Errat*, ambulat. *simplex*, nihil mali suspicans. *Poeniceum pomum*, malum punicum s. granatum. Hinc Thesmophoriazusae, quae sacra faciebant Cereri legiferae, abstinebant a malis punicis. H. l. *septem* grana, sed Fast. IV, 607. non nisi *tria*. Cortex *pallens* recte dicitur; nam *pallere* de auri etiam colore vsurpatur. De *cortice* illo cf. X, 736. In h. Hom. 372 Pluto ipse, dimittere Proserpinam iussus, tale *granum* ei edendum dat, cuius vis erat, vt puella ne apud Superos maneret, sed ad coniugem rediret. Sic et Apollod.

Poeniceum curua decerpserat arbore pomum,
Sumtaque pallenti septem de cortice grana
Ascalaphus. Presserat ore suo: solusque ex omnibus illud
Viderat Ascalaphus, quem quondam dicitur Orphne
Inter Auernales haud ignotissima Nymphas,
Ex Acheronte suo furuis peperisse sub antris,
Vidit; et indicio reditum crudelis ademit.
Ingemuit regina Erebi, testemque profanam
Fecit auem, sparsumque caput Phlegethontide lympha
In rostrum, et plumas, et grandia lumina vertit.
Ille sibi ablatus fuluis amicitur ab alis,
Inque caput crescit longosque reflectitur vngues,
Vixque mouet natas per inertia brachia pennas;
Foedaque fit volucris, venturi nuntia luctus
Ignauus bubo, dirum mortalibus omen.
Sirenes. Hic tamen indicio poenam, linguaque videri

(546. *in alis* cod. Berol. aliique multi, quod Heins. et Burm. exemplis adstruunt. Bothius p. 46 id reiicit ob sequens *in caput;* sed p. 193 eleganter dictum esse contendit.)

539 Apud Apollod. lib. I. d. 1. Ceres Ascalapho, Acherontis et Gorgyrae filio, quod gustationem illam testatus erat, superimponit saxum; sed liberatum eum inde ab Hercule mutat in ὠτὸν, paruam noctuam. *Orphne*, ὄρφνη, tenebrae. *furuis sub antris*, quemadmodum Nymphae marinae *vitreis sub antris* pariunt. Vs. 48.

543 Etiam VI, 431 *profanus bubo.* Plin. H. N. X, 12. hanc auem latius describit. — *Sparsio* talis a Diis facta vim mutandi habebat. Vs. 454. III, 194. *Aufertur sibi*, cuius forma mutatur in aliam. *in caput crescere*, vt ap. Virg. *in ventrem.* Caeterum, quoniam ἀσκάλαφος genus noctuae Graecis significabat, (Aristot. H. A. II, 17.) facile apparet, quae origo sit huius metamorphoseos.

551—563 *Sirenes.* Nota sunt, quae Homer. Od. μ, 39 sqq. de Sirenibus finxit. Cf. Orpheus Arg. 1268 sqq. et Apollon. Rh. IV, 892 sqq. Erant monstra marina, quae inter Italiam et Siciliam, insulam quandam incolebant, nauesque appulsas voce canora detinebant. Pater earum traditur *Achelous*, matrem faciunt alii Steropen, alii Terpsichoren, alii Melpomenen aut Calliopen. Etiam nomina earum varie exhibentur. Lycophroni vrr. Parthenope, Leucosia, Ligia. Exstat Claudiani epigr. 24. in eas, vbi Barth. collegit, quantum satis. Adde Brouckh. ad Tibul. IV, 1, 69. Creditur autem Homer. hac fabula descripsisse voluptatem mortiferam, vt pluribus docet Bocat. Geneal. Deor. VII, 20. In Proserpinae comitatu fuerunt etiam secundum

Commeruisse potest. Vobis, Acheloïdes, vnde
Pluma pedesque auium, cum virginis ora geratis?
An quia, cum legeret vernos Proserpina flores,
In comitum numero mixtae, Sirenes, eratis?
Quam postquam toto frustra quaesistis in orbe;
Protinus vt vestram sentirent aequora curam,
Posse super fluctus alarum insistere remis
Optastis, facilesque Deos habuistis, et artus
Vidistis vestros subitis flauescere pennis.
Ne tamen ille canor, mulcendas natus ad aures,
Tantaque dos oris linguae deperderet vsum,
Virginei vultus, et vox humana remansit.
At medius fratrisque sui moestaeque sororis
Iupiter ex aequo voluentem diuidit annum.
Nunc Dea, regnorum numen commune duorum,

555. Heins. malebat, *immixtae comitum numero* et 557. *Non minus vt.* (H. Vossius mauult cum nonnullis codd. *numero, doctae Sirenes, eratis?*)

Apollon. Hygin. f. 141. Claudian. III R. P. 254. Postremo loco *Rapidis Acheloïdes alis Sublatae Siculi latus obsedere Pelori* etc.

552 *vnde.* Apud Hygin. Sirenes Cereris voluntate mutantur, quod Proserpinae auxilium non tulerant. *Virginis ora ger.* Superiorem partem habebant virgineam, inferiorem gallinaceam. Fulgent. Myth. II, 11.

555 *in numero mixtae*, immixtae numero. vid. Burm. *Vt sentirent curam*, vt Proserpinam etiam per maria quaerere possetis. Alae frequenter cum nauium *remis* comparantur. *Remigium alarum* est apud Lucret. VI, 743 et ap. Virg. aliquoties. Eurip. Iph. Taur. 289 πτεροῖς ἐρέσσει. Reciproca est, obseruante Servio ad Aen. I, 224. nauium et auium metaphora. Itaque remi vicissim Hom. Od. λ, 124 vrr. πτερά. *facilis* Deus, qui facile obtemperat precibus, benignus. *natus ad mulc. a.* V. ad II, 223. *natus*, valens. vs. 591.

564 *Medius fratris et sor.* medius inter fratrem et sororem, h. e. vtrique aeque fauens. Horat. II od. 19, 28. *Pacis medius et belli*, i. vtrique aeque idoneus. *voluentem*, scil. se, verbum aptum de decursu anni, qui semper in orbem redit. Homer. ἔτος περιπλόμενον. *ex aequo*, in aequas partes. *facies mentis*, affectio animi. *Diti quoque.* Eius enim *caput moestissima nubes Asperat et dirae riget inclementia formae.* Claudian. I R. P. 81. In Homer. 445 Iupiter per Rheam Cereri offert conditionem hanc, vt filia tertiam cuiusque anni partem cum Plutone sit, duas reliquas cum ipsa in coelo. Conditione ea accepta, agris vbertatem reddit. Sic et Apollod. Fab. inde ortam putat Schol. Hesiod. ad Th. 914. quia frugum semina aliquot menses sub terra late-

Cum matre est totidem, totidem cum coniuge menses.
Vertitur extemplo facies, et mentis, et oris;
Nam, modo quae poterat Diti quoque moesta videri,
Laeta Deae frons est: vt Sol, qui tectus aquosis
Nubibus ante fuit, victis vbi nubibus exit.
Exigit alma Ceres, nata secura recepta,
Quae tibi causa viae? cur sis, Arethusa, sacer fons?
Conticuere vndae: quarum Dea sustulit alto
Fonte caput, viridesque manu siccata capillos,
Fluminis Elei veteres narrauit amores.
Pars ego Nympharum, quae sunt in Achaide, dixit,

572. Iac. Gronou. malebat *natae sec. receptae*, quod valde placebat Heins. quia ea vox cum casu sec. plerumque reperiatur, sed Burm. tuetur Ablat. (573. Pro *viae* multi codd. *fugae*, quod Burm. ex Heroidd. XIV, 103 ortum esse putat; sed defendit H. Vossius.)

ant, reliquum tempus supra terram cernantur.

572 — 641. *Alpheus*, dum *Arethusa* Nympha in eius flumine lauatur, amore eius ardescit fugientemque persequitur, et vbi illa in fontem mutatur, et ipse in proprias vndas vertitur, vt se ei misceat. Cf. Pausan. V. p. 389 s. qui et addit, fabulae inde locum datum, quia in Arethusam fontem illabatur Alpheus; de quo errore dictum ad vs. 487. — Varietatis caussa poëta ipsam Arethusam fata sua narrantem induxit.

Saltu facto transit ad seqq. cogitandum igitur, Cererem, impetratis precibus, in Siciliam rediisse. *quae caus. viae*, cur, loco mutato, extra patriam cernaris, non vt fluuius, sed vt *fons*. Fontem hunc describit Cic. Verr. IV, 53. *In Insula* (parte Syracusarum) *extrema est fons aquae dulcis, cui nomen Arethusa est, incredibili magnitudine, plenissimus piscium: qui fluctu totus operiretur, nisi munitione ac mole lapidum a mari disiunctus esset.* Eundem *nitidissimum, ad ima perlucidum carminibusque celebratissimum* vocat Senec. Cons. ad Marc. 17. Et fuit adeo memorabilis, vt Plin. H. N. III, 8 s. 14. Syracusas ita notaret, *Colonia Syracusae cum fonte Arethusa*. (Conf. Goeller p. 303.) E recentioribus eum Guarinus Italus celebrauit. *sacer* commune epithetou fontium.

574 *conticuere*, strepere desierunt in honorem Nymphae iam verba facturae. *siccare vir. cap.* vt II, 12. De gestu dicturae v. ad vs. 487. *Elei*, quia Eleorum fines irrigat et supra Cyllenen, Eleorum nauale, in mare infunditur, honoribus adeo diuinis ab Eleis colitur, quamquam fontes eius in Arcadia reperiuntur. Pausan. V p. 389 s. 399. VIII p. 709. Celebratus et ille poëtis; praesertim Pindaro in Olympicis. Senec. N. Q. VI, 8. *veteres*, pristinos.

577 Sequitur exemplum et simplicis illius venustatis, quae sermonibus addit gratiam, et

Vna fui; nec me studiosius altera saltus
Legit, nec posuit studiosius altera casses.
Sed, quamuis formae numquam mihi fama petita est,
Quamuis fortis eram, formosae nomen habebam.
Nec mea me facies nimium laudata iuuabat,
Quaque aliae gaudere solent, ego rustica dote
Corporis erubui, crimenque placere putaui.
Lassa reuertebar (memini) Stymphalide silua:
Aestus erat, magnumque labor geminauerat aestum:
Inuenio sine vortice aquas, sine murmure euntes,
Perspicuas imo, per quas numerabilis alte
Calculus omnis erat; quas tu vix ire putares.
Cana salicta dabant, nutritaque populus vnda,

588. Vulg. *ad humum.* Nonnulli *ad imum;* vide Heins. fecit *imo.* (*ad humum* tamen reponi iubet H. Voss.)

exactae narrationis. *Pars vna,* vna. E traditione antiqua et Alpheus fuit venator, ἀνὴρ θηρευτὴς, et Arethusa venationi deuota. Haec illum, connubia eius respuens, fugit in insulam Ortygiam, vbi ἐξ ἀνθρώπου ἐγένετο πηγή: quo facto etiam Alpheus prae amore extenuatus est in fluuium. Pausan. p. 390. *Legit,* elegit saltus aptos ad venandum. Sic supra II, 498. *Saltus eligit aptos.*

580 Venatrices Nymphae nec amorem curant, nec adeo formam, sed fortitudinem s. robur membrorum. *iuuabat*, laetabar et superbiebam facie. *rustica,* venatrix.

587 Etiam Pausan. p. 390 de Alphei aqua, ἰδόντι ἥδιστον. Talis igitur erat, vt ad lauandum inuitaret. Cf. II, 455. III, 161. IV, 297. *Murmur* in riuo quidem suauis, non item in fluuio lauantibus. *Ire;* fluere, labi. *Perspicuas imo.* Cf. Claudian. Rapt. II, 114 sqq. Plin. VIII Ep. 8, 2. de Clitumni fonte, *purus et vitreus; vt numerare iactas stipes et relucentes calculos possis.*

590 *Cana.* Plenius Virg. G. II, 3. *glauca canentia fronde salicta.* *Populus* iuxta fluuios pulcherrima. Idem Ecl. 7, 66. Si *ripis* cum *dabant* coniungis, dicendum est, poëtam τὸ *natas* retulisse ad vmbras, quod pr. ad arbores referendum erat. Sic Glarean. Possis tamen *natas ripis* coniungere, atque interpretari, inseruientes ripis. Supra vs. 561. *canor mulcendas natus ad aures*, inseruiens mulcendis auribus. II, 223 *natus ad sacra Cithaeron* eodem sensu, quo etiam Datiu. additur, a Liuio in primis. Vid. Gronou. Obseru. IV, 17. *Primumque* etc. Sic et Diana II, 457. et Narcissus IV, 343. *vestigia*, plantas. *Mollia,* nempe lanea. XV, 118 de ouibus, *Mollia quae nobis vestras velamina lanas Praebetis.* Melius tamen nunc abesset hoc epith. quoniam de dura venatrice sermo.

Sponte sua natas ripis decliuibus vmbras.
Accessi, primumque pedis vestigia tinxi;
Poplite deinde tenus. Neque eo contenta, recingor,
Molliaque impono salici velamina curuae,
Nudaque mergor aquis; quas dum ferioque, trahoque
Mille modis labens, excussaque brachia iacto,
Nescio quod medio sensi sub gurgite murmur;
Territaque insisto propioris margine ripae.
Quo properas, Arethusa? suis Alpheus ab vndis;
Quo properas? iterum rauco mihi dixerat ore.
Sicut eram, fugio sine vestibus: altera vestes
Ripa meas habuit. Tanto magis instat, et ardet;
Et quia nuda fui, sum visa paratior illi.
Sic ego currebam; sic me ferus ille premebat;
Vt fugere accipitrem penna trepidante columbae,
Vt solet accipiter trepidas agitare columbas.
Vsque sub Orchomenon, Psophidaque, Cyllenenque,

591. Oxon. et vnus Heins. *gratas vmbras* e correctione. 606. Olim *vrgere*. Sed *agitare* e Cantabr. multisque aliis Heins. praetulit, approbante Burm. (In Cod. Heidelberg. vs. 606 legitur ante vs. 605.)

595 Motus natantis describuntur, quae brachiis *ferit*, verberat, aquas, easque *trahit*, dum brachia versus corpus retrahit. *labens*, ludens natando. *excussa iacto* e copia poëtica; nam et *excutere* est iactare, vt *concutere* XI, 465.

603 *parata* mulier, quae copiam sui facile praebet. Sic Burm. et h. l. At talis mulier non fugit. Potius nunc est apta ad concubitum. *Arsit* Alpheus et Dianae amore, eique vim inferre voluit, sed male est habitus. Pausan. VI p. 510. *premebat*, insequebatur vsque. Similitudo, quae sequitur, ducta ex Hom. Il. Φ, 493. ὥστε πέλεια, Ἥ ῥά θ' ὑπ' ἴρηκος κοίλην εἰσέπτατο πέτρην. Et *accipiter* maxime infestus columbis. Cf. I, 506. vbi v. de v. *trepidare*. Lucret. V, 1035 de auibus, *a pennis tremulum petere auxilium*. *agitare* verb. pr. de venatoribus et auibus rapacibus. v. Burm. ad h. l. (et Burm. Sec. ad Propert. I, 1, 12 p. 12.) Quoniam et de suo cursu Nympha et de Alphei persecutione dixerat, propterea vtrique accommodare similitudinem voluit; hinc illa repetitio, in qua lusus quidam. *Vsque sub* etc. His non certus aliquis cursus indicatur, sed tantum oppida quaedam et montes Arcadiae nominantur. *sinus*, flexus, quos faciunt montes. Plin. H. N. V s. 31. *sinuosus flexibus Maeander*. Male Rode, des *Maenalischen Klüften*.

Maenaliosque sinus, gelidumque Erimanthon, et Elin
Currere sustinui: nec me velocior ille.
Sed tolerare diu cursus ego, viribus impar,
Non poteram: longi patiens erat ille laboris.
Per tamen et campos, per opertos arbore montes,
Saxa quoque et rupes, et qua via nulla, cucurri.
Sol erat a tergo: vidi praecedere longam
Ante pedes vmbram, nisi si timor illa videbat.
Sed certe sonituque pedum terrebar; et ingens
Crinales vittas adflabat anhelitus oris.
Fessa labore fugae, Fer opem, deprendimur, inquam,
Armigerae, Dictynna, tuae: cui saepe dedisti
Ferre tuos arcus, inclusaque tela pharetra.
Mota Dea est, spissisque ferens e nubibus vnam
Me super iniecit. Lustrat caligine tectam
Amnis, et ignarus circum caua nubila quaerit;
Bisque locum, quo me Dea texerat, inscius ambit,
Et bis, Iö Arethusa, Iö Arethusa, vocauit.
Quid mihi tunc animi miserae fuit? anne quod agnae est;

(613. Hamburg. et tres alii *Saxaque per rupes*. Barber. *Saxa per et rupes*, quod cum Burmanno praefert H. Voss.) 616. Multi, *sonitusque — terrebat*. (621. *spissisque* e quatuor codd. reposuit Ciofan. Plurimi codd. *sparsisque*.)

611 *patiens*, qui ferre poterat longum laborem, quippe fluuius per longos terrarum tractus aquas suas deuehens. — *vmbram*, nempe viri. *nisi si*, vt vs. 20. *adflabat anhelitus*, vt I, 542. *ingens*, quia ille summis viribus currebat.

618 *Deprehenduntur*, quos instans alius assequitur aut opprimit. Pomp. Mela III, 1, 15. mare refluens *terrestria deprehendit animalia*. De *Dictynna* ad II, 441. *dedisti ferre*, ferenda, vt vs. 660. *misit agitare*, de qua forma v. Munker. ad Hygin. fab. 147. — *e nubibus vnam* etc. qua ratione passim apud Homer. heroës eripiuntur e praesentissimo periculo, vt Paris a Venere, Il. γ, 380. Aeneas ab Apolline ε, 344. Hinc etiam Horat. II od. 7, 14. *me per hostes Mercurius celer Denso paventem sustulit aere. Lustrare* sic Aen. XII, 466. *in densa caligine Turnum Vestigat lustrans. caua*, vt 251.

626 Sensus Nymphae bene notatus et illustratus. *Quid animi*, vt I, 358. *Si qua* elegantius, quam, *quae*. Respexit autem

Si qua lupos audit circum stabula alta frementes?
Aut lepori, qui vepre latens hostilia cernit
Ora canum, nullosque audet dare corpore motus?
Non tamen abscedit; neque enim vestigia cernit
Longius ire pedum; seruat nubemque, locumque.
Occupat obsessos sudor mihi frigidus artus,
Caeruleaeque cadunt toto de corpore guttae.
Quaque pedem moui, manat lacus, eque capillis
Ros cadit, et citius, quam nunc tibi facta renarro,
In laticem mutor. Sed enim cognoscit amatas
Amnis aquas; positoque viri, quod sumserat, ore
Vertitur in proprias, vt se mihi misceat, vndas.
Delia rumpit humum. Caecis ego mersa cauernis
Aduehor Ortygiam; quae me cognomine Diuae
Grata meae, superas eduxit prima sub auras.
Lyncus. Hac Arethusa tenus: geminos Dea fertilis angues
Curribus admouit, frenisque coërcuit ora,

635. Burm. *facta*, rem, vt accidit, e duobus Ciof. et aliis quibus Mss. praetulit vulgatae *fata*. (636. Berol. et Heidelb. *latices*. Prior etiam *amatque* pro *amatas*.)

forte similitudinem Aen. IX, 59. *Ac veluti pleno lupus insidiatus ouili, Quum fremit ad caulas.* — *altum* frequens epith. stabulorum. VI, 521. vbi v. not. *vepre*, scil. sub. *dare motus*, vt *dare saltus* III, 599. *seruare*, cupide spectare locum, ne quis inde elabatur. *Atria seruans* Horat. I Ep. 5, 31.

632 Hunc *sudorem*, qui solet anxios occupare, bene fecit transformationis initium. *Renarro* vel narrando repeto, vel simpliciter narro. Legitur etiam Aen. III, 717. vbi Seruius argutatur. IV, 570. *retractare et relegere sermone.*

639 *Rumpit*, pandit viam subter terram. *Caecis*, obscuris, caliginosis. *Ortygia* et pars Syracusarum, in qua erumpit Arethusa (499) et *cognomen* Dianae I. 694. *me eduxit*, ibi prodii. Hic ambo in Elide miscentur et iunctis aquis sub terra labuntur; sed secundum alios Alpheus solus permeat caecas cauernas, et in Sicilia demum cum Arethusa aquam miscet. Pausan. p. 799.

642 — 661 *Triptolemo insidias struit Lyncus.* Hygin. fab. 259. P. A. II, 14. Triptolemus, Celei, regis Eleusinii, filius, (etsi Musaeus, Orpheus, Choerilus apud Pausan. Attic. p. 34. aliter) a Cerere adiutus tempore Erechthei, sexti Atheniensium regis, a. circ. 1420 ante aer. Chr. agriculturam Graecis, ac primum quidem Atheniensibus, ostendisse credebatur. Homer. hym. in Cer. Pausan. Attic. p. 54. Corinth. p. 143. Marm. Arund. I, 12 seq. Diod. Sic. V, 4. Hygin. fab. 277. Sed antiquiorem multo agriculturam inter Graecos iudicat Go-

Et medium coeli terraeque per aëra vecta est;
Atque leuem currum Tritonida misit in arcem
Triptolemo, partimque rudi data semina iussit

644. *vecta est.* Heins. maluit ex primo Gronou. *fertur*, quia mox seq. *vectus erat.* Idem ex tribus scriptis dedit *arcem* pro *vrbem.*

guet *vom Vrsprunge der Gesetze*, To. II. p. 157. Censet enim, iam tempore Titanum, quibus aequalis Ceres, Graecos agriculturam accepisse, eam vero exstinctis Titanibus interiisse. Aliquanto post cum fame laboraret Graecia, aduenisse Erechtheum, magnamque frumenti vim secum apportasse, eundemque arandi artem in campis maxime Eleusiniis restituisse, atque sacra Cereris introduxisse. Hinc factum esse, vt sub eius imperio Ceres Athenas venisse crederetur. — Caeterum quomodo Ceres in Celei domum intrauerit, Triptolemum in cunis decumbentem fouerit, eique agriculturae propagandae munus tradiderit, narrant Noster Fast. IV, 507—560. Apollod. I, 5, 2. Hygin. fab. 147.

Hac — tenus diuulsum per tmesin. (Saepe autem praepositio a nomine, ad quod proprie pertinet, vno vel pluribus verbis interpositis disiungitur. vid. Heins. ad Heroidd. IX, 69. ad Amorr. III, 2, 61. Gronou. Obss. III, 15. Burm. Sec. ad Anth. Lat. T. I p. 164. Hoogeneen. ad Viger. p. 572 et alios.) *fertilis*, quia fertilitatis (εὐετηρίας) Dea, sub quo nomine templa habuit. *Bigis serpentum* Ceres vecta, et apud auctores et in monumentis antiq. occurrit. Ibi apparent mox alati, mox sine alis. V. Spanhemii Dissert. IV p. 211. Describuntur a Claudian. 33, 181 sqq. Triptolemo eas misit, vt omnium nationum terras circumiret, iisque semina largiretur. Hygin. P. A. II, 14. fab. 147. Apollod. d. l. Sed Goguet d. l. illas serpentum bigas accipit de callidis consiliis, quibus Triptolemum eripuerit Ceres variis periculis. Triptolemo mortuo, Antheas eius currum conscendit, sed inde excussus perit. Pausan. Achaic. p. 568. *coercuit*, rexit. Horat. I od. 8, 7. *ora frenis temperare*, Phaedr. III, 6, 7. *ora continere frenis. medium coeli* etc. medium inter coelum et terram, vt VI, 409. *iuguli medius summique lacerti.* V. ad vs. 409. — *Tritonida in arcem*, Athenas (v. Bentlei. ad Horat. I od. 7, 5.), quarum pars antiquissima *arx*, ἀκρόπολις, *Tritonidi* in primis sacra.

646 Hordeum primum esse satum a Triptolemo tradit Pausan. Attic. p. 93. *rudis terra*, nondum culta, nondum proscissa, aratrum passa, plane vt *rudis campus* Virg. G. II, 211. *Reculta* potest esse, quae, vbi aliquamdiu quieuit, denuo colitur, noualis. Sic cepit etiam Rode, *in brache gelegenem Boden.* Sed non apparet, cur *post tempora longa* additum. Alii referunt ad unam Siciliam, quae post sterilitatem, de qua vs. 476 sqq., denuo coli coepta sit. At illa sterilitatis iniuria non durauit tempora longa. Schirachius ergo intelligit terras, quae olim fuerint cultae, monetque, e mente Ouidii Cererem iam ante hunc euentum fuisse frugum matrem; sed nunc, inuenta filia, artem colendi agrum denuo Triptolemo monstrasse.

Si qua lupos audit circum stabula alta frementes?
Aut lepori, qui vepre latens hostilia cernit
Ora canum, nullosque audet dare corpore motus?
Non tamen abscedit; neque enim vestigia cernit
Longius ire pedum; seruat nubemque, locumque.
Occupat obsessos sudor mihi frigidus artus,
Caeruleaeque cadunt toto de corpore guttae.
Quaque pedem moui, manat lacus, eque capillis
Ros cadit, et citius, quam nunc tibi facta renarro,
In laticem mutor. Sed enim cognoscit amatas
Amnis aquas; positoque viri, quod sumserat, ore
Vertitur in proprias, vt se mihi misceat, vndas.
Delia rumpit humum. Caecis ego mersa cauernis
Aduehor Ortygiam; quae me cognomine Diuae
Grata meae, superas eduxit prima sub auras.
Lyncus. Hac Arethusa tenus: geminos Dea fertilis angues
Curribus admouit, frenisque coërcuit ora,

635. Burm. *facta*, rem, vt accidit, e duobus Ciof. et aliis quibus Mss. praetulit vulgatae *fata*. (636. Berol. et Heidelb. *latices*. Prior etiam *amatque* pro *amatas*.)

forte similitudinem Aen. IX, 59. *Ac veluti pleno lupus insidiatus ouili, Quum fremit ad caulas.* — *altum* frequens epith. stabulorum. VI, 521. vbi v. not. *vepre*, scil. sub. *dare motus*, vt *dare saltus* III, 599. *seruare*, cupide spectare locum, ne quis inde elabatur. *Atria seruans* Horat. I Ep. 5, 31.

632 Hunc *sudorem*, qui solet anxios occupare, bene fecit transformationis initium. *Renarro* vel narrando repeto, vel simpliciter narro. Legitur etiam Aen. III, 717. vbi Seruius argutatur. IV, 570. *retractare et relegere sermone.*

639 *Rumpit*, pandit viam subter terram. *Caecis*, obscuris, caliginosis. *Ortygia* et pars Syracusarum, in qua erumpit Arethusa (499) et *cognomen* Dianae I. 694. *me eduxit*, ibi prodii. Hic ambo in Elide miscentur et iunctis aquis sub terra labuntur; sed secundum alios Alpheus solus permeat caecas cauernas, et in Sicilia demum cum Arethusa aquam miscet. Pausan. p. 799.

642 — 661 *Triptolemo insidias struit Lyncus.* Hygin. fab. 259. P. A. II, 14. Triptolemus, Celei, regis Eleusinii, filius, (etsi Musaeus, Orpheus, Choerilus apud Pausan. Attic. p. 34. aliter) a Cerere adiutus tempore Erechthei, sexti Atheniensium regis, a. circ. 1420 ante aer. Chr. agriculturam Graecis, ac primum quidem Atheniensibus, ostendisse credebatur. Homer. hym. in Cer. Pausan. Attic. p. 54. Corinth. p. 143. Marm. Arund. I, 12 seq. Diod. Sic. V, 4. Hygin. fab. 277. Sed antiquiorem multo agriculturam inter Graecos iudicat Go-

Et medium coeli terraeque per aëra vecta est;
Atque leuem currum Tritonida misit in arcem
Triptolemo, partimque rudi data semina iussit

644. *vecta est.* Heins. maluit ex primo Gronou. *fertur*, quia mox seq. *vectus erat.* Idem ex tribus scriptis dedit *arcem* pro *vrbem.*

guet *vom Vrsprunge der Gesetze*, To. II. p. 157. Censet enim, iam tempore Titanum, quibus aequalis Ceres, Graecos agriculturam accepisse, eam vero exstinctis Titanibus interiisse. Aliquanto post cum fame laboraret Graecia, aduenisse Erechtheum, magnamque frumenti vim secum apportasse, eundemque arandi artem in campis maxime Eleusiniis restituisse, atque sacra Cereris introduxisse. Hinc factum esse, vt sub eius imperio Ceres Athenas venisse crederetur. — Caeterum quomodo Ceres in Celei domum intrauerit, Triptolemum in cunis decumbentem fouerit, eique agriculturae propagandae munus tradiderit, narrant Noster Fast. IV, 507 — 560. Apollod. I, 5, 2. Hygin. fab. 147.

Hac — tenus diuulsum per tmesin. (Saepe autem praepositio a nomine, ad quod proprie pertinet, vno vel pluribus verbis interpositis disiungitur. vid. Heins. ad Heroidd. IX, 69. ad Amorr. III, 2, 61. Gronou. Obss. III, 15. Burm. Sec. ad Anth. Lat. T. I p. 164. Hoogeneen. ad Viger. p. 572 et alios.) *fertilis*, quia fertilitatis (εὐετηρίας) Dea, sub quo nomine templa habuit. *Bigis serpentum* Ceres vecta, et apud auctores et in monumentis antiq. occurrit. Ibi apparent mox alati, mox sine alis. V. Spanhemii Dissert. IV p. 211. Describuntur a Claudian. 33, 181 sqq. Triptolemo eas misit, vt omnium nationum terras circumiret, iisque semina largiretur. Hygin. P. A. II, 14. fab. 147. Apollod. d. l. Sed Goguet d. l. illas serpentum bigas accipit de callidis consiliis, quibus Triptolemum eripuerit Ceres variis periculis. Triptolemo mortuo, Antheas eius currum conscendit, sed inde excussus perit. Pausan. Achaic. p. 568. *coërcuit*, rexit. Horat. I od. 8, 7. *ora frenis temperare*, Phaedr. III, 6, 7. *ora continere frenis.* *medium coeli* etc. medium inter coelum et terram, vt VI, 409. *iuguli medius summique lacerti.* V. ad vs. 409. — *Tritonida in arcem*, Athenas (v. Bentlei. ad Horat. I od. 7, 5.), quarum pars antiquissima *arx*, ἀκρόπολις, *Tritonidi* in primis sacra.

646 Hordeum primum esse satum a Triptolemo tradit Pausan. Attic. p. 93. *rudis terra*, nondum culta, nondum proscissa, aratrum passa, plane vt *rudis campus* Virg. G. II, 211. *Reculta* potest esse, quae, vbi aliquamdiu quieuit, denuo colitur, noualis. Sic cepit etiam Rode, *in brache gelegenem Boden.* Sed non apparet, cur *post tempora longa* additum. Alii referunt ad unam Siciliam, quae post sterilitatem, de qua vs. 476 sq., denuo coli coepta sit. At illa sterilitatis iniuria non durauit tempora longa. Schirachius ergo intelligit terras, quae olim fuerint cultae, monetque, e mente Ouidii Cererem iam ante hunc euentum fuisse frugum matrem, sed nunc, inuenta filia, artem colendi agrum denuo Triptolemo monstrasse.

Nunc quoque in alitibus facundia prisca remansit,
678 Raucaque garrulitas, studiumque immane loquendi.

678. Ciofan. e Codd. quibusdam protulit, *studiumque inane*, quod tuetur Barth. Aduers. XXXI, 11 et ad Petron. c. 1. Contra metrum. (Port vs. 678 additur in vno Vaticano hic versus: *Semper et humanas imitantur in omnia voces*, quem spurium esse iam Ciofanus monuit. E.)

P. OVIDII NASONIS METAMORPHOSEON LIBER SEXTVS.

Arachne.

Praebuerat dictis Tritonia talibus aurem,
Carminaque Aonidum, iustamque probauerat iram.
Tum secum, Laudare parum est; laudemur et ipsae,
Numina nec sperni sine poena nostra sinamus.
Maeoniaeque animum fatis intendit Arachnes,

1. *Aurem* non nisi vnus Berneggerianus habet, vnde accepit Heins. caeteri *aures.* 5. Vnus Heinsii, *incendit.*

FAB. I, 1—145. *Arachne et Minerua.* Antiquissimarum nationum, ad meliorem sortem adspirantium, cura circa vestium in primis elegantias haesit. Itaque lanam ducere et tinguere, telam texere, vestesque colorum et nitore et varietate insignes conficere iam Patriarcharum temporibus repertum est. Post casus dedit Tyriis purpuram; mox additum vestibus aurum. Vestes egregiis picturis exornabantur, vel acu (quod Phryges inuenerunt. Plin. H. N. VIII, 48.) vel inter texendum filis versicoloribus, qua arte Babylonii primi excelluerunt. Vtroque modo dicitur *picta vestis.* Omnis autem vestium conficiendarum ars mulieribus commissa erat, eaque excellere regiis adeo laudi ducebatur. Homer. Il. γ, 125. ζ, 289. χ, 440. De ea egregie meritae erant apud Lydios *Arachne*, Plin. VII, 56. apud Graecos *Minerua*, Aelian. Hist. An. I, 21. quemadmodum apud Aegyptios Isis. Forte *Arachne* olim fuit nomen commune mulierum perite texentium. Cum autem pro proprio haberi coeptum esset, lusus etymologicus huic fab. originem dedit, *qua Arachne cum Minerua texendo certans in araneam mutatur.* Saepius mortales cum Diis concertasse atque stultitiae suae mercedem tulisse traduntur.

4 *Numina nostra* multo grauius, quam, *me*, et plural. *numina* dignitatis caussa. Aen. VII, 310 Iuno, *si mea numina non sunt magna satis.* Ibid. I, 47. *Et quisquam numen Iunonis* (me) *adoret?* *sine poena*, impune.

5 *animum intendit f.* serio cogitare coepit de poena ab Arachne sumenda. Sed dubitat Schirach. an hoc satis poëtic. sit, et negat, phrasin *animum intendere* apud vllum poëtam reperiri. In quo lapsus est; namque ipsa Lexica suppeditant loc. Horat. Epist. I, 2, 36. *Intendes animum studiis, et rebus honestis.* Noster IV Trist. 1, 4. *mens intenta malis.* (vid. Nolten. Lexic. Antib. p. 1532.) Ipse ergo ex vno Cod. praefert, *incendit*, additque explicationem hanc; irascitur fato illo laeto Arachnes,

Si qua lupos audit circum stabula alta frementes?
Aut lepori, qui vepre latens hostilia cernit
Ora canum, nullosque audet dare corpore motus?
Non tamen abscedit; neque enim vestigia cernit
Longius ire pedum; seruat nubemque, locumque.
Occupat obsessos sudor mihi frigidus artus,
Caeruleaeque cadunt toto de corpore guttae.
Quaque pedem moui, manat lacus, eque capillis
Ros cadit, et citius, quam nunc tibi facta renarro,
In laticem mutor. Sed enim cognoscit amatas
Amnis aquas; positoque viri, quod sumserat, ore
Vertitur in proprias, vt se mihi misceat, vndas.
Delia rumpit humum. Caecis ego mersa cauernis
Aduehor Ortygiam; quae me cognomine Diuae
Grata meae, superas eduxit prima sub auras.
Lyncus. Hac Arethusa tenus: geminos Dea fertilis angues
Curribus admouit, frenisque coërcuit ora,

635. Burm. *facta*, rem, vt accidit, e duobus Ciof. et aliis quibus Mss. praetulit vulgatae *fata*. (636. Berol. et Heidelb. *latices*. Prior etiam *amatque* pro *amatas*.)

forte similitudinem Aen. IX, 59. *Ac veluti pleno lupus insidiatus ouili, Quum fremit ad caulas.* — *altum* frequens epith. stabulorum. VI, 521. vbi v. not. *vepre*, scil. sub. *dare motus*, vt *dare saltus* III, 599. *seruare*, cupide spectare locum, ne quis inde elabatur. *Atria seruans* Horat. I Ep. 5, 31.

632 Hunc *sudorem*, qui solet anxios occupare, bene fecit transformationis initium. *Renarro* vel narrando repeto, vel simpliciter narro. Legitur etiam Aen. III, 717. vbi Seruius argutatur. IV, 570. *retractare et relegere sermone.*

639 *Rumpit*, pandit viam subter terram. *Caecis*, obscuris, caliginosis. *Ortygia* et pars Syracusarum, in qua erumpit Arethusa (499) et *cognomen* Dianae I. 694. *me eduxit*, ibi prodii. Hic ambo in Elide miscentur et iunctis aquis sub terra labuntur; sed secundum alios Alpheus solus permeat caecas cauernas, et in Sicilia demum cum Arethusa aquam miscet. Pausan. p. 799.

642 — 661 *Triptolemo insidias struit Lyncus.* Hygin. fab. 259. P. A. II, 14. Triptolemus, Celei, regis Eleusinii, filius, (etsi Musaeus, Orpheus, Choerilus apud Pausan. Attic. p. 34. aliter) a Cerere adiutus tempore Erechthei, sexti Atheniensium regis, a. circ. 1420 ante aer. Chr. agriculturam Graecis, ac primum quidem Atheniensibus, ostendisse credebatur. Homer. hym. in Cer. Pausan. Attic. p. 34. Corinth. p. 143. Marm. Arund. I, 12 seq. Diod. Sic. V, 4. Hygin. fab. 277. Sed antiquiorem multo agriculturam inter Graecos iudicat Go-

Et medium coeli terraeque per aëra vecta est;
Atque leuem currum Tritonida misit in arcem
Triptolemo, partimque rudi data semina iussit

644. *vecta est.* Heins. maluit ex primo Gronou. *fertur*, quia mox seq. *vectus erat.* Idem ex tribus scriptis dedit *arcem* pro *vrbem*.

guet *vom Vrsprunge der Gesetze*, To. II. p. 157. Censet enim, iam tempore Titanum, quibus aequalis Ceres, Graecos agriculturam accepisse, eam vero exstinctis Titanibus interiisse. Aliquanto post cum fame laboraret Graecia, aduenisse Erechtheum, magnamque frumenti vim secum apportasse, eundemque arandi artem in campis maxime Eleusiniis restituisse, atque sacra Cereris introduxisse. Hinc factum esse, vt sub eius imperio Ceres Athenas venisse crederetur. — Caeterum quomodo Ceres in Celei domum intrauerit, Triptolemum in cunis decumbentem fouerit, eique agriculturae propagandae munus tradiderit, narrant Noster Fast. IV, 507 — 560. Apollod. I, 5, 2. Hygin. fab. 147.

Hac — tenus diuulsum per tmesin. (Saepe autem praepositio a nomine, ad quod proprie pertinet, vno vel pluribus verbis interpositis disiungitur. vid. Heins. ad Heroidd. IX, 69. ad Amorr. III, 2, 61. Gronou. Obss. III, 15. Burm. Sec. ad Anth. Lat. T. I p. 164. Hoogeneen. ad Viger. p. 572 et alios.) *fertilis*, quia fertilitatis (εὐετηρίας) Dea, sub quo nomine templa habuit. *Bigis serpentum* Ceres vecta, et apud auctores et in monumentis antiq. occurrit. Ibi apparent mox alati, mox sine alis. V. Spanhemii Dissert. IV p. 211. Describuntur a Claudian. 33, 181 sqq. Triptolemo eas misit, vt omnium nationum terras circumiret, iisque semina largiretur. Hygin. P. A. II, 14. fab. 147. Apollod. d. l. Sed Goguet d. l. illas serpentum bigas accipit de callidis consiliis, quibus Triptolemum eripuerit Ceres variis periculis. Triptolemo mortuo, Antheas eius currum conscendit, sed inde excussus perit. Pausan. Achaic. p. 568. *coercuit*, rexit. Horat. I od. 8, 7. *ora frenis temperare*, Phaedr. III, 6, 7. *ora continere frenis.* *medium coeli* etc. medium inter coelum et terram, vt VI, 409. *iuguli medius summique lacerti.* V. ad vs. 409. — *Tritonida in arcem*, Athenas (v. Bentlei. ad Horat. I od. 7, 5.), quarum pars antiquissima *arx*, ἀκρόπολις, *Tritonidi* in primis sacra.

646 Hordeum primum esse satum a Triptolemo tradit Pausan. Attic. p. 93. *rudis terra*, nondum culta, nondum proscissa, aratrum passa, plane vt *rudis campus* Virg. G. II, 211. *Reculta* potest esse, quae, vbi aliquamdiu quieuit, denuo colitur, noualis. Sic cepit etiam Rode, *in brache gelegenem Boden.* Sed non apparet, cur *post tempora longa* additum. Alii referunt ad vnam Siciliam, quae post sterilitatem, de qua vs. 476 sq., denuo coli coepta sit. At illa sterilitatis iniuria non durauit tempora longa. Schirachius ergo intelligit terras, quae olim fuerint cultae, monetque, e mente Ouidii Cererem iam ante hunc euentum fuisse frugum matrem, sed nunc, inuenta filia, artem colendi agrum denuo Triptolemo monstrasse.

Spargere humo, partim post tempora longa recultae.
Iam super Europen sublimis, et Asida, terras
Vectus erat iuuenis; Scythicas aduertitur oras.
Rex ibi Lyncus erat. Regis subit ille penates.
Qua veniat, caussamque viae, nomenque rogatus,
Et patriam, Patria est clarae mihi, dixit, Athenae;
Triptolemus nomen; veni nec puppe per vndas,
Nec pede per terras; patuit mihi peruius aether.
Dona fero Cereris, latos quae sparsa per agros
Frugiferas messes, alimentaque mitia reddant.
Barbarus inuidit, tantique vt muneris auctor
Ipse sit, hospitio recipit, somnoque grauatum
Adgreditur ferro. Conantem figere pectus
Lynca Ceres fecit; rursusque per aëra misit
Mopsopium iuuenem sacros agitare iugales.

651. *Qua*. Nonnulli *quid*, i. propter quid. 660. *misit* pro *iussit* e fragm. Voss. e Iuniano, et vno suo restituit Heins. (*iussit* tamen defendit Bothius.)

648 Hygin. P. A. II, 14. *Triptolemum in curru draconum collocatum iussit omnium nationum agros circumeuntem semina partiri, quo facilius ipsi posterique a fero victu segregarentur.* Etiam Apollod. d. l. dedit ei currum et frumentum, ᾧ τὴν ὅλην οἰκουμένην δι' οὐρανοῦ αἰρόμενος κατέσπειρε. Curru autem illo velocitas indicatur, qua agricultura propagata. *Asis terra*, Asia, vt IX, 447. Micyllus intell. angustum illum Lydiae tractum palustrem ad Caystrum, quem Homer. Ἀσίον λειμῶνα, Virg. autem Aen. VII, 701. *Asiam paludem* dixit, quia *Asia*, cum partem orbis terrarum significet, primam corripiat, cum de illo tractu vsurpetur, producat. Falsam autem esse hanc obseruat., quam Grammatici debent Seruio ad Virg. G. I, 381. et primam in *Asia* esse indifferentem, monet Gesnerus in Thesauro Fabri s. v. *Asia*, et quemque hic ipse loc. docere potest. *Asia* enim cum opp. *Europae*, nullo modo de tractu illo palustri ad Caystrum intelligi potest.

650 Hygin. fab. 259. et Lactant. ad Theb. IV, 658. *Lyncum* faciunt Siciliae regem; Micyllus et Munker. vero ibi quoque legendum censent *Scythiae*. — Etiam Carnabon, Getarum rex, similes Triptolemo insidias struxit. Hygin. P. A. II, 14.

651. *Qua*, quomodo, puppe, an pedibus.

660 Hygin. fab. 259. *Ceres eum conuertit in lyncem varii coloris, vt ipse variae mentis exstiterat.* Similiter Lactant. in Arg. *in feram sui nominis conversus morum suorum colore distinctus est.* Noster hanc mutationem non per partes describit,

Finierat dictos e nobis maxima cantus.
At Nymphae vicisse Deas, Helicona colentes,
Concordi dixere sono. Conuicia victae
Cum iacerent, Quoniam, dixit, certamine vobis
Supplicium meruisse parum est, maledictaque culpae
Additis, et non est patientia libera nobis;
Ibimus in poenas, et quo vocat ira, sequemur.
Rident Emathides, spernuntque minacia verba;
Conataeque loqui, et magno clamore proteruas
Intentare manus, pennas exire per vngues
Adspexere suos, operiri brachia plumis;
Alteraque alterius rigido concrescere rostro
Ora videt, volucresque nouas accedere siluis.
Dumque volunt plangi; per brachia mota leuatae,
Aëre pendebant, nemorum conuicia, picae.

665. *iacerent.* Alii *facerent.* Aeque bene. (*facerent* tamen magis glossa esse videtur. dictionem *conuicia iacere* illustrant Heins. ad h. l. et Burm. ad Propert. I, 6, 14 p. 62. De locutione *conuicia facere* vid. Heins. ad Rem. Am. 507. Pro *dixit* Bothius e plurimis codd. mauult *dixi*, vt haec quoque sint verba illius *Musae*, quae vss. 268, 300, 337 loquitur, quoniam Calliopae minus decorum sit, hoc dicere. E.) 673. *concrescere.* Louan. *occallescere*, vt XIV, 316.

quia in Musae carmine obiter tantum commemoratur. *Mopsopius*, Atheniensis a Mopsopo rege. Virg. Cir. 128. *Mopsopio dente*. (v. Vulp. ad Tibul. I, 7, 54 p. 107.) *misit agitare*, graeca syntaxis, (ἔπεμψεν ἐλαύνειν) quam multis exemplis illustrat Heins. (et Burm. ad Claud. Rutil. 210). *Iugales.* Schirach. intell. *equos.* Imo dracones intellige, qui iuncti erant currui.

662—fin. *Poena Pieridum.*

664 *conc. sono*, consentiente voce.

668 *Ire in poenas*, accedere ad puniendum, punire. Huic conueniunt et verba *vocare* et *sequi*. *Emathides* vid. vs. 313. Debemus autem h. nomen ingenio Heins. namque Pierides etiam ab Anton. Lib. ita vrr. Olim edeb. *Euippides*, i. Euippes filiae. *aëre pendere* de volante. *nemorum conuicia*, aues per nemora garrientes et maledicentes. *Facundia* eadem, quae *garrulitas.* Idem ter dixit. Vir quidam doctus coni. *Tunc quoque*, quia sequitur *remansit.* Sed refellitur a Clarkio ad Hom. Il. α, 37. quia *remansit* est tempus praesens rei perfectae. (Ille Vir doctus esse videtur Markland. Epist. crit. p. 138. Burm. Sec. ad Anth. Lat. T. I p. 68 cor. *Sic quoque.*) — Caeterum Nicandro auctore ap. Anton. Pierides in plura auium genera mutatae sunt.

Nunc quoque in alitibus facundia prisca remansit,
678 Raucaque garrulitas, studiumque immane loquendi.

678. Ciofan. e Codd. quibusdam protulit, *studiumque inane*, quod tuetur Barth. Aduers. XXXI, 11 et ad Petron. c. 1. Contra metrum. (Post vs. 678 additur in vno Vaticano hic versus: *Semper et humanas imitantur in omnia voces*, quem spurium esse iam Ciofanus monuit. E.)

P. OVIDII NASONIS METAMORPHOSEON

LIBER SEXTVS.

Arachne.

Praebuerat dictis Tritonia talibus aurem,
Carminaque Aonidum, iustamque probauerat iram.
Tum secum, Laudare parum est; laudemur et ipsae,
Numina nec sperni sine poena nostra sinamus.
Maeoniaeque animum fatis intendit Arachnes,

1. *Aurem* non nisi vnus Berneggerianus habet, vnde accepit Heins. caeteri *aures.* 5. Vnus Heinsii, *incendit.*

FAB. I, 1—145. *Arachne et Minerua.* Antiquissimarum nationum, ad meliorem sortem adspirantium, cura circa vestium in primis elegantias haesit. Itaque lanam ducere et tinguere, telam texere, vestesque colorum et nitore et varietate insignes conficere iam Patriarcharum temporibus repertum est. Post casus dedit Tyriis purpuram; mox additum vestibus aurum. Vestes egregiis picturis exornabantur, vel acu (quod Phryges inuenerunt. Plin. H. N. VIII, 48.) vel inter texendum filis versicoloribus, qua arte Babylonii primi excelluerunt. Vtroque modo dicitur *picta vestis.* Omnis autem vestium conficiendarum ars mulieribus commissa erat, eaque excellere reginis adeo laudi ducebatur. Homer. Il. γ, 125. ζ, 289. χ, 440. De ea egregie meritae erant apud Lydios *Arachne*, Plin. VII, 56. apud Graecos *Minerua*, Aelian. Hist. An. I, 21. quemadmodum apud Aegyptios Isis. Forte *Arachne* olim fuit nomen commune mulierum perite texentium. Cum autem pro proprio haberi coeptum esset, lusus etymologicus huic fab. originem dedit, *qua Arachne cum Minerua texendo certans in araneam mutatur.* Saepius mortales cum Diis concertasse atque stultitiae suae mercedem tulisse traduntur.

4 *Numina nostra* multo grauius, quam, *me*, et plural. *numina* dignitatis caussa. Aen. VII, 310 Imo, *si mea numina non sunt magna satis.* Ibid. I, 47. *Et quisquam numen Iunonis* (me) *adoret? sine poena*, impune.

5 *animum intendit f.* serio cogitare coepit de poena ab Arachne sumenda. Sed dubitat Schirach. an hoc satis poëtic. sit, et negat, phrasin *animum intendere* apud vllum poëtam reperiri. In quo lapsus est; namque ipsa Lexica suppeditant loc. Horat. Epist. I, 2, 36. *Intendes animum studiis, et rebus honestis.* Noster IV Trist. 1, 4. *mens intenta malis.* (vid. Nolten. Lexic. Antib. p. 1532.) Ipse ergo ex vno Cod. praefert, *incendit*, additque explicationem hanc: irascitur fato illo laeto Arachnes,

Quam sibi lanificae non cedere laudibus artis
Audierat. Non illa loco, nec origine gentis
Clara, sed arte, fuit. Pater huic Colophonius Idmon,
Phocaïco bibulas tinguebat murice lanas.
Occiderat mater; sed et haec de plebe, suoque
Aequa viro fuerat. Lydas tamen illa per vrbes

8. *Idmon.* Varie hoc nomen in Mss. exaratum, *Ismon*, *Hysmon*, *Ethmon*. Burm. praetulit *Idmon*, quia id nomen et alii gesserunt. Grauius est, quod ei Lactant. sic legit. 10. *Occiderat.* Gebhard. III Crep. 7 ex Mss. legit *deciderat*, quia h. v. eleganter pro *occidere* ponitur. 11. *Lydas* correxit Constant. Fanens. quia *Lydium* primam syllabam semper productam habet. Plurimi tamen Mss. *Lydias*. (*Lydus* est alia forma pro *Lydius*. Sunt enim multa adiectiua, in quibus haec duplex terminatio deprehenditur. Forma *Lydus* occurrit XI, 98. Heroidd. IX, 54. Fast. II, 356. Tres Heinsii codd. *Lycias*; duo, *Lybias*. Possit tamen et *Lydias* defendi, etsi cum Micyllo ad ἔκτασιν vel συνίστησιν confugere nolis. Etenim in nominum propriorum praesertim peregrinorum metro multum sibi indulgent poetae Latini. vid. Cel. Weichert. de verss. aliq. Virgil. et V. Flacci iniuria suspectis pag. 62. Sic *Sichaeus* prima syllaba correpta legitur ap. Virg. Aen. I, 348; producta ibid. I, 343. *Pyrene* prima breui ap. Tibul. I, 7, 10, producta ap. Sil. It. III, 415 et I, 688. *Sicanus* est amphibrachys Ouid. ep. XV, 57. Horat. epod. 17, 32; dactylus Sil. Ital. XIV, 259 et X, 314; antibacchius Auson. XI, 46.

quo sibi aequatur arte. *Maeoniae*, Lydiae. vid. ad II, 252. Lydiam Arachnen etiam facit Seru. ad Virg. G. IV, 246. sed Thressam, eamque virginem regiam, Probus ad eund. loc.

7 Pluribus abiectam lanificae originem describit, quo magis et ars eius et audacia, qua se ipsi Mineruae praefert, illucescat. *Locum* nec de genere cape, quod Pontanus volebat; (sequitur enim *origo gentis*) nec cum Burm. de dignitate, sed de patria, propter vs. 13. qui huic nostro respondet. Ibi enim *parua domus* ad *originem gentis*, et *paruae Hypaepae* ad *locum* pertinent.

9 *Bibulae* lanae exquisite, quae bibunt, attrahunt colores, vt supra *bibula* Persei *talaria*, (et *bibulae alae* A. A. I, 233.) *Murex* genus conchae, cuius e succo Veteres purpuram conficiebant, et quae cum alibi, tum iuxta *Phocaeam*, vrbem Ioniae in sinu maris mediterranei intimo sitam, reperiebatur. Liu. XXXVII, 31. Etiam *Colophon* nobile Ioniae oppidum.

11 *Aequa*, aequalis dignitate et genere. *Illa*, Arachne. Male Lactant. in Arg. haec quoque verba ad matrem retulit. *Lydus* non minus, quam *Lydius*, in vsu. *studio*, arte textoria. *Hypaepa*, vrbs Lydiae inter Tmolum montem et Caystrum fluuium, de qua Burm. ad Petron. 137 plura notauit. Fuit obscura, vnde h. l. *parua*, et sic etiam XI, 152, vbi et de eius situ. *Domus parua*, humilis, nec vlla dignitate conspicua. Horat. I. Ep. 3. 28 *parui* et *ampli* sibi opp. eo sensu.

Quaesierat studio nomen memorabile, quamuis
Orta domo paruâ, paruis habitabat Hypaepis.
Huius vt adspicerent opus admirabile, saepe
Deseruere sui Nymphae vineta Tymoli;
Deseruere suas Nymphae Pactolides vndas.
Nec factas solum vestes spectare iuuabat;
Tum quoque, cum fierent, tantus decor adfuit arti.
Siue rudem primos lanam glomerabat in orbes;
Seu digitis subigebat opus, repetitaque longo
Vellera mollibat nebulas aequantia tractu;
Siue leui teretem versabat pollice fusum;
Seu pingebat acu; scires a Pallade doctam.

vti *Sicania* paeon primus ap. Virgilium. *Gradiuus* est antibacchius Virg. Aen. III, 35. X, 542. Ouid. Metam. XIV, 820 et XV, 863. amphibrachys Metam. VI, 427. v. Cellar. ad Sil. It. XV, 15. conf. Bentlei. ad Horat. II od. 25, 9 de v. *Edonis*, et Burm. Sec. ad Anthol. Lat. T. I p. 63 de vocc. *Cyane* et *Cyaneus*. Hinc forte Trist. I, 3, 75 defenderes, *Sic Metius doluit* etc., quem locum spurium habuerunt, quoniam *Metius* alibi primam syllabam producat. E.). 18. Heins. h. vs. superiori praeponendum putabat, eam solam ob caussam, quod pro *Nec* multi Mss. *non*. (Improbat hanc transpositionem Bothius.) 22. Alter Regius, *siue leuem tereti*.

15 Priscis temporibus Dii solebant inuisere mortales. Hoc igitur poëta non male vsus est ad commendandum Arachnes opus. De *Tymolo* vino generoso nobili vid. ad II, 217. Poetis etiam *Tmolus* scribitur. V. Stephan. de Vrb. Hinc etiam h. l. nonnulli cum Aldo, sed metro adversante, *Tmoli*. Eius *vineta* sunt etiam II Fast. 313. Ex eo oriebatur *Pactolus*, fluuius Lydiae aurifer. Repetitionem autem eorundem verborum, qualis in h. et seq. vs., amat Noster. I, 325 s. V, 578 s. VIII, 628 s. (Epist. XIV, 47 s.)

18 Qui seq. loc. laudem meretur ab arte, qua ingenium poëtae rem tenuissimam et vulgarem exornauit. *decor adfuit arti*, decore tractabat singula artis suae. V. ad IV, 230. Exempli loco praeparationem lanae ad textum memorat, de qua cf. Claudian. 20, 383. *subigebat* melius, quam, tractabat. *Vellerum* teneritudo eleganter comparatur cum *nebulis*, quemadmodum contra Virg. G. I, 397. nubeculas cum lanae velleribus confert. *mollire*, trahere, vt tenuia fiant. Claudian. *vellera per tenues ferri producere rimas*, vbi v. Gesner. Etiam *tenuare* et *eliquare* lanam in vsu. Illa *vellera* Nostris drr. *Flöten*. *repetita*, quia pluribus tractibus molliebat. V. ad IV, 734.

22 Siue fila deducabat. cf. IV, 221. Sed Burm. ex vno Cod. legit, *leuem tereti*, vt simul Arachne a forma laudetur; *teretia* enim membra, in primis *teretes* digiti, in parte pulchritudinis ponuntur. A. A. I, 622. Et Hypaepas pul-

Quod tamen ipsa negat, tantâque offensa magistrâ,
Certet, ait, mecum; nihil est, quod victa recusem.
Pallas anum simulat, falsósque in tempora canos
Addit, et infirmos baculo quoque sustinet artus.
Tum sic orsa loqui: Non omnia grandior aetas,
Quae fugiamus, habet: seris venit vsus ab annis.
Consilium ne sperne meum. Tibi fama petatur
Inter mortales faciendae maxima lanae.
Cede Deae, veniamque tuis temeraria dictis
Supplice voce roga; veniam dabit illa roganti.
Adspicit hanc toruis, inceptaque fila relinquit;

24. Leidens. *Sed tamen*, quod non inelegauter dictum Burm. videtur. 26. Nouem ex melioribus *ad tempora*, vt III, 275. (*falsos*, omisso *que* cod. Heidelberg.) 31. *lanae.* Multi ex antiquis Codd. *telae.* 34. Louan. et vnus ex Basil. *fila remisit*, quod aeque bonum iudicat Heins. Sed Burm. notat, discrimen esse inter haec duo; *remittere* enim locum habere tum, cum animi quadam affectione, languore aut simili casu ex manu aliquid cadat; *relinquere* vero dici, cum sponte et volentes desinamus opus. (Cod. Heidelberg. *reliquit.*)

cherrimas habuisse mulieres tradit Stephan. Neque dubium est, quin Noster expresserit Catull. Epithal. Pelei, vbi, *libratum tereti versabat pollice fusum.* Contra Heroid. IX, 77 Hercules *crassa robusto deducit pollice fila.* Et *fusus* recte diceretur *leuis;* fiebat enim ex iunco. Plin. XI, 23. *scires* etc. vt I, 162. *scires e sanguine natos.* His verbis autem non laudatur modo ab arte, sed et impudentia eius simul notatur in magistram, *tantaque*, etc. ignominiosam sibi esse putans magistram, licet tanta esset.

26 De tali *simulatione* v. ad III, 275. *Anus* formam fere sumebant Deae, vbi consilium dare volebant. *falsa, fallacia, mentita, mendacia* eleganter dicuntur, quae quis temporis caussa assumit, vt simulata forma alterum fallat.

28 *Non omnia* etc. Senectuti non solae molestiae adiunctae sunt, sed bona etiam quaedam, nempe *vsus*, experientia. Iam Muretus animaduertit, expressa haec esse ex Eurip. Phoen. vs. 531. Οὐχ ἅπαντα τῷ γήρᾳ κακὰ προσέστιν· ἀλλ' ἡ 'μπειρία ἔχει τι λέξαι τῶν νέων σοφώτερον. Plaut. Mostel. V, 3, 27 *Sapere isthac aetate oportet, qui sunt capite candido. Venit*, paratur. *seri anni*, senectus. *Serior aetas* Tibul. I, 4, 33. *facere lanam* locutio propria, vnde *lanificium.*

34 Praeuiderat Pallas fore, vt consilio illo ira superbae mulieris exulceraretur. *Confitetur* et is, qui inscius et inuitus signis quibusdam animi motus prodit. V. ad Plin. III Ep. 14, 3. Amat Noster hunc v. vsum, quem ipse nouasse videtur. I Tr. 4, 11. *Confessus gelido pauore timorem.* II, 525. *vultu fassus Telamonius iram.* Contra Aen. IV, 477. *consilium vultu tegit.* *confiteri vultu iram*, noue di-

Vixque manum retinens, confessaque vultibus iram,
Talibus obscuram resecuta est Pallada dictis:
Mentis inops, longaque venis confecta senecta,
Et nimium vixisse diu nocet. Audiat istas,
Si qua tibi nurus est, si qua est tibi filia, voces:
Consilii satis est in me mihi; neue monendo
Profecisse putes, eadem sententia nobis.
Cur non ipsa venit? cur haec certamina vitat?
Tum Dea, Venit, ait; formamque remouit anilem,
Palladaque exhibuit. Venerantur numina Nymphae,
Mygdonidesque nurus; sola est non territa virgo;
Sed tamen erubuit, subitusque inuita notauit
Ora rubor, rursusque euanuit: vt solet aër
Purpureus fieri, cum primum Aurora mouetur,
Et breue post tempus candescere Solis ab ortu.
Perstat in incepto, stolidaeque cupidine palmae

* (37. *defecta* cor. Heins. *defessa* vnus Moreti et Berol. quod praefert Bothius, quoniam in verbis *confecta senecta* insuaue ὁμοιοτέλευτον deprehendatur, quod tamen defendi possit ex iis, quae notauimus ad IV, 522. Adde Bothium ad II, 681, et Gierig. ad I, 299. E.) 49. Multi Mss. *Solis ab ictu*, quod placet Heins. *Ictus* sic V, 389. Sed nunc de *ortu* sermo est.

ctum, iram prodere vultu. Nec *resequi* pro, respondere, apud antiquiorem poëtam occurrit. Legitur et VIII, 863. XIII, 749. *obscura*, latens sub forma aliena, vt agnosci haud posset. Similis increpatio Aen. VII, 440. *te victa situ verique effoeta senectus curis nequidquam exercet.* — *Et nimium* etc. Non semper experientiam habet senectus, sed interdum etiam nocet etc. — *eadem sententia* manet *nobis*, quae antea fuit.

43 Nota celeritatem, qua Dea, illud ipsum responsum cupiens et exspectans, se manifestat. Exempla Deorum formas assumtas ponentium habet Heyne Exc. XIII ad Aen. I. *Pallada exhib.* eleganter, ostendit, se esse Pallada: Supra III, 1. *posita imagine se confessus erat.* XI, 264. *Exhibita est Thetis, Confessam amplectitur heros.* *Mygdonides*, Lydiae; nam *Mygdones* e Thracia oriundi, sedes in Asiam transtulerant. Strabo VII. p. 295. XII. p. 575. *non territa*, interrita, vt vs. 234 *non euitabile*, et sic passim. Iam pugna pudoris et audaciae bene notatur, quamquam similitudo adiecta parum eam illustrat. *notauit rubor.* V. ad IV, 329. *mouetur*, oritur. *moveri* dvr. proficiscentes, *aufbrechen.*

50 *stolidae.* Ad *palmam* retulit, quod erat ad *cupidinem*, aut ad ipsam mulierem referen-

In sua fata ruit. Neque enim Ioue nata recusat,
Nec monet vlterius, nec iam certamina differt.
Haud mora; consistunt diuersis partibus ambae,
Et gracili geminas intendunt stamine telas.
Tela iugo vincta est: stamen secernit arundo.
Inseritur medium radiis subtemen acutis,
Quod digiti expediunt, atque inter stamina ductum
Percusso feriunt insecti pectine dentes.
Vtraque festinant, cinctaeque ad pectora vestes,
Brachia docta mouent, studio fallente laborem.
Illic et Tyrium quae purpura sensit aënum,
Texitur, et tenues parui discriminis vmbrae:

(55. Senec. Epist. 90. legit *iuncta est*, quod etiam nonnulli codd. exhibent. 58. Cod. Berol. et multi alii *inserti*, quod praefert H. Vossius.) 59. Burm. maluit, *cinctaque veste*.

dum. *nec* non minus eleganter repetitum, quam alibi *sed*. vid. ad V, 17.

53 In verbo *consistunt* haerent Intt. Heins. putat, aut legendum esse *constituunt*, (quod multi codd. tuentur,) scil. telas, aut certe sic capiendum verb. *consistunt*. Burm. monet, *consistere* pr. dici de duabus aduersariis, quae ad certamen se praeparent, idque se docuisse ad Petron. 19. Ego vero arbitror, respexisse Nostrum morem Veterum, qui non sedentes, sed stantes texebant. (vid. de hoc texendi modo Salmas. ad Vopisc. Aurelian. c. 46.)

54 Cum hac textoriae artis descriptione cf. Claudian. R. P. I, 246 sqq. *Tela* varie dr. Nunc intel. trama staminis, series duplex staminum s. filorum in longum extensorum, *der Aufzug, die Werfte*. Alibi vero vel totum opus, quod texitur, sic vr. vel *iugum*, baculus transuersus, quo tela tenetur, der Webebaum. *Gracile stamen*, vt *tenue subtemen* Auson. Mosel. 397. *Arundo*, pecten ex arundine, discriminat fila, ne confundantur, der Kamm. *Radius*, das Webschiff. Eius ope filis in transuersum immittitur *subtemen*, der Eintrag aut der Einschlag. *Quod*, nempe subtemen, quod staminibus immissum, vt opus densum fiat, feritur *pectine*, der Kammlade. *Insecti dentes*, vt alibi *insectus pecten*. Vestes *percussae pectine* ap. Iuven. Sat. IX, 30. Lucan. X, 142. Noster e copia poëtica coniunxit *percusso feriunt*. Lenzius contra *percussum* explicat perforatum, putatque, *dentes* fuisse bacillos istis foraminibus inditos. *doctus*, σοφὸς, peritus. Claudian. I, 177. *pollex doctus* lanificarum. *studium*, ardor certantium. *fallit*, minuit laborem, vt non sentiatur. Vid. ad IV, 39.

61 *purpura*, fila purpurea. Praestantissima purpura fuit *Tyrium quae sensit aenum*, apud Tyrios praeparata. *aënum* vas maius, in quo succus purpureus sali et aquae permixtus per decem dies ad ignem lenem coquebatur. Aristot. Hist. Anim. V, 15. Plin. H. N. IX, 38. Silius VII, 642. *Purpura Agenoreis saturata aënis*.

62 Varios colores commode

Qualis ab imbre solet percussus solibus arcus
Inficere ingenti longum curuamine coelum:
In quo diuersi niteant cum mille colores,
Transitus ipse tamen spectantia lumina fallit.
Vsque adeo quod tangit idem est; tamen vltima distant.
Illic et lentum filis immittitur aurum,
Et vetus in tela deducitur argumentum.
Cecropiâ Pallas scopulum Mauortis in arce

63. Castigatiores *percussis*. Iunian. et quatuor alii, *percussis nubibus*. 66. *ipse* Plurimi, *ille*. Hinc Heins. coni. *inde*. (68. Codd. paene omnes *intexitur*, quod Heins. ob antec. *texitur* damnat.)

miscuit. *tenues vmbrae* sunt haud dubie *sanfte Schattirungen*. Plin. XXXV, 5. vbi narrauerat, singulis coloribus olim pictum esse, pergit: *Tandem se ars ipsa distinxit et inuenit lumen atque vmbras, differentia colorum alterna vice sese excitante. — Commissuras vero colorum et transitus appellauerunt armogen.* Illae vmbrae erant *parui discriminis*, alius color in alium ita transibat, vt transitus vix animaduerti posset; quod egregie illustratur similitudine adspersa.

63 *Soles*, radii solis, *percutiuntur ab imbre*, franguntur in imbre decidente, ab eoque reiiciuntur. Atque ita putes legendum *percussis*, quod praeferunt, notante Heins. castigatiores Mss. quodque amplectitur Lenzius. Sed et *percussus* defendi potest illo Virg. Aen. VIII, 22 *lumen sole repercussum*, lumen, quod oritur a radiis solis repercussis. *inficere*, colores inducere. *mille colores* Iridi tribuit etiam Virg. Aen. V, 609. *fallit lum.* non animaduertitur ab oculis spectantibus. Propert. III, 12, 27. *Non Tyriae vestes errantia lumina fallunt. quod tangit*, proxima quaeque eundem colorem referunt, sed si vltima cum primis comparentur, *distant*, differunt.

68 *lentum*, flexibile, bene de filis aureis, quae qualia olim fuerint, examinat Goguet *über Ursprung der Gesetze*. To. II. lib. 2. cap. 2. art. 2. *immittitur* verb. delectum pro, intexitur, quod male habent alii in contextu. *Argumentum* (ἱστόρημα Anacr. 18, 9) fabula aut historia in operibus artium expressa. Talia vestibus quoque intexi solebant. Homer. Il. γ, 125. Apollon. Rh. I, 721. Catul. 64, 50. Claudian. R. P. I, 246 sqq. Hoc igitur more Noster vsus plures fabulas inseruit, easque ita disposuit, vt Mineruae daret fata hominum a Diis punitorum, Arachnae flagitia coelestia. De v. *deducere* v. ad I, 4. Nunc omnino est, texendo effingere.

70 *scopul. Mau.* Areopagum, collem iuxta Cecropiam. *Litem*, certamen Neptuni et Palladis de nomine vrbis Cecropiae. (Loca veterum, in quibus hoc certamen describitur, collegit Burm. ad h. l. et in Ioue Fulgerat. cap. 8.) Noster sequitur eos, qui duodecim magnos Deos arbitrium tulisse narrabant, vt, vter munus mortalibus vtilissimum produxisset, ab eo vrbs nomen acciperet. Secundum Apollod. III, 14, 1. Cecropis aetate Diis placuit ciuitates sibi deligere, in quibus co-

Pingit, et antiquam de terrae nomine litem.
Bis sex coelestes, medio Ioue, sedibus altis
Augusta grauitate sedent. Sua quemque Deorum
Inscribit facies. Iouis est regalis imago.
Stare Deum pelagi, longoque ferire tridente

75. *stare.* Vnus ex Leidens. *nare*, quod probat Heins. Male. (In verbis *longoque ferire tridente* haeret Bothius, propter concursum trium ὁμοιοτελεύτων et propter duos amphibrachos in fine versus. Scripsit igitur *tridenti* e correctione. De syllabarum similiter cadentium vsu haud raro, de quo etiam multum disputat Nolten. Lexic. Antibarb. p. 1616 sqq. vide, quae notauimus ad VI, 37 et IV, 522. Versus autem in amphibrachyn exeuntes, quos inprimis Voss. ad Virgil. Georg. III, 519 p. 662 damnat, frequentes sunt ap. Ouidium. v. Met. I, 28. 38. 129. 130. 142. 179. 197. 205. 240. 267. 268. 301. 375. 386. 484. 517. 539. Heroidd. I, 1. 115. II, 55. III, 25. 41. 47. 73. 137. 141. 143 et alia multa. E.)

lerentur. In Atticam prior venit Neptunus, tridenteque humi fixo in media acropoli mare profert. Post venit Minerua, quae, cum Cecropa testem fecisset, oleam plantat. Litem inde de terra possidenda ortam qui dirimerent, Iupiter duodecim magnos Deos iudices constituit, qui Cecropis testimonio commoti secundum Mineruam pronuntiarunt. Ea ratio Heynio prae caeteris placet, quia valde antiqua iuris rei acquirendae vestigia habet. Sed paullo aliter Varro apud Augustin. de Ciu. D. XVIII, 9. rem refert, cuius verba cum h. l. conferre iuuat. *Cecrope regnante; cum circa arcem Atheniensem olea arbor forte enata esset; et iuxta aquarum scaturigo emanaret, consultum super hoc veluti prodigio Apollinem respondisse, per oleam Mineruam, per aquam Neptunum significari, eosque Deos inter se certare, vter vrbi nomen imponeret. Quare penes populum esse, vtrius Dei nomine appellari illam vellent, decernere. Atheniensibus itaque in suffragia euntibus, cum mares Neptuno, mulieres Mineruae fauerent, vicisse Mineruam calculo vno. Quare Neptunum indignatum mox tantam aquarum vim effudisse, vt totam prope Atticam inundaret.* Forte Cecrops cum in Atticam peruenisset, incolasque *Neptuno*, h. e. nauigationi et piraticae, deditos cognouisset, operam dedit, vt cultum *Mineruae*, h. e. agriculturam, introduceret. Hinc magnus tumultus, quem ita composuit, vt plurimos, mulieres in primis, in suam sententiam traheret. Sic vicit olea Mineruae. Cf. Goguet d. l. p. 169.

73 *Augusta grauitas*, diuina maiestas. Nempe *grauitas* iudicibus conuenit. *Inscribit*, notum facit, declarat, quis sit. Ductum vel a titulis aedificiorum, vel potius ab inscriptionibus in pectore venalium, quibus declarabatur, quinam essent, quam artem profiterentur. Sic *literatorem inscribi* Sueton. III. Gram. 4. *regalis*, cum sceptro et fulmine. (vid. Burm. de Ioue Fulgeratore c. 14.)

75 Vid. ad I, 283. Neptunus recte *stans* expressus erat coram iudicibus sedentibus. *vulnere*, hiatu. Mox Edd. plurimae *ferum*, equum, vt Phaedr. I fab. 12, 9. vbi vid. Intt. Virg. G. I, 12. *Cui prima frementem Fudit equum magno tellus percussa*

Aspera saxa facit, medioque e vulnere saxi
Exsiluisse fretum, quo pignore vindicet vrbem.
At sibi dat clypeum, dat acutae cuspidis hastam,
Dat galeam capiti; defenditur aegide pectus:
Percussamque suâ simulat de cuspide terram
Prodere cum baccis foetum canentis oliuae;
Mirarique Deos. Operi victoria finis.
Vt tamen exemplis intelligat aemula laudis,
Quod pretium speret pro tam furialibus ausis,
Quattuor in partes certamina quattuor addit

77. Alii et Mss. et Edd. *ferum*, alii *fretum*. (*fretum* cum Micyll. et Ciofan. praefert H. Vossius.) 82. Vulgo, *operis*.

tridenti. Verum Herodot. VIII, 55. Apollod. III, 14, 1. Himer. apud Phot. pag. 1134. Pausan. Attic. p. 57. Varro apud August. d. l. Stat. Theb. XII, 632. memorant, *mare* produxisse in illa contentione Neptunum. Cf. Bentlei. ad Horat. I. od. 7, 7. Per *mare*, θάλασσαν, autem illi intellexerunt aquarum scaturiginem, puteum, aquam marinam occultis terrae meatibus affluentem in Erechthei aede in acropoli, quae Apollodori adhuc aetate ostendebatur. *Equum* autem ap. Virg. alio tempore ex Thessaliae scopulis excussum nonnulli existimant. Non igitur dubitaui alteram lect. *fretum* reuocare. Lactant. quidem manifeste legit *fretum*; nam in argum. *lacum salsum* memorat. Nec apparet, quid per *equum* significare voluerint in hac fabula, cum nec Neptunus, nec prisci Attici equorum in primis curam gesserint. Et quamquam *ferus* interdum de equo dr. non tamen ambiguo illo voc. Ouidius in hac narratione Neptuni opus expressisset. Frustra Schirach. obiicit, mare texendo effingi non potuisse. Etenim vs. 104 Arachne mare adeo mediterraneum effingit, et ap. Claudian. 33, 255. Proserpina *ostro fundit aquas*. Et quale hoc Neptuni *fretum* fuerit, modo vidimus.

80 *simulat*, pingendo exprimit. Illa ipsa olea, quam Minerua produxerat, in arce Atheniensium seruabatur, Sophocl. Oed. Col. 686 sqq., et ostendebatur adhuc tempore Apollodori in Pandrosi sacello. *canens* a colore, quem inferius foliorum latus refert. Virgil. Ecl. V, 16. *pallenti oliuae*. *Prodere* i. q. edere. Haeret Glarean. in v. *foetum*, cum arbor nominari debuisset, et *baccae* potius sint foetus oliuae. Burm. non displicet Bonon. Ms. lectio, *ramum frondentis oliuae*, vt allusum sit ad Graec. θάλλειν et θαλλόν; quae voces pr. de hac sacra Palladis oliua dictae sint. Frustra. Arbor commode *foetus* dici potuit, nempe terrae. In *de cuspide* praepositio otiosa est.

84 *Pretium*, mercedem, poenam; nam iuxta Callimach. h. Apoll. 25: κακὸν μακάρεσσιν ἐρίζειν. *Sperare*, vt ἐλπίζειν, enim de exspectatione mali, v. Heins. ad VII extr. *Certamina* illa hominum erant cum Diis se comparantium. *clara*, eminentia, quo facilius Arachnes oculos in se adverterent. *sigilla*, imagunculae, quibus *distincta*, variegata, illa certamina.

Clara colore suo, breuibus distincta sigillis.
Threiciam Rhodopen habet angulus vnus, et Haemon:
Nunc gelidos montes, mortalia corpora quondam;
Nomina summorum sibi qui tribuere Deorum.
Altera Pygmaeae fatum miserabile matris
Pars habet: hanc Iuno victam certamine iussit
Esse gruem, populisque suis indicere bellum.
Pingit et Antigonen, ausam contendere quondam
Cum magni consorte Iouis; quam regia Iuno
In volucrem vertit: nec profuit Ilion illi,
Laomedonue pater, sumtis quin candida pennis
Ipsa sibi plaudat crepitante ciconia rostro.
Qui superest solus Cinyran habet angulus orbum;

(95. vnus Ciofani cod. *Ilios.* Ios. Scaliger. (ad Catull. p. 69) quidem monet, *Ilion* scribi nominandi casu, more Graecorum foeminino genere. conf. et Voss. Annal. I c. 12. Sed et *Ilion* et *Ilios* occurrit, et semper hac in re audiendi sunt codd. vid. Heins. ad Heroidd. I, 48. Burm. Sec. ad Anth. Lat. T. I p. 86. Kuinoël Animadu. crit. in Ouid. Heroidd. Spec. I (Gissae 1805, 4) p. 7. E.) 96. *pater.* Gronouianus *suus*, non improbante Burm.

87 *Haemus* et *Rhodope*, montes Thraciae, olim fuerant homines ex iisdem parentibus editi. Hi cum mutuo inter se amore flagrarent, Haemus sororem appellauit Iunonem, illa fratrem Iouem. Id aegre ferentes Dii ambos mutauerunt in montes. (vid. Burmann. ad h. l.)

92 De *Pygmaeorum*, homunculorum breuissimorum, bellis cum *gruibus* vid. Strabo I. p. 60. Fons fabulae est Homer. Il. γ, 6. Copiosius eam exposuerat Boeus in Ornithogonia, vnde eam Athen. IX, p. 393 et Anton. Lib. 16 repetierunt. Nempe Oenoë, quam Eustath. ad Homer. Il. ψ, p. 1444 Geranen vocat, fuit regina Pygmaeorum, quam, cum se pulchritudine Deabus anteferret, Iuno in *gruem* vertit. Grues autem multitudine sua inuisae Pygmaeis. Inde *bellum.* (Koeppen. ad Homer. T. I p. 229 fabulam inde ortam putat, quod grues magnum damnum agris et messibus inferant. vide de hac fabula Berkel. ad Antonin. Liberal. XVI, qui eos etiam in Script. Sacr. Ezech. 27, 11. inuenit, et Germanorum septentrionalium fabulas comparat. Adde Intpp. ad Pompon. Mel. III, 8, 8 et Ant. Guil. Zwerg. dissert. de Pygmaeis Aethiopiae populis. Kiliae 1727. 4. E.)

93 *Antigone*, Laomedontis, regis Troiani, filia, ob comam promissam cum Iunone se comparare ausa. Seru. ad Virg. G. II, 320. *Non profuit* s. *longe fuit illi* vox sollemnis de iis, qui, quamquam genere rebusue gestis clari, tamen puniuntur. IV, 650. *crepitus* ciconiae bene fabulae accommodatus.

98 *Cinyran* fuisse aiunt regem Assyriorum, cuius filias, Iunoni se praeferre ausas, Dea in gra-

Isque gradus templi, natarum membra suarum,
Amplectens, saxoque iacens, lacrimare videtur.
Circuit extremas oleis pacalibus oras.
Is modus est; operique sua facit arbore finem.
 Maeonis elusam designat imagine tauri
Europen: verum taurum, freta vera putares.
Ipsa videbatur terras spectare relictas,
Et comites clamare suas, tactumque vereri
Adsilientis aquae, timidasque reducere plantas.
Fecit et Asterien aquila luctante teneri;
Fecit olorinis Ledan recubare sub alis:
Addidit, vt Satyri celatus imagine pulchram
Iupiter implerit gemino Nycteïda foetu;

101. *pacalibus.* Cantabr. *baccalibus.* Et ita coniecerat Gronou. (*bacaribus* cod. Iunian. *pacatibus* Berol.) 107. *reducere* dedit Heins. ex primo Vatic. Medic. et decem aliis. Vulgo *recondere.* G.

dus templi sui commutauerit. V. Lactant. in Arg. *Videri* de figuris ad naturae veritatem expressis etiam vs. 105.

101 Sequuntur πάρεργα, h. e. ornamenta, quae addebantur tabulis. Plin. XXXV, 10. *pacalis*, nou. voc. pacifera; olea enim signum pacis. XV, 591 *pacalis laurus. circuit*, pingit in oris imaginem circumeuntibus. Dum manum circumducit, ipsa *circuire* videtur. Sic Aen. X, 243 Vulcanus clypei *oras ambiit auro.*

103 Tacite malitia Arachnes ostendit, quid de Diis sentiat, exhibens plurima Deorum flagitia. Hic quoque, vt Aen. I, 640 in vasis caelatis Didus, expressa *series longissima rerum.* Initium fit a Ioue, qui innumeris figuris mulieres decepit. Amorr. I, 10, 8. *Quidquid magno de Ioue fecit Amor.* De raptu *Europae* v. II, 833 — fin. col. V Fast. 607 sqq. *designat*, pingendo exprimit. *Eludi* passim apud Nostrum de decepta virgine. *Verum*, viuum V. ad X, 250. Bene notat et sollicitudinem raptae puellae, et artem lanificae. *reducere* esse identidem adducere et attrahere, monet Heins. Fast. d. l. *Saepe puellares subducit ab aequore plantas, Et metuit tactus adsilientis aquae.* Sed h. l. *reducere* simpliciter subducere; repetiti enim motus in tela exprimi non poterant.

108 *Fecit teneri, recubare*, exhibuit eam sic, vt teneretur etc. Prisci aeui mulieres solebant ad Deos ἀναφέρειν τὴν ἁμαρτίαν λέχους. Eurip. Bacch. 29. *Asterie*, Coei Titanis filia, Iouis amplexus fugiens in coturnicem mutata, atque in mare abiecta est, vnde insula Ortygia orta. Hygin. fab. 53. Apollod. I, 4, 1. cf. Spanhem. ad Callim. h. Del. 37, 39. Videtur Iuppiter ea in re *aquilae* ministerio vsus. (vide de eius fabula Burm. ad h. l.)

111 *Nycteida*, Antiopen, Nyctei, regis in Boeotia, filiam, ex qua nati sunt *gemini*, Zethus et Amphion. Hygin. fab. 8. Apollod. III, 5, 5. Schol. Apollon.

Amphitryon fuerit, cum te, Tirynthia, cepit;
Aureus vt Danaën, Asopida luserit igneus;
Mnemosynen pastor, varius Deoïda serpens.
Te quoque mutatum toruo Neptune iuuenco
Virgine in Aeolia posuit. Tu visus Enipeus
Gignis Aloïdas; aries Bisaltida fallis.
Et te, flaua comas, frugum mitissima Mater
Sensit equum; te sensit auem crinita colubris
Mater equi volucris; sensit delphina Melantho.
Omnibus his faciemque suam, faciemque locorum
Reddidit. Est illic agrestis imagine Phoebus;
Vtque modo accipitris pennas, modo terga leonis
Gesserit; vt pastor Macareïda luserit Issen:

112. Bothius cor. *Amphitruo vt fuerit*, quoniam *vt* necessario addendum sit, vt vss. 110, 113, 123—126. 113. Plurimi codd. *ignis*, ad quam lect. amplectendam pronus est Bothius. Sed *igneus* tamen lectio difficilior, et *ignis* magis a librario ortum esse videtur. 119. Pro *auem* permulti codd. exhibent *equum*. E. 122. *Reddidit*. Iuniau. et vnus Medic. *addidit*.

Rh. IV, 1090. Lutat. ad Stat. Theb. IX, 423. Sed Homer. Od. λ, 259, eam facit Asopi filiam: de quo dissensu vid. Pausan. Corinth. p. 124. cf. omnino Valkenar. Diatrib. p. 58. sqq. vbi fragm. Antiopae Eurip. (vid. Burm. ad h. l.) *celatus*, V. ad V, 326. *Tirynthia*, Alcumena, quam Iupiter, sumta Amphitryonis coniugis forma, vitiauit. Hygin. fab. 29. Homer. d. l. vs. 265. *Asopida*, Aeginam, Asopi filiam. cf. VII, 616. vid. Spanhem. ad Callim. h. Del. 78. Eam vitiauit Iupiter in *ignem*, aut, vt Clemens Hom. 5, 13. Nonnus Dionys. VI, 212. Lutat. ad Stat. VII, 427. malunt, in aquilam conuersus. (vid. Burm. ad h. l.) In insula Aegina peperit Aeacum. Apollod. I, 9, 3. III, 12, 6. *Deoida*. Ceres Graecis Δηὼ dicta, vnde Proserpina Δηοῦς κόρη, quod Noster expressit per *Deoida*. vid. Spanhem. ad Callim. h. Cer. vs. 133. (vid. de hac fabula Intpp. ad h. l.)

116 *Aeolia virgo*, vel Arne, vel Canace, Aeoli filia, quam Neptunus in taurum conuersus vitiauit. *Enipeus*, fluuius Thessaliae, in quem Neptunus conuersus Iphimediam, Aloi vxorem, compressit, ex qua nati Othus et Ephialtes, *Aloidae* dicti. Homer. Od. λ, 304 sqq. Virg. Aen. VI, 582 sqq. *Bisaltida*, Theophanen, Bisalti filiam, quam Neptunus in ouem, se autem in arietem mutauit. Hygin. fab. 118.

118 Ceres, vt Neptuni insidias fugeret, se in equam mutauit; quod cum Neptunus rescisset, in equum et ipse conversus eam iniit. Inde natus Arion, equus. *crinita col.* Medusa, quae ex Neptuno concepit Pegasum. *Melantho*, Deucalionis filia. *faciem suam*, formam eam, sub qua mulieres compresserunt.

124 *Macareida*, Macarei filiam, vel Lesbiam vel Euboeam. *Erigone*, Icari filia. De *genuino Chirone* vid. ad II, 630.

Liber vt Erigonen falsa deceperit vua:
Vt Saturnus equo geminum Chirona crearit.
Vltima pars telae, tenui circumdata limbo,
Nexilibus flores hederis habet intertextos.

Non illud Pallas, non illud carpere liuor
Possit opus. Doluit successu flaua virago;
Et rupit pictas, coelestia crimina, vestes;
Vtque Cytoriaco radium de monte tenebat,
Ter quater Idmoniae frontem percussit Arachnes.
Non tulit infelix, laqueoque animosa ligauit
Guttura. Pendentem Pallas miserata leuauit,
Atque ita, Viue quidem, pende tamen, improba, dixit;
Lexque eadem poenae, ne sis secura futuri,
Dicta tuo generi, serisque nepotibus esto.

131. *crimina.* Heins. coni. *carmina*, vel *stamina*, vel *tegmina.* 134. Heins. maluit, *ligatur*, vt κακοφωνία vitetur in *ligauit* et *leuauit.*

129 Iam hic exspectat lector exitum certaminis, et iudicium de vtriusque lanificae tela. Non victoria, sed inuidia, quae etiam Deos tangit, commota Pallas punit, atque inuidia eius exacerbatur etiam criminibus Deorum effictis. *Non liuor illud opus carpere possit*, prouerbii speciem habuisse videtur, monente Zinzerl. Promuls. cp. 41. *Crimina* Deorum stupra et adulteria drr. Vid. Burm. Sic et Propert. II, 5, 25. *Non istis olim variabant tecta figuris. Tum paries nullo crimine pictus erat.* *Crimina*, *vestes*, telam, in qua flagitia. (Respexisse videtur poëta illum Romanorum morem, ex quo tabulas pictas, amores turpes et incestos oculis exponentes, in cubilis suis suspendebant, de quibus v. Intpp. ad Ouid. Trist. II, 523. Burm. Sec. ad Anth. Lat. T. I, p. 633. T. II, p. 483 et ad Propert. II, 5, 26. p. 255. E.)

132 *Cytoriaco.* vid. ad IV, 311. *Animosa* refertur melius ad *guttura*, quam ad ipsam Arachnen; sed quaeritur, quo sensu Vir doctus in Biblioth. Tigur. Vol. III P. I p. 94 explicet spirantia, et comparet ex VII, 604 *pars animam laqueo claudunt.* Laudat idem Amorr. I, 6, 51. vbi *animosum ventum* putat esse spirantem, flantem, et e Cic. N. D. II, 6. *animum spirabilem.* Haud scio tamen, an possis superba explicare, vt vs. 206; vt gutturi more poëtarum tributa sit affectio dominae. In iunctura verborum *ligauit*, *leuauit* sane est negligentia quaedam, neque tamen illa sollicitare Heins. debebat ad corrigendum. V. ad II, 398. *Leuauit*, leuiorem ei sortem tribuit. *Lex*, modus et ratio. Poena eiusdem modi constituta esto. Per *genus* et *nepotes* araneas intelligit. Ita *nepotes* etiam XI, 748. Inde autem et aranea *inuisa Mineruae* Virg. G. IV, 246.

Post ea discedens succis Hecateïdos herbae
Spargit; et extemplo tristi medicamine tactae
Defluxere comae, cumque his et naris, et auris;
Fitque caput minimum, totoque in corpore parva est.
In latere exiles digiti pro cruribus haerent;
Cetera venter habet: de quo tamen illa remittit
Stamen, et antiquas exercet aranea telas.
Niobe. Lydia tota fremit; Phrygiaeque per oppida facti
Rumor it, et magnum sermonibus occupat orbem.

139. *Post ea*. Schepper. coni. *oraque*. (141. Libri MSS. fere omnes *aures;* sed *auris* ex melioribus, vt Heins. dicit, et Priscian. VI, 6, 31. praetulerunt. Idem Priscian. cum plurimis codd. exhibet *cum quis*, quod Krehl. probat. Vtrumque, et *cum quis* et *aures* praeferre videtur Bothius p. 193. E.) 142. Sic Burm. ex tribus Mss. dedit. Vulg. *toto quoque c.* 144. *habet*. Heins. coni. *obit*.

139 *Post ea* et mihi languidum, nec satis poëticum videtur. Non tamen cum Scheppero haec corrigere ausim. *Hecateis*, venenata et magica, vt XIV, 44. *Hecateia carmina* sunt incantationes. *Hecate* enim innocabatur a veneficis. *Medicamen*, omnis succus, quo inficitur aliquid. *Defluere* et *defluuium* pr. de capillis, *totoque in corp.* etc. licet habeat totum et integrum corpus, parua tamen est, et omnia eius membra sunt exilia. Mox Heins. maluit, *venter obit*, sed male. Eleganter, *caetera venter habet*, sunt venter. III Trist. IV, 46. *habet caetera pontus*. *Obire* potius de actu, quo mutatur aliquid. I, 552. *Exercet*. Debebat sequi artem, sed dixit *telas*, et quidem *antiquas*, pristinas. Nam *exercere* omnino est tractare.

FAB. II, 146 — 312. *Niobe*, Tantali filia, Amphionis regis Thebani vxor, copiosa prole superbiens et Latonae se praeferens, primum orbatur filiis filiabusque omnibus, mox ipsa mutatur in saxum. Fabula a multis scriptoribus, multis deperditis tragoediis, multis monumentis, multis denique epitaphiis celebrata. Cf. Homer. Il. ω, 602 sqq. Callim. h. Apol. 22. Pausan. Corinth. p. 160. Apollod. III, 5, 6. qui in plurimis consentit cum Nostro et Diod. Sic. IV, 74. Schol. Eurip. ad Phoen. 162. e Cod. Voss. Hygin. fab. 9. 10. 11. (vide quos praeterea affert Burm. ad h. l.) Tractauerant haec et Hesiod. Pherecydes, Hellanicus et plurimi poëtae. Signum vetustum Niobes cum liberis excellentissimum Florentiae seruatur, de quo Winkelm. in Hist. Art. p. 170. 205. 226. et in Mon. Ined. n. 89. Palaephat. cap. 9. fabulam sic explicat, Nioben fecisse sibi statuam lapideam in tumulo liberorum. Philemon inde natam arbitrabatur, quod Niobe prae doloris magnitudine nihil proloqui potuerit. Nec aliter Cic. Tusc. III, 26. *Niobe fingitur lapidea, propter aeternum, credo, in luctu silentium.* Hinc ab Aeschylo inducta fuerat velato capite.

Fremere hic non de indignatione et dolore popularium A-

Ante suos Niobe thalamos cognouerat illam,
Tum cum Maeoniam virgo Sipylumque colebat:
Nec tamen admonita est poena popularis Arachnes
Cedere Coelitibus, verbisque minoribus vti.
Multa dabant animos. Sed enim nec coniugis artes,
Nec genus amborum, magnique potentia regni,
Sic placuere illi, (quamuis ea cuncta placebant)
Vt sua progenies; et felicissima matrum
Dicta foret Niobe, si non sibi visa fuisset.

152. *Artes* habent Florent. optimus, primus et sec. Medic. aliique complures. Probarunt hoc Heins. Bersm. Pontan. Burm. Caeteri, *arces*. 154. Vnus Moreti, *sua cuncta*, quod eleganter dictum Burm. videtur, tamquam e formula, *sua cuique placent* et sim. Immo refertur ad *ea* tantum, quae praecesserant.

rachnes capiendum, sed, vt Schirach. recte obseruat, de fama peruagante Lydiam, quia haec dignior facto Mineruae, quam indignatio. Phaedr. V fab. 7, 20. *rumor de tibicine fremit in theatro.* De Fama *fremere* est XII, 47. Male Rode, *Lydien bebt.* *It per oppida*, vt ap. Virg. *fama it per vrbes.* Male Heins. suadet *magnam vrbem*, i. Sardes. Imo fama serpit primum per Lydiam, mox per vicinam Phrygiam, tandem per totum terrarum orbem, penetratque adeo et Thebas ad Nioben. (Errare tamen hac in re videtur Gierig. Etenim poëta non dicit, Nioben haec audiisse Thebis, sed cum in Lydia esset. vs. 149. *magnus orbis* est magna illarum terrarum pars; ein grosser Umkreis. Alioquin dixisset poëta *totum orbem.* E.)

149 *Maeoniam*, inprimisque *Sipylum* colebat. Nam *Sipylus* et mons et vrbs Lydiae. Plin. II, 59. Anacr. od. 20. annumerat quidem eam Phrygiae, sed Lydia relata olim fuit a multis ad Phrygiam Magnam. v. Strabo II. p. 89. Etiam mox vs. 177 *gentes Phrygiae.* E Maeonia eam cum Pelope in Peloponnesum venisse, putat Heyne ad Apollod. d. l. Nisi potius in Lydia iam nupsit Amphioni. Certe a Pausan. IX p. 720 Amphion ob Tantali affinitatem Lydios modos a Lydiis didicisse narratur. *Admoneri* exemplis, iis impelli, vt tibi consulas. *Verbis minoribus vti*, submissius loqui, vt vs. 368. V. ad IX, 31. *animi*, superbia.

152 *sed enim*, at vero. *Artes*, musica, qua excellebat Amphion, quae inde *Amphionia ars* apud Sidon. Apol. ab Heins. laud. In Twisd. Cod. glossa adscripta erat, *quia citharoedus erat.* vid. ad vs. 178. Sed Brouckh. ad Propert. III, 7, 39. per *artes* h. l. intel. vrbem Thebas, quam Amphion lyrae canore construxerat, quemadmodum apud Propert. d. l. Pergama ex Brouckh. emendatione drr. *Apollinis artes.* Ita vero musices, qua tantum sibi nomen Amphion parauerat, nulla fieret mentio. Possis forte vtrumque hic intelligere, musicam et moenia. V. vs. 178. *Sic — vt prog. sua* Haec caussa ei fuit superbiae, calamitatis, insani doloris et mutationis. *sibi visa fuisset*, atque felicitatis illius sensu elata.

Nam sata Tiresia, venturi praescia, Manto
Per medias fuerat diuino concita motu
Vaticinata vias: Ismenides, ite frequentes,
Et date Latonae, Latonigenisque duobus,
Cum prece tura pia, lauroque innectite crinem:
Ore meo Latona iubet. paretur; et omnes
Thebaides iussis sua tempora frondibus ornant,
Turaque dant sanctis, et verba precantia flammis.
 Ecce venit comitum Niobe celeberrima turba,
Vestibus intexto Phrygiis spectabilis auro;
Et, quantum ira sinit, formosa, mouensque decoro

163. In Schol. Ms. Senec. ad Agam. 320 laudatur hic vs., sed pro *iussis* ibi est *festis*, quod exemplis defendit Burm. (167. Vulgo post *formosa* maiore interpunctione inciditur, vt verba *mouens decoro cum capite capillos* iugantur cum *constitit*. Quae ratio mihi ob verba *quantum ira sinit*, displicet. Posui igitur post *for-*

157 Niobe Thebanis interdixerat Latonae sacra celebrare. Hoc tractauit, vt poëta. Vatem inducit sacra indicentem, mulieres iussis parentes, Nioben in publicum prodeuntem, se iactantem, Deae maledicentem. *Manto* (a μαντεύεσθαι) saepe a Veteribus commemoratur. In eius verbis non inest *vaticinium*, quod vulgo sic dr., sed indictio sacrorum. Nempe *vaticinari* omnino est impulsu Dei loqui. *diu. conc. motu.* vid. ad III, 711. Cf. Senec. Agam. 319, qui Nostrum expressit. *Quam factorum praescia Manto Sata Tiresia Latonigenas Monuit sacris celebrare Deos.* Pertinuerunt illa sacra ad mulieres tantum. *Et date* etc. Formula sollemnis in indictione sacrorum. Cf. Aen. VIII, 274. *pia*, quae pium animum declarant. *cum prece.* Intel. comprecatio, quae sacrificio addebat preces. Cf. IX, 159. vt in sacris Bacchi pampineae aut hederaceae, in honorem Herculis populeae frondes *innectebantur crinibus*, sic in Apollinis sacris *laurus.* — *iussis.* Ita et I, 399. III, 105. IV, 32. XI, 635. Et ex more Ouid. post *iubet* repetitum *iussis.* Non tamen spernenda altera lectio *festis.* Ita III, 528. *festi vlulatus.* V. et ad III, 111. Virg. Aen. II, 249 delubra Deum *festa velamus fronde.*

165 Incessus mulieris superbae et prae superbia indignantis egregie hic describitur. *celeberrima*, stipata multis comitibus, more reginarum orientalium. De *Phrygiis vestibus* v. ad vs. 1. *Immissi* in faciem *capilli* signum erant vel squaloris, vel certe negligentiae, qualis est mulierum domi sedentium. V, 338. Verum h. l. *immissi* absolute sunt soluti, fluentes, quales sunt Apollinis. Tibul. III, 4, 27. *Intonsi crines longa ceruice fluebant.* Ap. Hom. d. l. ἠΰκομος Νιόβη. *movens*, concutiens indignationis caussa, vt Iupiter I, 179. *alta*, quia superbi elato capite incedunt. Vs. 275 *resupina.* Senec. Ep. 80 p. 624 ed. Lips. *Ille, qui in scena elatus incedit, et haec resupinus dicit: En impero Argis.*

Cum capite immissos humerum per vtrumque capillos,
Constitit; vtque oculos circumtulit alta superbos,
Quis furor auditos, inquit, praeponere visis
Coelestes? aut cur colitur Latona per aras,
Numen adhuc sine ture meum est? mihi Tantalus auctor,
Cui licuit soli Superorum tangere mensas.
Pleïadum soror est genetrix mihi; maximus Atlas
Est auus, aetherium qui fert ceruicibus axem.
Iuppiter alter auus; socero quoque glorior illo.
Me gentes metuunt Phrygiae; me regia Cadmi

mosa comma et post *auro* semicolon, vt nexus sit: *quantum ira sinit, formosa et cum decoro capite capillos mouens.* E.) 168. Pauli Codd. pro *immissos* habent *immensos;* idque placet Barthio. Ea vero immensa est hyperbole. 174. *genetrix mihi* ex Neap. recepit Burm. pro *mea.*

170 Hinc *cuncta* illa, quae *animos dabant* (152), vt se Latonae praeferret, ipsa non enumerat modo, sed et amplificat. Haec sunt *magna* illa *verba*, quae minuere nolebat, et quibus elata vs. 184. fidenter subiicit, *Quaerite nunc* etc. De formula *quis furor?* ad III, 531. Quae ipsi *videmus*, ea et certiora et praesentiora sunt *auditis*, de quibus fando aliquid accepimus. *per aras* non est, aris exstructis, sed in aris plurimis, vt quae *per vrbes*, plurimis in vrbibus, fieri drr. *numen meum*, vt vs. 4. *Tantalus*, rex Lydiae opulentissimus, saepe ad Deorum conuiuium admissus, vnde *conuiua Deorum* Horat. I od. 28, 7. *auctor*, scil. generis. *soli.* Licuit quidem et Ixioni et Pelopi, sed illi posteriores Nioba. Heins. Maximus autem honos *tangere mensas*, interesse conuiuiis, *Deorum*, isque olim non nisi Diis concessus, atque adeo diuinitatis signum. Aen. I, 78 Aeolus ad Iunonem, *tu das epulis accumbere Diuum.*

174 *Pleiadum sorores* erant Hyades (Hygin. P. A. II, 21), e quibus vna Dio (Schol. Hom. ad Il. ς, 486.), quam nonnulli faciunt Niobes genitricem. Hygin. fab. 9. 82. 83. Sic *Atlas* eius auus, et *Iupiter*, Tantali pater, *alter auus*, atque adeo *socer* quoque, quia et Amphion Iouis ex Antiopa filius. Pausan. Boeot. p. 720. *aetherium* etc. IV, 657 sqq.

177 *Metuunt*, venerantur et colunt, vt felicem maximi regis filiam. vid. ad I, 323. *Phrygiae.* V. ad 149. *Amphionem*, qui regnauit a. 1390. ante aer. Chr. *fidibus* excelluisse (Plin. VII, 56. Noster Ibid. 585.) earumque sono Thebas circumdedisse muris: (Horat. A. P. 394.) h. musices suauitate ita oblectasse Thebanos, vt muris exstruendis operam nauare non grauarentur, (Maximus Tyr. dissert. 21. Palaeph. 42.) constat. Hinc igitur *moenia fidibus mariti mei commissa*, constructa. Apud Propert. I, 9, 10. *Amphioniae moenia lyrae.* Plura de eius arte musica habet Pausan. Boeot. p. 720. De muris

Sub domina est, fidibusque mei commissa mariti
Moenia cum populis a meque viroque reguntur.
In quamcumque domus aduerto lumina partem,
Immensae spectantur opes. Accedit eodem
Digna Deae facies. Huc natas adiice septem,
Et totidem iuuenes, et mox generosque nurusque.
Quaerite nunc, habeat quam nostra superbia caussam.
Nescio quoque audete satam Titanida Caeo

180. Heins. maluit graeca forma *aduertor.* (*aduerti* cod. Heidelberg. et alii, quod exquisitius veriusque vulgato esse dicit Bothius.) 185. *Nescio quoque audete.* Ita haec verba Heins. constituit ductu Florent. optimi et tertii Medic. quorum ille, *Nescio quoque auditi satam*, hic, *Nescio quoque audete genatam.* Scabra satis sunt verba et dura; ostendit etiam *que:* sed difficile est, sine Mss. adiumento aliquid melius substituere. Vulgo, *Quoque modo audetis.* G. — Tan. Faber cor. *Et nunc nescio quo genitam T. C. Latonam praeferte mihi.* Offendit autem illud *que* in *quoque;* neque magnopere placet imperatiuus *audete.* Genuina lectio fuisse videtur: *Nescio quo audetis genitam Titanida Caeo* etc. vt ordo verborum sit: *Audetis praeferre mihi Latonam Titanida nescio quo Caeo genitam. modo*, quod e glossa in textum irrepsit, (vt apparet ex cod. Neapol. lectione: *Nescio quomodo audetis satam*) exsulare fecit v. *nescio;* tum vero, vt numeri constarent scriptum est *quoque modo audetis, natam* autem et *satam* aeque glossemata sunt. E.

eius vid. Homer. Od. λ, 262. *populi*, ciues.

182 *Digna Deae.* vid. ad V, 345. — De numero liberorum Niobes studiose quaesiuerunt Veteres, Aelian. V. H. XII, 36. Gellius N. A. XX, 7. Schol. Eurip. ad Phoen. 162. et e recentioribus Cuper. Obsu. III, 7. Noster secutus est Euripid. Aeschyl. Aristoph. Lasium, qui septem filios totidemque filias Niobae dabant. Sic et Hygin. Apollod. et Schol. Eurip. e Cresphonte. Homer. non nisi sex vtriusque sexus numerat, Hesiodus et Aelian. omnino viginti, Herodorus duos filios, tres filias.

185 Cum splendida sua fortuna comparat miseram Latonae sortem, de qua Homer. h. Apoll. et Callimach. h. in Del. adeundi. — *Nescio* etc. Ex hac Heins. emendat. (de qua v. Varr. lect.) ordo et sensus verborum: *Audete Latonam nescio quo* (contemtim) *Caeo satam.* Fuit autem *Caeus* vnus ex Titanibus. De erroribus Latonae parturientis vid. Homer. h. Apoll. 30. et de Delo *miserata vagantem* vs. 61 sqq. et Callim. h. Del. 201 sqq. *Exsul mundi* eadem syntaxi, qua *exsul mentis*, *fugitivus regni* etc. v. Burm. Grauiter *exsul mundi*, cum alii tantum sint *exsules patriae. Ego in exdis.* Delos olim instabilis (Stat. Achil. I, 388.) et errans in mari, sed nato Apolline statim immota facta est et incussa, haesitque inter Gyarum Myconumque Cyclades. vid. Virg. Aen. III, 75 sqq. et quos laudat Spanhem. ad Callim. h. Del. 273. Vtrum vtramque prolem in hac insula

Latonam praeferre mihi; cui maxima quondam
Exiguam sedem pariturae terra negauit:
Nec coelo, nec humo, nec aquis Dea vestra recepta est.
Exsul erat mundi; donec miserata vagantem,
Hospita tu terris erras, ego, dixit, in vndis,
Instabilemque locum Delos dedit. Illa duobus
Facta parens: vteri pars est haec septima nostri.
Sum felix. Quis enim neget hoc? felixque manebo.
Hoc quoque quis dubitet? tutam me copia fecit.
Maior sum, quam cui possit Fortuna nocere.
Multaque vt eripiat; multo mihi plura relinquet.
Excessere metum mea iam bona. Fingite, demi
Huic aliquid populo natorum posse meorum:
Non tamen ad numerum redigar spoliata duorum,

191. *duobus* pro *duorum* ex vno dedit Heins. G. 199—204. Olim versus hoc ordine legebantur: *Non tamen ad numerum redigar spoliata duorum. Ite sacris, propere sacris, laurumque capillis Ponite. Deponunt et sacra infecta relinquunt, quodque l. t. v. m. numen Latonae. Turba quantum distabat ab orba, Indignata dea est* etc. Praeterea in codd. nonnullis post *distabat ab orba* additur h. vs.: *Tantum animosa suis furiis agitata doloris.* In vno Ciof. cod. legebantur haec ante vers. *Latonae turba* etc, et in margine adscriptum erat: VACAT; vnde, et quoniam sensu et elegantia destituitur, recte cum vs. delerunt Ciofan. Nauger. et Bresm., cum praeterea in optimis MSS. absit. *Num tamen* cod. Ambros. *spolianda* Geneu. Verba *ite sacris* in nonnullis codd. erasa erant. *Ite satis propere sacris* Heidelb. *satis properete sacr.* Berol. *I. sacris properate sacris* Medic. quartus, vnus Gronou. et vnus Voss. *Ite sacris procul a sacris* margo edit Gryph. Vnde seq. vs. *infectaque sacra* orta sint, de eo silent Intpp. In cod. Berol. et octo, quas vidi, editt. vett. *et sacra infecta.* Cod. Briant. et alii: *Latonae turbae quae quantum distat.* Berol. *L. turba cum quan-*

deposuerit Latona, an Dianam alio loco, de eo dissentiunt poëtae. vid. ad I, 694. Delos autem hic loquens inducitur, vt ap. Hom. vs. 61 sqq. et commode, cum ambae similem sortem experirentur. *instabilem* contemtim. Cf. vs. 333 s.

192 *Vteri* etc. Hi duo non faciunt, nisi septimam partem eorum, quos ego enixa sum. *Vterus* de tota, eaque numerosa, prole. Homer. Il. d. l. Φῆ δοιὼ τεκέειν, ἣ δ' αὐτὴ γείνατο πολλούς. Inde et ap. Apollod. εὐτεκνωτέραν se iactat Latona. Iam incipit oratio languescere, maxime insertis illis *quis enim* etc. *hoc quoque* etc. et ταυτολογεῖν, cum inde a verbis *tutam* vsque ad *spoliata duorum* eadem sententia quinquies repetita sit. *Populus* omnino multitudo, vt XI, 633. vbi v. not. Ita *cohors liberorum* Aen. X, 328. *totus familiae populus* Plin. 35, 2.

Latonae. Turba qua quantum distat ab orba?
Ite sacris, properate sacris, laurumque capillis
Ponite. Deponunt, infectaque sacra relinquunt,
Quodque licet, tacito venerantur murmure numen.
Indignata Dea est; summoque in vertice Cynthi,

tum distabat. In altero Vrsin. duob. Vatic. et duob. Maffei: *Latonae quantum quae distat ab orba.* Bernegger. *quoque quantum.* Editt. nonnullae: *turba quae quam distabat.* Transposuit versus, vt in hac edit. leguntur, primum Gronou. Obss. IV, 15, (quem sequuti sunt editores ab Heins. omnes) et cor. *Latonae: turba qua quantum distat ab orba? Ite, sat est operae sacris; aut, Ite, satis pro re sacri; aut Ito, satis properae sacris.* Heins. coni. *turba quo quantum d... Ite satis, properate sacris* (vt cod. Gierig.) aut *procul ite sacris* aut *Ite procul, procul ite sacris.* Burmann. priore versu consentit cum Gronouio et altero suadet: *Ite, manus prohibete* (vel *cohibete*) *sacris.* Schirach. emendat: *Latonae toruae, quae, quantum d. a. orba? Ite satis propere sacris.* Withof. mauult: *Latonae turbam, quae quantum d. a.* orba? *Infectis properate sacris.* Bothius coni. *duorum, Latoae turbae, quo qu. d. a. o.?* aut: *Latonae. turbae quo qu. d. a. o.?* Ite, *sat est, propere ite, sacri.* H. Voss. scribi iubet: *Ite procul, procul ite sacris.* Iac. Gronou. T. I Antiq. Graec. volebat: *Ite aris propere ab sacris.* Schirach. addidit: *Ite sacris, propere ite sacris.* vid. et Gierig. in notis. Spurium hunc versum iudicauit Caposerreus. Eum autem genuinum et eo, quo nunc legitur, loco interponendum esse, apparet ex vs. 212, vbi Latona dicit: *et me orbam dixit.* E Lenzii interpretatione offendit illa *turba orba.* Contorta autem Gierigii ratio neutiquam eum, quem vult, sensum praebet. Reposui Gronouii correctionem, e qua non iungerem verba *ab orba turba*, sed potius: *quà turbà quantum ab orbà* (sc. *femina*) *distat?* E.

200. 1. Versus hi in Mss. tam corrupti et disturbati leguntur, vt vix sensus commodus inde erui possit. Hinc varie tentati sunt a viris doctis. vid. Var. Lect. Nos interpunximus, non post *Latonae*, sed post *turba*, et *quo* mutauimus in *quae.* Sensus: Si vel maxime pluribus liberis spolier, non tamen in tanta meorum turba redigar ad numerum duorum Latonae; *quae* cum duobus suis *quantum*, quam parum, *distat ab orba?* Mutationi huic, quam sensus commendat, accedit aliquid auctoritatis e Mss. Etenim Ciofan. e lib. Briant. notauit, *Latonae, turbae? quae quantum.* Atque etiam Heins. *quae* in melioribus reperit. Lenzius et ipse probat *quae*, sed coniungit *turba ab orba*, i. a multitudine eorum, qui omni prole carent. Si proxima seruamus, sane post *ite* et *properate* subint. *a.* *Murmur* de precante etiam 327 s. *tacito*, leni. Compressis labris mussitant.

204 In *Cyntho*, Deli monte, Latona colebatur cum Apolline. Breuiter Apollod. liberos ταρβῶζυνς. *animosa*, superba. *Dubitor* Burm. inter singularia refert. Dictum vt *imperor* et alia. De diuinitate Latonae non dubitauerat Niobe; sed ira solet maledicta alterius augere. *Arcetur* Deus *aris*, quando eius sacra in

Talibus est dictis gemina cum prole locuta:
En ego vestra parens, vobis animosa creatis,
Et, nisi Iunoni, nulli cessura Dearum,
An Dea sim, dubitor; perque omnia secula cultis
Arceor, o nati, nisi vos succurritis, aris.
Nec dolor hic solus; diro conuicia facto
Tantalis adiecit, vosque est postponere natis
Ausa suis, et me (quod in ipsam recidat) orbam
Dixit, et exhibuit linguam scelerata paternam.
Adiectura preces erat his Latona relatis;
Desine, Phoebus ait, (poenae mora longa) querelas.
Dixit idem Phoebe; celerique per aëra lapsu
Contigerant tecti Cadmeïda nubibus arcem.
Planus erat, lateque patens prope moenia campus,

208. *cultis.* Vnus *cunctis*, quod praefert Dan. Heins. 214. Vulg. *deiectura.* Const. Fan. *adiectura.* Heins. malebat, *admotura.* (Heinsii correct. probat H. Voss. et defendit eam e cod. Leidens. lect. *admonitura.*) Burm. ex vno praefert, *admixtura.* 215. Sic loc. constituit Heins. Vulg. *mora longa querela est.* (H. Voss. mauult: *Desine, Phoebus ait: poenae mora longa querelae.*) 217. Vnus, *constiterant*, quod elegans, et diuinam celeritatem declarare Burm. videbatur. Vnus *vecti nube.* 218. Gebhard. coni. *ad moenia.*

aris interdicuntur; habitare enim ibi credebatur.

212 *recidat* verbum in hac re proprium, et primam interdum producit. vid. Brouckh. (et Burm. Secund.) ad Propert. IV, 8, 44. Veteres autem, vbi ominosi aliquid audierant, in hostes id vertere solebant. *Exhibere ling. pat.* peccare lingua, vt pater Tantalus, diuulgatis Iouis arcanis. *Magna lingua* Niobae tribuitur ab Horat. IV od. 6, 1. Apollo, *quem proles Niobea magnae Vindicem linguae sensit.*

215 *Desinere aliquid*, id deserere, ab eo desistere V. Heins. ad A. A. II, 726. *Tecti nubibus* solent esse Dii ad puniendum descendentes, vt Apollo Il. α.

218 E priscae vitae ritu ante vrbes erant loca lata, campi, in quibus iuuenes armis exercebantur et cursu. Homer. Il. β, 811. sqq. Aen. VII, 162. Homero auctore pueri aeque ac filiae in aedibus perierunt; secundum Apollod. ex Euphorione et Hygin. venantes in Cithaerone monte interfecti sunt. Timagoras ap. Schol. Eurip. ad Phoen. 162. putat, a Thebanis per insidias sublatos esse Amphionis liberos. Pestilentia eos esse absumtos, censet Eustath. ad Hom. d. l. Cf. Pausan. Boeot. p. 721. Apollo enim sagittis suis (h. sol radiis) pestilentiam excitare credebatur. Nomina illorum habent Hygin. fab. 11. Apollod. Schol. Eurip. Noster filiorum tantum nomina habet, in quibus non multum ab Apollod. discrepat.

Adsiduis pulsatus equis; vbi turba rotarum,
Duraque mollierant subiectas vngula glebas.
Pars ibi de septem genitis Amphione fortes
Conscendunt in equos, Tyrioque rubentia fuco
Terga premunt, auroque graues moderantur habenas.
E quibus Ismenos, qui matri sarcina quondam
Prima suae fuerat, dum certum flectit in orbem
Quadrupedes cursus, spumantiaque ora coërcet,
Hei mihi! conclamat; medioque in pectore fixus
Tela gerit, frenisque manu moriente remissis
In latus a dextro paullatim defluit armo.
Proximus, audito sonitu per inane pharetrae,
Frena dabat Sipylus: veluti cum praescius imbris
Nube fugit visa, pendentiaque vndique rector
Carbasa deducit, ne qua leuis effluat aura.
Frena dabat: dantem non euitabile telum

222. *fuco.* Plerique *succo.* (223. plerique codd. *auro grauidas*, quod placuit Ciofano. Cod. Berol. *grauidis habenis.*) 226. *Quadrupedes* pro *quadrupedis* quatuor Mss. auctoritate nititur, vnde intexit Heins. 233. Multi Mss. *diducit*, quod et Glarean. suasit. 234. Sic locum (e correctione) constituit Heins. Ante eum, *Frena tamen dantem.* Et *tamen* multi Mss. tuentur. (Berol. et alii *Frena dabat tamen hunc.* quinque codd. *Frena tamen dantem hunc.*)

Pulsari dr. campus curru et vngula equorum. Aen. X, 216. Noster infra 487. Sed Schirach. profert *aquis* pro *equis*, et *pulsare* explicat, alluere. Tum verbis *vbi turba* viam regiam iuxta campum describi putat. At *aquis* nulla auctoritate se tuetur; neque de via, sed de ipso campo sermo est.

222. Conscendunt in equos vestibus purpureis tectos. Cf. VIII, 33. Seculo tamen heroico exercitationes non in equo, sed in curru instituebantur. *Fucus*, color, quam glossam adscriptam habet vnus liber Ms. *Moderari* dicimus et equum frenis, et ipsa frena. Burm. *Ismenos* a fluvio Boeotiae. *cursus quadrupedes* poëtica audacia, cursum equi, ipsum equum. *certum in orbem*, in palaestra equestri vsitatum. V. ad XII, 468. Virg. G. III, 191. *carpere gyrum.*

229 *defluunt* qui debilitati, animo delinquentes, aut morientes decidunt. *Defluere ab equis* etiam Liu. II, 20. Sic et *defluunt folia*, *capilli.*

231 *Sipylus* a monte Sipylo. *pendentia*, ex antennis suspensa. V. ad III, 663. *Sonitum* audiebat, quia Apollo cum clangore sagittarum in pharetra incedit. Il. α, 46. *Frena dabat* e vs. 231 temere repetitum. Forte praestat lect. vulg. *non euitabile*, ineuitabile, vt vs. 45 *non territa*,

Consequitur; summaque tremens ceruice sagitta
Haesit, et exstabat nudum de gutture ferrum.
Ille, vt erat pronus, per colla admissa iubasque
Voluitur, et calido tellurem sanguine foedat.
Phaedimus infelix. et auiti nominis heres
Tantalus, vt solito finem imposuere labori,
Transierant ad opus nitidae iuuenile palaestrae;
Et iam contulerant arcto luctantia nexu
Pectora pectoribus, cum tento concita cornu,
Sicut erant iuncti, traiecit vtrumque sagitta.
Ingemuere simul; simul incuruata dolore
Membra solo posuere; simul suprema iacentes
Lumina versarunt; animam simul exhalarunt.
Adspicit Alphenor, laniataque pectora plangens
Aduolat, vt gelidos complexibus adleuet artus;
Inque pio cadit officio; nam Delius illi
Intima fatifero rumpit praecordia ferro.
Quod simul eductum, pars est pulmonis in hamis
Eruta; cumque anima eruor est effusus in auras.
At non intonsum simplex Damasichthona vulnus

246. *iacentes.* Gebhard. coni. *gementes*, et sic vnus Moreti. (248. Cod. Leid. *tangens*, quod recte damnat Burm. Sec. ad Anth. Lat. T. II p. 169.) 252. *eductum.* Alii, *euulsum.*

interrita. (*exstabat ferrum.* v. Hom. Il. δ, 481.)

237 Olim legebatur *per crura admissa*, quod pessime interpretabantur, per crura equitis iuncta, aliquanto melius, per crura equi ad cursum incitati. Male tamen *crura* et *iubae* sic iungebantur. Bene igitur fecit Heins. quod e septem Mss. *colla* restituit. *Colla* autem *admissa* non videntur esse, in quibus frena laxata et remissa pendent, sed colla equi admissi, h. ad cursum incitati, quamquam tunc frena laxantur. Amorr. II, 16, 50. *per admissas iubas. pronus*, vt X, 652 de currente, *carcere pronus emicat. vt erat.* V. ad II, 272. *volui*, de eo, qui praeceps cadit. *per*, iuxta. *foedare* de sanguine fuso passim.

241 Finitis exercitationibus campestribus *iuuenes transibant ad palaestram;* apud Romanos natare etiam solebant per Tiberim. Horat. I od. 8, 8. Luctantes in palaestra oleo vngebantur, vt mollirentur artus, hinc *nitida* et Heroid. XIX, 11. *vncta palaestra.* De *nexu* luctantium v. ad IX, 52. — *suprema*, morientia.

248 *Alphenor.* Apollod. *Agenor. laniata plangens*, plangens sic, vt laniaret. V. ad I. 52 Frequenter *laniare* de στερνοτυπία s. planctu. Caedebant enim pectora et lacertos, vt liuerent, vs. 279.

254 *Intonsus*, quod Aen. IX,

Adficit: ictus erat, qua crus esse incipit, et qua
Mollia neruosus facit internodia poples;
Dumque manu tentat trahere exitiabile telum,
Altera per iugulum pennis tenus acta sagitta est.
Expulit hanc sanguis; seque eiaculatus in altum
Emicat, et longe terebrata prosilit aura.
Vltimus Ilioneus non profectura precando
Brachia sustulerat; Dîque o communiter omnes,
Dixerat, (ignarus non omnes esse rogandos,)
Parcite. Motus erat, cum iam reuocabile telum
Non fuit, Arcitenens: minimo tamen occidit ille
Vulnere, non alte percusso corde sagitta.
Fama mali, populique dolor, lacrimaeque suorum
Tam subitae matrem certam fecere ruinae,
Mirantem potuisse, irascentemque, quod ausi
Hoc essent Superi, quod tantum iuris haberent.
Nam pater Amphion, ferro per pectus adacto,
Finierat moriens pariter cum luce dolorem.
Heu quantum haec Niobe Niobe distabat ab illa,

256. *neruosus.* Plurimi scripti *nodosus.* 266. Oxon. *alta,* quod probatur Heins., dissentiente Burm. 272. Burm. coni. *patrium* pro *pariter.* (273. Bothius legere mauult: *Heu Niobe*

181 ornatius dr. *Ora puer prima signans intonsa iuuenta.* *Poples* recte vocatur *neruosus,* quia ibi plurimi nerui. vid. Burm. *internodia*, spatium inter nodos, qui crus et poplitem colligant.

260 Supra IV, 124 *sanguis* e vulnere emicans *ictibus aera rumpit*, sed h. l. *terebrat*, perforat, *auram.* Sed verba temere cumulasse videtur secundum Ouid. ingenium; sanguis *se eiaculatur*, *emicat*, *prosilit*, *terebrat auram.* Paullo post in *minimo vulnere* ludit Ouidius.

268 *Ruina*, strages tot filiorum egregie carorum. *Miratio* in summo dolore vix locum habebat. Verius vs. 280 s. eius affectus expressus. *Amphion* ap. Lucian. de Saltat. 41 prae dolore ad insaniam adigitur; inde forte ipse ferrum per pectus adegit; quamquam haec verba etiam ex Apollod. explicari possint, ἐτοξεύθη δὲ καὶ Ζῆθος καὶ Ἀμφίων. Auctore Hygin. f. 9. cum Apollinis templum expugnare vellet, interficitur eiusdem Dei telis. Secundum Timagoram caesus est a Spartis. *Dolorem* Lenzius intel. e vulnere conceptum. Malim, e iactura liberorum. Niobe dolet, sed Amphion finit dolorem. Sed ne morte quidem dolorem finire potuit. Apud inferos enim eius contumeliae, qua Niobe Latonam affecit, poenas pendere credebatur. Pausan. Boeot. pag. 721.

273 *Haec Niobe,* quasi alia esset. Aen. II, 274. *quantum mutatus ab illo Hectore.* Magnam

Quae modo Latoïs populum submouerat aris,
Et mediam tulerat gressus resupina per vrbem,
Inuidiosa suis; at nunc miseranda vel hosti,
Corporibus gelidis incumbit, et ordine nullo
Oscula dispensat natos suprema per omnes.
A quibus ad coelum liuentia brachia tendens,
Pascere, crudelis, nostro, Latona, dolore,
[Pascere, ait, satiaque meo tua pectora luctu,]
Corque ferum satia, dixit; per funera septem
Efferor; exsulta, victrixque inimica triumpha.
Cur autem victrix? miserae mihi plura supersunt,
Quam tibi felici: post tot quoque funera vinco.

quantum Niobe distabat ab illa, vt melior sit sonus. *haec* autem plurimi codd. omittunt.) 282. Hunc vs. tollendum censuit Heins. quem commenti sint, qui non intellexerint, quantum esset acuminis in illo, *Efferor;* aut, si quis malit, posse praecedentem deleri. Pro posteriore alii: *Dum pars nostra iacet, et dum per funera septem*, aut etiam vtrumque cum aliqua varietate exhibent. Capofer. *pectora* mutat in *lumina* et *dixit* in *vixi*. Pro *dolore* Burm. cum vno Leid. et Medic. mauult, *cruore*, quia sequitur *luctu*. (Pro altero *satia* multi codd. *satura*. vs. 281. autem defendit Schrader Emendatt. c. XI p. 207, et seq. vs. spurium habet. Nam vss. 277 et 78 melius conueniunt vs. 281, *Pascere*, quam seqq. *Corque ferum satia;* deinde vers. dimidius fluxit ex IX, 178; denique inficeta repetitio. *Dixit* peti potuit ex vs. 286, et *per funera septem efferor* e vs. 285. Ita Schraderus. Aliter statuit Bothius, qui, vtroque versu seruato, totum locum sic constituit: *Pascere! ait. — Satiaque meo tua p i g n o r a luctu, Corque ferum satia! dixit.* Dicta enim haec sunt per interualla; quare etiam bene repeti potuit *dixit* post *ait;* cuius rei exempla adfert Virg. Aen. III, 474 coll. 480. IV, 659, 660. Ouid. Met. VI, 385. 86. X, 412. XIV, 717 et 721. VIII, 231 — 33. *que* in *satiaque* est poëtae, non loquentis. *Satia* cum vi repetitum vt *pascere. pignora* autem correxit, vt sensus sit: satia et liberos tuos et temet ipsam. Niobe enim et matrem et liberos ab se offensos esse sentiebat. E.)

autem vim habet pristinae et praesentis fortunae comparatio. Pristinae repetendae immoratur. *Resupina.* V. ad vs. 169. *Inuidiosa*, cum in summa nostra felicitate etiam nostri dicere soleant, inuideo tibi hanc sortem. *Dispensantur*, quae per partes ac vices fiunt, non vno momento. Horat. I od. 36, 6. *diuidere oscula.*

281 Hoc certum est, non posse vtrumque vers. *Pascere, ait*, et *Corque* etc. genuinum esse. Heins. posteriorem vncis inclusit, ego priorem, quia ille acerbior, et quia *efferor* (sensu funebri) perspicuitatis causa verba *per funera septem* postulat. Caeterum *pasci* et *ferum* sic coniunxit etiam Claudian. 22, 14. vbi Dea Clementia docet, *vt poenis hominum vel sanguine pasci Turpe ferumque putes.*

Dixerat: insonuit contento neruus ab arcu;
Qui, praeter Nioben vnam, conterruit omnes.
Illa malo est audax. Stabant cum vestibus atris
Ante toros fratrum demisso crine sorores.
E quibus vna, trahens haerentia viscere tela,
Imposito fratri moribunda relanguit ore.
Altera, solari miseram conata parentem,
Conticuit subito, duplicataque vulnere coeco est;
[Oraque compressit, nisi postquam spiritus exit].
Haec frustra fugiens collabitur; illa sorori
Immoritur; latet haec; illam trepidare videres.
Sexque datis leto, diuersaque vulnera passis,
Vltima restabat, quam toto corpore mater,
Tota veste tegens, Vnam, minimamque relinque;
De multis minimam posco, clamauit, et vnam.
Dumque rogat, pro qua rogat, occidit. Orba resedit
Exanimes inter natos, natasque, virumque,

289. Hartungus malebat, *demesso.* 294. Recte h. vs. Heins. spurium iudicat, licet in omnibus Mss. legatur. (*non pressit* prim. Medic. secund. Vatic. Thuan. et quatuor alii. Ad hunc quoque versum defendendum pronus est Bothius. Abesse quidem eum malim; sed defendi potest, si legeris: *Oraque non pressit nisi* etc.; vt ex solita Ouidii luxuria, in hoc toto loco inprimis conspicua, additus sit. E.)

286 *Arcus*, nempe Dianae, a qua filias interfectas esse caeteri auctores tradunt, atque Noster ipse vs. 215 sqq. haud obscure indicat. Perierunt autem illae, etiam Homero auctore, in regia. Nomina earum Ouidius reticet. Portas Thebarum ab iis esse appellatas, narrat Hygin. *Atrae vestes* in luctu mulierum priscarum. V. Winkelm. Animadu. ad Hist. Art. p. 77. Eo et *demissus crinis* pertinet.

293 *duplicari*, vt graec. *πτύσσεσθαι*, pro incuruari. vid. Burm. ad h. l. et Heyn. ad Virg. Aen. XI, 645; qui obseruat, esse Homeric. *ἰδνοῦσθαι.* Valer. Max. V, 1. *duplicatum frigore corpus.* Aen. XII, 926 Turnus cadit *duplicato poplite.* Vid. et Gronou. Obs. IV p. 747.

298 Ex Argiuorum traditione duae seruatae erant, Meliboea, postea Chloris dicta, et Amycla, haeque templum Latonae exstruxerant. Pausan. Corinth. p. 160; qui addit, se Homerum sequi, qui nullam superfuisse memoret. Hygin. fab. 10 tradit, vnam Chlorin, nuptam Neleo, superstitem fuisse; eademque Chloris occurrit Homer. Od. λ, 280. Apollod. auctor est, etiam vnum filium seruatum, Amphiona. Sic fere et Elidenses. Pausan. V p. 417.

Diriguitque malis. Nullos mouet aura capillos.
In vultu color est sine sanguine; lumina moestis
Stant immota genis; nihil est in imagine viui.
Ipsa quoque interius cum duro lingua palato
Congelat, et venae desistunt posse moueri;
Nec flecti ceruix, nec brachia reddere gestus,
Nec pes ire potest; intra quoque viscera saxum est.
Flet tamen, et validi circumdata turbine venti
In patriam rapta est; vbi fixa cacumine montis
Liquitur, et lacrimas etiamnum marmora manant.

Agrestes Lyciae.

Tum vero tanti manifestam numinis iram
Femina, virque timent: cultuque impensius omnes

312. Vulgo, *lacrymis.* 313. *tanti* pro *cuncti* ex vno Leideusi dedit Burm. quia sequitur *omnes.* 314. Neap. et Medic. tertius, *propensius.*

303 *Diriguit,* naturam saxeam accepit, vt V, 186. Sed idem et de iis ponitur, quos summus dolor aut metus inuadit. VII, 115. Eoque sensu ab initio dicta videtur Niobe diriguisse. V. ad 146. Secundum Nostrum Thebis mutata et vento in Sipylum translata est; quod mireris. Apud alios auctores, relictis Thebis, ad patrem redit, et in ipso Sipylo, cum ipsa hoc a Ioue petiisset, fit lapidea. Secundum Hom. diriguit etiam populus.

311 *montis*, Sipyli. Ibi perpetuo flere credebatur. *Manare* passim cum casu quarto. vid. Heins. (Sic in graecis *ῥέειν* active dicitur. Similiter *rorare*, *effluere*, *fluere*, *erumpere* et alia verba, quae motus cuiusdam notionem habent, cum accusatiuo iunguntur, quamquam proprie sint verba neutra. v. quos larga manu citat Burm. Sec. ad Anth. Lat. T. I p. 10 et 173. Adde eundem ad Propert. I, 3, 7. p. 32 et ad Anth. Lat. T. II p. 696. Heyn. ad Tibul. IV, 1, 86. aliosque. E.) Expressit Nostrum Senec. Agam. 371. *Stat nunc Sipyli vertice summo Flebile saxum, Et adhuc lacrymas marmora fundunt antiqua novas.* Cf. et Propert. II, 16, 7. (ibiq. Burm. Secund.) Fontem fabulae ostendit Pausan. Attic. p. 49. vbi narrat, se, vt Nioben spectaret, adscendisse in Sipylum montem, ibique vidisse rupem praecipitem, quae procul stanti imaginem mulieris moestae et lacrymantis exhibebat. Similiter Quint. Smyrn. I, 292 sqq. Apollod. et Hygin. Idem confirmauit Chandler in Itiner. Cf. et Sophocl. Antig. 835.

FAB. III, 313 — 381. Agrestes Lyciae Latonam errantem aquis prohibentes mutantur in ranas. Lyciacam hanc fab. Menecrates Xanthius in Lyciacis narrauerat. Inde eam hausit Nicander, et ex eo Antonin. Lib. cap. 35. qui vero in nonnullis dissentit. Cf. et Probus ad Virg. G. I, 378. et Seru. ad eund. loc. qui, forte memoria lapsus, tradit, Ouidium de Cerere Proserpinam quaerente hanc fabulam retulisse. Forte ara Latonae in stagno quodam ranis abundante hunc mythum peperit.

Manifestam, factis declaratam.

Magna gemelliparae venerantur numina Diuae.
Vtque fit, a facto propriore priora renarrant.
E quibus vnus ait: Lyciae quoque fertilis agris
Haud impune Deam veteres spreuere coloni.
Res obscura quidem est ignobilitate virorum;
Mira tamen. Vidi praesens stagnumque locumque
Prodigio notum; nam me iam grandior aeuo,
Impatiensque viae genitor deducere lectos
Iusserat inde boues, gentisque illius eunti
Ipse ducem dederat; cum quo dum pascua lustro,
Ecce lacus medio sacrorum nigra fauilla
Ara vetus stabat, tremulis circumdata cannis.
Restitit, et pauido, Faueas mihi, murmure dixit
Dux meus; et simili, Faueas, ego murmure dixi.
Naïadum, Faunine foret tamen ara rogabam,
Indigenaene Dei; cum talia reddidit hospes:

316. *renarrant.* Burm. e tertio Gronon. et Barb. probat *retractant*, quod non modo sermonibus, sed et animo repetere significet. 321. Heins. maluit *aeui.* (325. *lacu medio*, Berol. et Heidelb., quod praeplacet Bothio.) 330. *reddidit* pro vulg. *retulit* habent Bernegg. prim. Basil. et sex alii.

gemellipara, quae gemellos vno partu edidit, aptum Latonae epithet., quod etiam Fast. V, 542, sed vix apud alium auctorem occurrit.

316 A facto recentiore sumunt occasionem repetendi alia, eaque antiquiora. De v. *renarrare* alibi dictum. (V, 635.) Id tueor et nunc, quia de sermonibus tantum agitur. Quoniam autem res omnis in Graecia geritur, vt e vs. 401 sqq. apparet, ille *vnus* fuit haud dubie ex Lydiis iis, qui Nioben in Graeciam comitati erant. Bene autem, vel varietatis caussa, narrantem aliquem inducit, qui peregrinans in ipsa Lycia fab. cognouerat, factique monumentum ipse viderat. Etiam e Phrygia commode nos deducit in Lyciam.

320 *Vidi praesens.* Cf. VIII, 622. Saepe Noster *locum* coniungit cum voc. rei, quae est in loco, vt docet Burm. Non igitur erat, cur Heins. hic haereret, quamquam nonnulli Mss. *lacumque* praeferunt. *Impatiens viae*, qui molestias longinqui itineris ferre non potest. Glareanus eum lanium fuisse putat. Immo olim magna pars diuitiarum in armentis cernebatur.

326 *Tremulae*, quas huc illucue agitant venti, vt II, 875. *tremulae vestes. Resistere*, consistere, subsistere. V. Schwarz. ad Plin. Pan. 10, 4. De *murmure* v. ad vs. 203. *pauido* conuenienter dictum religioni paganorum, qui *metu et pauore* Deos colebant. *Faueas* et *propitius sis* formulae sollemnes precationis.

330 *Indigena*, χθόνιος, homo eius terrae propter merita inter Deos relatus, Deusque terrae tu-

Non hac, o iuuenis, montanum numen in ara est.
Illa suam vocat hanc, cui quondam regia Iuno
Orbem interdixit; quam vix erratica Delos
Orantem accepit, tum cum leuis insula nabat.
Illic, incumbens cum Palladis arbore palmae,
Edidit inuita geminos Latona nouerca.
Hinc quoque Iunonem fugisse puerpera fertur,
Inque suo portasse sinu, duo numina, natos.
Iamque Chimaeriferae, cum Sol grauis vreret arua,
Finibus in Lyciae, longo Dea fessa labore
Sidereo siccata sitim collegit ab aestu;
Vberaque ebiberant auidi lactantia nati.
Forte lacum melioris aquae prospexit in imis

(338. Heins. cor. *Inque sinu portasse suos.* Cod. Heidelberg. *Inque sinu portare suos*, quod arridet Bothio.) 343. *melioris* pro *mediocris* recepit Heius., cum hanc suam coni. vno Strozzae Ms. confirmatam vidisset. (*mediocris* tamen cum codd. praeferendum esse videtur. *lacus mediocris aquae* est lacus non admodum magnus, nec profundus. cf. vs. 364 sq.)

telaris factus. Is *indigetari*, inuocari pro patriae salute, dicebatur. *reddidit*, respondit, vt supra. *Orbem* reuocaui auctoritate plurimorum Mss. et Schol. Ms. Senec. ad Agam. 371. namque *interdicere* et Accusatiuum adiunctum sibi habet. *Erratica Delos*, vid. ad vs. 191. cf. Callim. h. Del. 36 sqq. *orantem* potest explicari ex Homer. h. Apol. 51 sqq. Et videtur h. l. esse significantius. Schirach. tamen cum Pontano maluit *errantem* more Ouid. Etiam Lactant. in Argum. *errantem* memorat; et ab *erroribus* nota Latona. Cf. 190.

335 *Palmam* solam memorant Homer. h. Apol. 117. Callim. h. Del. 210. Sed Eurip. Hec. 458. oleam (*Palladis arborem*) et lauream addit. Cum Nostro consentit Schol. Hom. ad Il. *α*, 9. Plutarch. vero in Pelop. p. 286. tradit, duos fontes esse in Delo, quorum alterum Palmam, alterum Oleam dicant; inter hos, non inter arbores, peperisse Latonam.

339 *Sol grauis* de aestu. Lycia vr. *Chimaerifera*, quia ibi *Chimaera*, mons indesinenter ignem vomens. Plin. II, 106. Sed a poëtis describitur vt monstrum triforme, caput leonis, corpus caprae, caudam draconis habens, et ignem faucibus euomens. Lucret. V, 902. A *Chimaera* autem Lycia in primis olim memorabilis, vt e Geographis apparet. *Siccus*, *aridus* et αὐαλέος de sitiente. *Colligere sitim*, vt V, 446.

343 Apud Antonin. venit ad *Melitem* (Probus *Melam*) *fontem*, eiusque aqua vti vult ad abluendos infantes; sed prohibita a bubulcis, infantes portat ad Xanthum fluuium, et inde reuersa pastores lapide percussos mutat in ranas. Sed maiorem commiserationem Ouidii figmentum facit. *melioris* non male se habet. Cum enim lacus turbidam fere aquam habeant,

Vallibus: agrestes illic fruticosa legebant
Vimina cum iuncis, gratamque paludibus vluam.
Accessit, positoque genu Titania terram
Pressit, vt hauriret gelidos potura liquores.
Rustica turba vetant. Dea sic adfata vetantes:
Quid prohibetis aquis? vsus communis aquarum.
Nec Solem proprium Natura, nec aëra fecit,
Nec tenues vndas: ad publica munera veni.
Quae tamen, vt detis, supplex peto. Non ego nostros
Abluere hic artus, lassataque membra parabam;
Sed releuare sitim. Caret os humore loquentis,
Et fauces arent, vixque est via vocis in illis.
Haustus aquae mihi nectar erit. vitamque fatebor
Accepisse simul; vitam dederitis in vnda.
Hi quoque vos moueant, qui nostro brachia tendunt
Parua sinu. Et casu tendebant brachia nati.
Quem non blanda Deae potuissent verba mouere?
Hi tamen orantem perstant prohibere, minasque,
Ni procul abscedat, conuiciaque insuper addunt.
Nec satis hoc; ipsos etiam pedibusque manuque
Turbauere lacus, imoque e gurgite mollem
Huc illuc limum saltu mouere maligno.
Distulit ira sitim. Neque enim iam filia Coei
Supplicat indignis, nec dicere sustinet vltra
Verba minora Dea; tollensque ad sidera palmas,

(348. *vetat* omnes codd., quod praefert H. Voss. *vetant* cor. Heins. ob sequens *vetantes.*) 349. Vulgo, *aquas.* Vid. Burm. non temere monetur, Latonam a *meliore* aqua inuitatam esse ad bibendum. Et *melior* certo respectu legitur etiam I, 79. Burm. putat, adsentiente Verheyk ad Anton. in *melioris* latere nomen *Meliten.* E *turba vetante* a Probo commemoratur Neocles pastor.

349 Oratio fortis ad persuadendum et mouendum. *communis.* I, 135. Paullo post pro *artus* Vir doct. in Ephem. lit. Norimb. coni. *natos*, quia seq. *lassata membra.* Ita respexisset poëta auctores illos fab., quos deseruit.

355 Vix prae siccitate vox permeare potest. — In *dederitis* Noster saepius penultimam producit. (vid. Heins. ad Epist. VII, 53.) *in vnda*, per vndam.

366 *sitim*, sedationem sitis. Sic *differre iram.* *Verba minora*, vt vs. 151.

Aeternum stagno, dixit, viuatis in isto.
Eueniunt optata Deae: iuuat isse sub vndas;
Et modo tota caua submergere membra palude;
Nunc proferre caput; summo modo gurgite nare;
Saepe super ripam stagni considere; saepe
In gelidos resilire lacus. Sed nunc quoque turpes
Litibus exercent linguas, pulsoque pudore,
Quamuis sint sub aqua, sub aqua maledicere tentant.
Vox quoque iam rauca est, inflataque colla tumescunt;
Ipsaque dilatant patulos conuicia rictus.
Terga caput tangunt; colla intercepta videntur;
Spina viret; venter, pars maxima corporis, albet;
Limosoque nouae saliunt in gurgite ranae.

Sic vbi nescio quis Lycia de gente virorum — *Marsyas.*
Retulit exitium; Satyri reminiscitur alter,

370. *isse* pro *esse* dedit Heins. assentiente Burm. Certe in vno Medic. et primo Moreti, *ire*. (374. *et nunc* ex priore Hamburg., qui id pro diuersa lectione habebat, recepit Heins. Codd. omnes *sed nunc*, quod recte defendit Bothius, et quod reposui. Est enim horum verborum et antecendentium oppositio quaedam. E.) 376. *sint*. Heins. putat, *nent*. (*sunt* e secund. Moret. probat H. Voss. coll. II, 568.)

370 Secundum Lactant. in Arg. Iupiter eos transformat. *Iuuat*, quia iam induunt naturam ranarum, quibus volupe est sub aquas ire. Praeclare lusus ranarum et coaxationes describuntur. *proferre caput*, vt Phaedr. I. fab. 2, 17. suauissime: *Forte vna tacite profert e stagno caput*, vbi singula verba delecta sunt, et vim habent. *Exercent linguas litibus*, adhibent ling. ad *lites*, iurgium, cui coaxatio similis, quae etiam a Phaedr. I, 6, 5. *conuicium* vr. Seru. d. l. de his rusticis, *cum contra eam emitterent turpem naribus sonum, illa irata eos conuertit in ranas: quae nunc quoque ad illius soni imitationem coaxant*. *Intercepta*, quasi absorpta et e media sublata. Elegans est hic h. v. vsus. Schwarz. ad Plin. pan. 16.

FAB. IV, 382 — 400 *Marsyas in flumen*. Tres musicos celebres habuit Phrygia, Hyagnidem, Marsyam eius filium (male enim eum Hygin. Oeagri, Apollod. autem et Palaeph. Olympi filium faciunt) et Olympum, Marsyae et discipulum et amasium, de quibus eorumque inuentis Plutarch. de Musica et Casaub. ad Athen. XIV, 2. adeundi. Ac Hyagnis quidem in Marm. Arund. Ep. 10. tempore Erechthonii Celaenis, vrbe Phrygiae, tibias, modosque Phrygios primus reperisse traditur. Marsyas non modo alios modos inuenit, Pausan. Phoc. p. 873. sed auctor etiam fistulae, quae cera adglutinatur, ex-

Quem Tritoniaca Latoüs arundine victum
Adfecit poena. Quid me mihi detrahit? inquit;
Ah piget; ah non est, clamabat, tibia tanti!
Clamanti cutis est summos derepta per artus;

(387. Plurimi codd. *direpta*. De discrimine verborum *diripere* et *deripere* Hand. ad Gronou. Diatr. Stat. p. 558. haec monet: „Praeter loca, in quibus aut discindendi aut lacerandi, aut auferendi significatio reperitur, proprie res dicuntur *diripi*, quae dilecta ab omnibus vel pluribus quaeruntur. In dignoscendis verbis *deripere* et *diripere* primum obseruari debet constructionis ratio. Illud enim, in quo semper notio trahendi apparet, coniungitur cum datiuo et ablatiuo, poëtarum ex more, vel cum praepositione *de*. Ea autem loca, quae hac lege non alligantur, ita sunt digerenda, vt res dicantur *diripi*, quae iuncta sunt, vel modo discussae possunt detrahi.“ E.)

hibetur apud Athen. IV, p. 174. Neque dubium est, tibiam esse Phrygium inuentum, certe e Phrygia in Graeciam allatam; passim enim apud Graec. et Lat. auctores *barbara* aut *Phrygia tibia*, item *Phrygii modi* etc. occurrunt. vid. Spanhem. ad Callim. h. Dian. 245. Marsyae autem fabula, quam Noster breuius iusto narrat, legitur etiam apud Herodot. VII, 26. Apollod. I, 4, 2. Diod. Sic. III. p. 192. Hygin. fab. 165. Palaeph. cap. 48. Fulgent. III, 9. qui mystice fabulam interpretatur. Gloss. Ms. in Fulgent. Cf. Noster Fast. VI, 696. sqq. Ibid. 551. Iniuste eum damnatum dicit Lucian. Dial. Iunon. et Latonae.

Lycia — virorum referendum ad *exitium*. *Satyrus* est ipse Marsyas. Hygin. *Marsyas pastor, unus ex Satyris*. Vnde eum pictum cum cauda porcina auctor est Fulgent. *Silenum* eum vocat Herodot. d. l. *Arundo*, tibia, quae cum ex aliis rebus, loto, buxo etc. tum ex arundinis genere, inde dicto αὐλητικῷ, (Theophrast. Hist. Plant. IV, 12.) fieri solebat. Eam inter Graecos *Tritonia* a. Minerua reperisse credebatur, et quidem ex hinnulorum ossibus. Bion Id. III, 7. Callimach. h. Dian. 244. Schol. Pind. ad Pyth. od. XII. quam ob deformitatem vultus ex flatu intumescentis a Dea abiectam excepit Marsyas. Is cum eam inflare didicisset, (Noster Fast. VI, 703 sqq.) primum certauit cum Musis, mox cum ipso Apolline coram Musis iudicibus. Ab initio vicit Marsyas, sed cum Apollo citharam versarat, h. e. interprete Salmas. ad Solin. p. 119. ad aliud modulationis genus citharam accommodaret, Marsyam ars sua destituit.

385 *Quid me mihi detr.* quid cutem meam mihi detrahis? Sic irruit in mediam rem; sed lusum adhibet intolerabilem. Similiter V, 546. *sibi ablatus*. *non est tibia tanti*, non erat, cur tibia canere discerem, cum mihi caussa exitii sit. Vid. Valken. ad Eurip. Hipp. 441.

387 *Cutem* ei detraxit vel ad pinum, vel ad platanum (quae Plinii adhuc aetate ostendebatur. Plin. XVI, 44.) ligato. Ea cutis suspensa est ab Apolline Celaenis. Herodot. d. l. Lucan. Phars. III, 206. Aelian. XIII, 21. Apud Hygin. membratim discerpitur. Sequitur descriptio foedae istius operationis, quae Romanis fortasse placuit, quorum oculi sanguini adsueti erant, sed Nostris vix probabitur.

Nec quidquam nisi vulnus erat: cruor vndique manat;
Detectique patent nerui, trepidaeque sine vlla
Pelle micant venae; salientia viscera possis
Et perlucentes numerare in pectore fibras.
Illum ruricolae, siluarum numina, Fauni,
Et Satyri fratres, et tunc quoque clarus Olympus,
Et Nymphae flerunt; et quisquis montibus illis
Lanigerosque greges, armentaque bucera pauit.
Fertilis immaduit, madefactaque terra caducas
Concepit lacrimas, ac venis perbibit imis.
Quas vbi fecit aquam, vacuas emisit in auras.
Inde petens rapidum ripis decliuibus aequor,
Marsya nomen habet, Phrygiae liquidissimus amnis.

Talibus extemplo redit ad praesentia dictis *Pelops.*

390. Cantabr. *sidentia*, quod placet Heins. improbante Burm. 398. Burm. e Cantabr. et Basil. praefert, *vacuos — in agros*. G. — 401. *Extemplo* cod. Florent., et vnus Strozzae pro diuersa lectione, quod Heinsius et Burmann. receperunt. Reliqui codd. *exemplis*, quod Bothius defendit, explicans: *poenis grauissimis*. Certe

390 *Viscera*, cor. *salire* et *micare* et *trepidare* verba pr. de motu cordis et venarum, vid. Ciofan. et Burm.

393 De *Olympo*, discipulo Marsyae, vide, praeter superius laudatos, Eustath. ad Homer. Il. *α*, p. 21. Pausan. Phoc. p. 873 tabulam Polygnoti describit, in qua Marsyae assidebat Olympus, habitu adolescentis ita, vt tibiis discere videretur. Inuenit modos ad tibiam, qui commemorantur ab Eurip. Iph. Aul. 576. vbi vid. Barnes. Is *tunc quoque*, viuente adhuc magistro, *clarus* esse coepit. Apud Hygin. Marsyae corpus discerptum ei sepeliendum traditur. Et ipse in monumentis antiquis saepe occurrit. Heyne in Antiqu. Aufs. P. 2. p. 69. *Nymphae*. Apud Athen. XIV, 2. Nympha genitus fuisse narratur. *bucera armenta*, boues. *bucera*, cornuta, e graec. βοῦς et κέρας, voc. Lucretian. vbi *bucera secla* et *buceriae greges* occurrunt.

396 *Caducas*, decidentes, vt *folia caduca*. *Vacuas auras* non est mutandum. *Vacuum aëra* dixerunt Virg. G. III, 109. et Horat. I od. 3, 34. *Vacuus* ornat.

400 *Marsyas* fluuius haud procul a Celaenis, vbi habitauit Marsyas musicus, in Maeandrum influit. Liu. XXXVIII, 13. Curt. III, 1. Palaeph. d. l. Sed secundum alios non e lacrimis popularium, verum ex ipsius sanguine fluuius ille ortus est. Plutarch. de Fluminib. ex Alexand. Cornelio addit, et Satyros ortos ex eius sanguine.

FAB. V, 401 — 411 *Pelopis humerus eburneus*. Pelops Tantali filius, tempore Acrisii in

Vulgus, et exstinctum cum stirpe Amphiona lugent.
Mater in inuidia est: tamen hanc quoque dicitur vnus
Flesse Pelops, humeroque, suas ad pectora postquam
Deduxit vestes, ebur ostendisse sinistro.
Concolor hic humerus, nascendi tempore, dextro,
Corporeusque fuit. Manibus mox caesa paternis
Membra ferunt iunxisse Deos, aliisque repertis,
Qui locus est iuguli medius, summique lacerti,
Defuit. Impositum est non comparentis in vsum
Partis ebur; factoque Pelops fuit integer illo.

Procne et Philomela.

Finitimi proceres coëunt; vrbesque propinquae

versus rhythmicus, qui ex hac lectione *exemplis dictis* oritur, nihil valet ad eam reiiciendam. Eiusmodi enim versus haud pauci apud Ouidium deprehenduntur. vid. Met. II, 398, ibique Bothium, Heroidd. I, 6. 7. 15. VIII, 24. IX, 4, A. A. I, 238. 294. 295. 354. 663. 667. 683. Met. III, 200. Adde Burm. Sec. ad Lotich. p. 355 et 493 sq. et ad Propert. I, 8, 11. p. 85. E. 405. Palat. *sinistrum*, quod eleganter dictum videtur Dan. Heins.

Graeciam venit, ibique et magnitudine diuitiarum, quas secum aduexerat, et multitudine liberorum tantam consecutus est potentiam famamque, vt Peloponneso nomen daret. Thucyd. I, 9. Plutarch. Thes. p. 2. Sed hic de humero eius fabuloso agitur. Tantalus enim, cum Deos aliquando conuiuio excepisset, velletque eorum diuinitatem experiri, Pelopis filii membra cocta reliquisque cibis admixta iis apposuit. Quod foedum facinus cum animaduertissent Dii, membra rursus composuerunt praeter humerum, quem Ceres consumserat. Eburneus igitur ei humerus datus. Cf. Lycophron Cass. 159. Hygin. fab. 83. Seru. ad Virg. G. III, 7. Schol. Pind. ad Olymp. 1. Impiam et incredibilem eam fab. iudicant Pindar. d. l. et Eurip. Iph. Taur. 387 sqq. Forte poëta aliquis humerum eius *eburneum* vocauerat, vt pulchrum significaret.

403 *Mater*, Niobe, cuius frater *Pelops*. Is prae luctu vestem deducit, atque ita humerus eius apparet. Sic intruditur potius, quam intexitur fab. *ad pect. ded.* III, 480. *summa vestem deducere ab ora*, quod fiebat planctus caussa.

409 *Qui locus* etc. scapula. Lucian. ὠμοπλάτην habet. De syntaxi *iuguli medius et lacerti* vid. ad V, 644. *integer*, cui nullum membrum deest, ὁλόκληρος.

FAB. VI, 412—676. *Procne, Philomela et Tereus in aues.* *Pandion* II, Cecropis II. filius, pater Aegaei, qui regnauit a. 1333 ante aer. Chr. filias habuit *Procnen* et *Philomelam*, quarum priorem *Tereo* Thraci, vt opes suas stabiliret, in matrimonium dedit. Sic Pausan. Attic. p. 13. Verum Noster intellexit Pandionem I, Erichthonii filium, qui fuit a. 130 antiquior. Nam infra vs. 677 eius successorem facit Erechthea. Sic etiam Apollodor.

Orauere suos ire ad solatia reges,
Argosque, et Sparte, Pelopeïadesque Mycenae,
Et nondum toruae Calydon inuisa Dianae,
Orchomenosque ferax, et nobilis aere Corinthos,
Messeneque ferox, Patraeque, humilesque Cleonae,

Et hanc Ouidian. rationem probat Meursius Regn. Attic. lib. 2, cap. 4, 5. Tereus autem est exemplum hominis immanissimi, et quae hic traditur, fabula, non sine horrore animi perlegi potest. Nam cum Philomelam in regnum suum ad sororem aduexisset, primum eam vitiat, mox, ne turpe flagitium eloqui posset, linguam ei exsecat. Procne, re cognita, addit sceleri scelus; Ityn enim filium interfectum apponit Tereo. Is cum coniugem et sororem persequeretur, illa mutatur in hirundinem, haec in lusciniam, ipse in vpupam. Fab. tractauerant Aeschyl. et Sophocles. Respicit eam etiam Hesiod. Ἔργ. 568. Cf. Pausan. Attic. p. 15. 100. Phoc. p. 807. Apollod. III, 14, 8. Eustath. ad Od. p. 710. Tzetz. Chil. VII, 142. Hygin. fab. 45. Diuersum mythum in suaui similitudine memorat Homer. Od. τ, 518. vbi Pandarei filia in lusciniam mutata luget Itylum filium, quem imprudens aere interfecit. (vide ibid. Schol.) In alia discessit etiam Boeus ap. Anton. Lib. cap. 11. Ex mente Pausan. Tereus ipse mortem sibi consciuit, et in tumulo eius prima vpupa visa est. Mulieres autem, quae Athenas fugerunt, ibique prae dolore contabuerunt, in hirundinem et lusciniam mutatae creduntur, quod hae aues cantus miserabiles et luctuosos edunt.

413 *ad solatia*, scil. danda, irent consolatum. Simili transitu iam vsus est I, 577. Tales autem vrbium catalogi passim inseruntur.

414 *Mycenas* tenuerunt *Pelopis* posteri, Eurystheus, Atreus, Thyestes, Agamemnon. *Argos*, *Sparte* et *Mycenae* etiam ab Homer. et ab aliis sic vno versu comprehenduntur; quoniam hae tres vrbes Iunoni in primis carae. *Calydon*, Aetoliae oppidum, in quo *Diana* Laphria potissimum colebatur. Eius Deae signum memorabile Augustus sublatum Patrensibus donauit. Pausan. Messen. p. 357. Achaic. p. 569. Tum nondum *inuisa toruae*, iratae, *Dianae*. vid. ad VIII, 272 sqq. Similiter II, 219 *nondum Oeagrius*.

416 *Orchomenos*. Duae fuere in Graecia huius nominis vrbes, altera in Arcadia, altera in Boeotia, Orchomenos Minyeia dicta. Equidem cum Micyllo et Burm. puto, Ouid. Arcadicam in mente habuisse, cuius situs et memorabilia a Pausan. Arcad. p. 626. describuntur. Ab Homer. Il. β, 605. vocatur πολύμηλος, a Pindar. Olymp. Od. XIV, 4. λιπαρά, ab Apollon. Rh. III, ἀφνειός, et hinc a Nostro *ferax*. — *Nobilis aere*. Si *aes Corinth.* casu ortum est, cum vrbs a Mummio cremaretur, (Flor. II, 16.) quomodo iam tum *nobilis aere* esse potuit? Neque e veriore ratione eorum, qui diu ante Corinthi excidium arte repertum illud aes censebant, (Plin. XXXIV, 2.) illo tempore sic dici poterat; sed Noster suo more eam designauit a re, qua postea demum inclaruit.

417 *ferox* ob suscepta toties pro libertate bella; et ne victi quidem Messenii aliquoties domari potuerunt. *Cleonae* sitae inter Corinthum et Argos *humi-*

Et Nelea Pylos, neque adhuc Pittheïa Troezen,
Quaeque vrbes aliae bimari clauduntur ab Isthmo,
Exteriusque sitae bimari spectantur ab Isthmo.
Credere quis possit? solae cessastis Athenae.
Obstitit officio bellum, subuectaque ponto
Barbara Mopsopios terrebant agmina muros.
Threïcius Tereus haec auxiliaribus armis
Fuderat; et clarum vincendo nomen habebat.

420. Hic vs. aberat a duobus Mss, Ciofan. Iunian. et vno Gronou. (Bothius mauult *Exteriusue.*) 422. Plurimi *subiectaque.* 423. *Mops.* Alii *Cecropios.* Pro *muros* in altero Regio a manu prima *mandros.*

les, paruae! Pausan. Corinth. p. 142. πόλις οὐ μεγάλη, sed ea bene munita. *Nelea Pylos.* vid. ad II, 689. *Troezen*, cuius rex tum nondum erat *Pittheus*, Pelopis filius.

419 Exornauit illud: vrbes ab vtraque Isthmi parte, vrbes Peloponnesi et Graeciae proprie sic dictae. Accommodate isthmi et peninsulae naturae *claudi.* Etiam a Cic. Bul. 1 et Vellei. I, 3, 3 isthmus et Corinthus ibi sita *claustra Peloponnesi* vrr. Et *spectantur sitae*, exquisitius, quam, sitae sunt. *bimari.* V. ad V, 407. Etiam talibus repetitionibus, qualis est in *bimari ab Isthmo*, delectatur Ouid.

423 Quaeritur, quis Pandioni bellum intulerit? Meursius Regn. Att. lib. 1. cap. 4. Labdacum fuisse docet, et sic Apollod. diserte tradit. Sed recte Burm. monet, huius agmina nec *barbara*, nec *subuecta*, aut, si cum aliis Mss. malis, *subiecta ponto* dici potuisse. Micyllus contendit, Amazonas intelligendas, quae in campis Themiscyniis (Iustin. II, 4) non procul a *Ponto Euxino* habitauerint. At quis de hac Amazonum expeditione in Pandionis terram vnquam audiuit? Fortasse res expediri nequit; dicam tamen, quid repererim. Pausan. p. 100. tradit, eius Graeciae, quae postea Hellas dicta, magnam partem olim tenuisse *Barbaros*, quos Tereus subigere non potuerit. Hi si ad sinum Saronicum aut Corinthiacum habitarunt, *ponto subiecti* dici potuerunt. Consentit Lactant. Argum. *Cum a proximis*, inquit, *ciuitatibus oppugnaretur* Pandion. *Mopsopios*, Athenienses, vt V, 661. Verum ante Theseum Athenae *muros* non habuerunt. Praefert ergo Burm. ex vno *mandras*, i. vel stabula, vel antra, specus; priscos enim Athenienses habitasse in specubus, vt docuerit Meursius Fort. Att. cap. 3. Verum mihi parum credibile videtur, Ouid. tam contemtim de Athenis locutum esse. Neglexit potius poëta, quod centies fecit, temporis rationem.

424 *Thraces* tum eam partem tenebant, quae Daulis in Phocide dicebatur. Thucyd. II, 29. Pausan. p. 100. Thracum Deus erat *Gradiuus*, i. Mars, cuius filius Tereus. Huius auxilium implorauerat Pandion, quem vna victoria, auctore Apollod. impulit, vt Terea sibi generum adsumeret. Noster triplicem caussam adfert. *Fuderat.* Plusquamperf. sic et alibi, vt IX, 102. *opes*, diuitiae et amplitudo regni. *viri*, milites, vt in formula *arma virosque.*

Quem sibi Pandion opibusque virisque potentem,
Et genus a magno ducentem forte Gradiuo,
Connubio Procnes iunxit. Non pronuba Iuno,
Non Hymenaeus adest, illi non Gratia lecto.
Eumenides tenuere faces de funere raptas;
Eumenides strauere torum; tectoque profanus
Incubuit bubo, thalamique in culmine sedit.
Hac aue sunt iuncti Procne Tereusque; parentes
Hac aue sunt facti: gratata est scilicet illis
Thracia; Dîsque ipsi grates egere; diemque,
Quaque data est claro Pandione nata tyranno,
Quaque erat ortus Itys, festam iussere vocari.
Vsque adeo latet vtilitas. Iam tempora Titan
Quinque per autumnos repetiti duxerat anni;

428. Vetustiores recte *Procne*, non *Progne;* est enim Graec. Πρόκνη. 430. *tenuere.* Gebhard. legit, *tetulere.* 432. Burm. *incubuit* suspectum videtur, nec satis conueniens τῷ *sedit*, cum grauius sit *incubare*, quam *in culmine sedere.* Maluit *insonuit*, vel *ingemuit.*

428 Formulis sollemnibus, quae plures hic cumulatae, praemonetur lector, quam infaustum matrimonium illud fuerit. Cf. X init. Heroid. II, 117 sqq. VI, 45. Musaeus 274 sqq. Alia mala nuptiarum omina habet Virg. Aen. IV, 166. *Iunoni* praecipue curae coniugia; inde τελεία et *pronuba* dicta. *Hymenaeum*, vt *adesset*, sic fere inuocabant: *Io Hymen, Hymenaee Hymen ades, o Hymenaee.* Catul. 63. Etiam *Gratiis* partes quaedam datae erant in nuptiis. Pollux III, 3. Etym. M. in γαμηλία. *Faces de funere raptae* res dirissima olim habita. Valer. Max. IX, 1. de Catilina, *filium suum veneno sustulit, protinusque ex rogo eius maritalem facem accendit.* Tales igitur faces et Furiis tribuebantur. (Heroidd. XI, 103.) *Aues* consulere in nuptiis celebrandis iubet Hesiod. Ἐργ. 36. De *bubone profano* vid. ad V, 543. Cf. VII, 269. X, 453. Claud. 20, 407. *Hac aue*, hoc augurio. Horat. I Od. 15, 5. *Mala ducis aui domum Helenam.* Tibul. II, 2, 21. *Hac venias, aui;* vbi vid. Heyn.

438 *tempora anni*, annus, isque *repetitus*, quoniam semper redit. *Titan* pr. ducit solem, poët. etiam *annum*, qui efficitur decursu solis. *Per autumnum* ad finem vergit annus. Ceterum epiphonema illud: *Vsque adeo latet vtilitas*, Burm. ad sequentia refert, ad aduentum sororis. Potest etiam ad antecedentia referri, quod festos iusserant esse illos dies. (Necessario haec ad antecedentia referenda esse, multis contendit Bothius. Solet autem Noster eiusmodi sententias ad ea, quae antea dixit, referre. v. IV, 428. 115. Interdum tamen etiam ad sequentia pertinent, quod Bothius negat. v. III, 135. II, 846 et 447. IV, 68 etc.)

Cum blandita viro Procne, Si gratia, dixit,
Vlla mea est, vel me visendae mitte sorori;
Vel soror huc veniat. Rediturам tempore paruo
Promittes socero; magni mihi numinis instar
Germanam vidisse dabis. Iubet ille carinas
In freta deduci; veloque, et remige portus
Cecropios intrat, Piraeaque litora tangit.
Vt primum soceri data copia, dextera dextrae
Iungitur, et fausto committitur omine sermo.
Coeperat, aduentus caussam, mandata referre
Coniugis, et celeres missae spondere recursus:

448. *et fausto* Burm. e Mss. dedit. Olim ed. *infausto.*

440 In seqq. mores egregie notati sunt, coniux sororem visere cupiens, soror blande patrem rogans, vt proficisci liceat, amor effrenus Terei, cura parentis de salute et reditu filiae. Quae quo diligentius expressa sunt, eo magis commouetur animus lectoris calamitate, qua mox afficietur Philomela.

443 *Magni mihi numinis instar.* Illustratur haec locutio locis ab Heins. allatis. XIV, 124. *Numinis instar eris semper mihi.* ib. 843. *quae si modo posse videre Fata semel dederint: coelum accepisse fatebor.* Drakenb. ad Sil. VIII, 233 legendum putat, *muneris instar,* quod multo languidius. Rem autem aliter narrat Hygin. *Tereus ad Pandionem socerum venit rogatum, vt Philomelam alteram filiam sibi in coniugium daret; Procnen suum diem obisse dicit.* Sic et Apollod.

445 *Deduci* pr. drr. naues, cum machinis suppositis in mare retrahuntur. Contrarium est *subduci.* *Velo* et *remige,* celerrimo cursu. *Portum* intraturi solebant quidem *vela* substringere, malum adeo deponere (Drakenb. ad Sil. II, 11.), sed poëta hoc vult: velo et remige festinauit, vt breui perueniret ad portus illos. — Debebat dicere *Piraeea,* sed dissimulauit syllabam, v. Gronou. Obs. 1, 3. et Interpp. ad h. l. v. ad VIII, 288.

448 *fausto omine.* „Quale id omen fuerit, aut vnde captum, non addit Noster. Sed credibile est, Terea blandissima verba protulisse: quod et dextrarum coniunctio, quae optimi ominis erat, indicat. Nondum enim aliquid sceleris Tereus meditabatur, postea demum, visa Philomela, in eius amorem incensus est.“ Sic Burm. Forte *omen* hic pro precibus. Liu. praef. *Cum bonis ominibus votisque incipere.* G. — Equidem praeferrem vulgatam lectionem *infausto,* et totum locum sic constituerem: *Vt primum s. d. copia, dextera* (vel cum multis codd. *dextraque*) *dextrae Iungitur; infausto* etc. vt sensus esset: Statim vt primum cum socero conuenit, infausto omine sermonem exorsus est, infaustum omen loquenti accidit. Illud *infaustum omen* enim erat aduentus Philomelae, quam, simul ac conspexit, perdite amare coepit. Male vero pro *omine* cod. Berol. aliique exhibent *ordine.* E.

Ecce venit magno diues Philomela paratu;
Diuitior forma; quales audire solemus
Naïdas et Dryadas mediis incedere siluis,
Si modo des illis cultus, similesque paratus.
Non secus exarsit conspecta virgine Tereus;
Quam si quis canis ignem supponat aristis;
Aut frondem, positasque cremet foenilibus herbas.
Digna quidem facies. Sed et hunc innata libido
Exstimulat; pronumque genus regionibus illis
In Venerem est: flagrat vitio gentisque suoque.
Impetus est illi, comitum corrumpere curam,
Nutricisque fidem; nec non ingentibus ipsam
Sollicitare datis, totumque impendere regnum;
Aut rapere, et saeuo raptam defendere bello.
Et nihil est, quod non effreno captus amore
Ausit; nec capiunt inclusas pectora flammas.

(454. Cod. Berol. *illi similes cultusque paratus.* Heins. cor. *Si modo des cultus similes, similesque paratus;* quod probare videtur H. Vossius.) 458. Burm. maluit, *sed ad hoc*, i. praeterea, et post *Venerem* delet, *est*. G. — Bothius pro *hunc* cor. *hanc*, vt referatur ad *Digna quidem facies*, quae verba de Tereo dicta accipit. Sed vera lectio est *hunc*, et verba *digna quidem facies* de Philomela intelligenda sunt. Describit poëta causas huius repentini amoris, dicens, non modo Philomelae dignam fuisse faciem, quae ad amorem incitaret, sed etiam *hunc*, Tereum, multo magis exstimulatum esse ab innata libidine etc. 465. Pro *effreno* Priscian IX, c. 9. §. 47. p. 868; Schol. Ms. ad Iuuenal. Sat. III, 118; Schol. Ms. ad Pers. Prolog.; vetus Glossar. ap. Barth. Aduers. XXXVII, 5, et cod. Vrbin. exhibent *inopino*. E.

451 *paratu*, ornatu, vt IV, 763. noue dictum. *Diuitior*, excellentior. *Incedere* de iis, qui cum dignitate quadam aut maiestate eunt atque oculos hominum in se conuertunt. V. Schwarz. ad Plin. pan. 46. Mox Burm. ex Cod. Leid. *illi*. Ad Dryades non paratu memorabiles sunt. Reuocaui ergo *illis*. Cf. I, 695. s. Vehementiam amoris duplici similitudine illustrare voluit, sed neutra placet, quia ignes illi et amor sunt res diuersissimae. Cum priore cf. I, 492. *canis* vt I, 110. *herbae positae foenilibus* mera periphrasis foenilis.

458 *Digna* scil. tali tantoque amore. *genus* scil. hominum, populus. Thraces autem et vinolenti et procliues in Venerem. Immoratur caussis illius furoris, quia inde atrocissimum facinus. Mox vim furoris sedulo notat, tam internam, quam se exserentis Athenis et in itinere.

461 *comitum curam nutricisque fidem* elegantius, quam comites, nutricemque. *Nutrices* ap. Veteres vbique alumnas suas comitabantur, et magna ab iis pietate colebantur. *sollicitare*, pudicitiam eius tentare.

Iamque moras male fert, cupidoque reuertitur ore
Ad mandata Procnes, et agit sua vota sub illis.
Facundum faciebat amor: quotiesque rogabat
Vlterius iusto, Procnen ita velle ferebat.
Addidit et lacrimas, tamquam mandasset et illas.
Prô Superi, quantum mortalia pectora caecae
Noctis habent! ipso sceleris molimine Tereus
Creditur esse pius; laudemque a crimine sumit.
Quid, quod idem Philomela cupit? patriosque lacertis
Blanda tenens humeros, vt eat visura sororem,
Perque suam, contraque suam, petit vsque salutem.
Spectat eam Tereus, praecontrectatque videndo;
Osculaque, et collo circumdata brachia cernens,
Omnia pro stimulis, facibusque, ciboque furoris
Accipit; et quoties amplectitur illa parentem,
Esse parens vellet; neque enim minus impius esset.
Vincitur ambarum genitor prece; gaudet, agitque
Illa patri grates, et successisse duabus

467 *Cupido*, quod cupide profert verba. Rode: mit gluehendem Angesicht. *agit*, proponit et consequi cupit.

472 Sententia grauis et vera. *caeca*, obscura, *nox* sunt studia occulta, sensus profunde latentes in pectore humano. Cic. Marc. 7. et Plin. III, Ep. 3, 6. *latebras* et *altos recessus* dixerunt. *sumit*, parat sibi, consequitur.

478 *praecontrectat videndo*, iam nunc membris eius spectandis libidinem suam pascit. Bene dictum de homine isto impuro. Cic. Verr. IV, 28. sic *praecipere oculis*. Sed nec alterum insolens. Tacit. An. III, 12. *nudare corpus et contrectandum oculis permittere*, vbi v. Ernesti et Buenem. ad Lactant. Opif. Dei I, 15. *fax*, quod vim irritandi habet. *cibus*, alimenta. Animus commotus cumulat verba etiam diuersa. Plin. VIII Ep. 12, 1. *portus*, *sinus*, *praemium* studiosorum. *Accipit pro stimulis*, habent illa in eo vim stimulorum.

482 Etiamsi parens esset, tamen filiam suam corrumperet. *et successisse* etc. Quoniam aliquoties iam lectorem de exitu rei praemonuit, haec poterant omitti. — *equi pulsabant* etc. e Virg. Aen. X, 216. *Phoebe medium pulsabat Olympum*. *Poni* pro *apponi*, de vino. V. Heins. ad A. A. I, 231; (et Burm. Sec. ad Anth. Lat. T. I p. 86.) Verba *dantur sua corpora somno* possis ita capere, somno dantur corpora ea, quae ipsi debentur; namque *suus* saepe, apud poëtas in primis, sic et similiter adhibetur. (cf. Virg. G. IV, 190. Aen. V, 832.)

Id putat infelix, quod erit lugubre duabus.
Iam labor exiguus Phoebo restabat, equique
Pulsabant pedibus spatium decliuis Olympi:
Regales epulae mensis et Bacchus in auro
Ponitur; hinc placido dantur sua corpora somno.
At rex Odrysius, quamuis secessit, in illa
Aestuat; et repetens faciem, motusque, manusque,
Qualia vult fingit, quae nondum vidit; et ignes
Ipse suos nutrit, cura remouente soporem.
Lux erat; et, generi dextram complexus euntis,
Pandion comitem lacrimis commendat obortis:
Hanc ego, care gener, quoniam pia caussa coëgit,
[Et voluere ambae, voluisti tu quoque, Tereu,]
Do tibi; perque fidem, cognataque pectora supplex,
Per Superos oro, patrio tuearis amore,
Et mihi sollicitae lenimen dulce senectae
Quamprimum (omnis erit nobis mora longa) remittas.

485. *erit* alter Hamburg. Reliqui codd. *erat*, quod praefert Bothius. E. 497. Quidam h. vs. superiori praemittunt. Heins. et Capofer. delendum censent. (Vncinas tamen delet H. Vossius. Neque ego iustam video caussam, quapropter spurius h. vers. habendus sit. Eum enim nexum turbare, non recte notauit Capoferreus. Immo bene hoc versu Pandion indicat, se, non nisi voluntate sororum et Terei commotum, filiam dimittere. Malim tamen cum codd. Berol. Heidelb. et plurimis aliis legere, *Vt voluere*, quoniam sic melius apparet, quo factum sit, vt versus transponerentur. Etenim ordo proprie esse debet: *Vt voluere* etc. *Do tibi hanc*, *quoniam* etc. Hinc et factum, vt in Heidelb. v. 496 poneretur post vs. 498. E.) Pro *coëgit* alter Hamburg. et vnus Medic. *subegit*. 498. *pectora*. Schepp. coni. *foedera*. Probat Burm., aut etiam *pignora*. (499. Berol. aliique codd. *per Superosque*.)

490 *Odrysae*, gens Thraciae. Pausan. Attic. p. 22. Senec. Thyest. 273. *domus Odrysia*. *aestuat in illa*, misere eam amat. *cura*, amor.

496 Valedictio et preces patris ad commouendum aptissimae. Inuitus, propter piam caussam, in breue tempus, dimittit filiam, quam vnam secum habet; qua senectutis imbecillitas diu carere non potest, eamque cum grauibus obtestationibus Terei fidei commendat, vt patris vices praestet. *pia caussa*, amor filiae. (*Pia causa* potius in eo cerni videtur, quod cedebat precibus sororum et Terei. v. Var. Lect. E.) Vs. seq. haud dubie delendus est. Fatetur Burm., se non capere *cognata pectora*. Sed si per *corpus* alterius obsecrare et iurare licet, vt Heroid. XIII, 159, quidni etiam per *pectus cognati*?

Tu quoque quam primum (satis est procul esse sororem),
Si pietas vlla est, ad me, Philomela, redito.
Mandabat, pariterque suae dedit oscula natae;
Et lacrimae mites inter mandata cadebant:
Vtque fide pignus dextras vtriusque poposcit,
Inter seque datas iunxit, natamque, nepotemque,
Absentes memori pro se iubet ore salutent;
Supremumque vale, pleno singultibus ore,
Vix dixit; timuitque suae praesagia mentis.
Vt semel imposita est pictae Philomela carinae,
Admotumque fretum remis, tellusque repulsa;
Vicimus, exclamat; mecum mea vota feruntur:
Exsultatque animo, vix et sua gaudia differt

512. Vnus Leid. *amotum*, vnde Burm. *emotum* facit. 514. Versus, suspectus Heins., effictus Burm. videtur ex IV, 350 et II, 863. (Damnat eum etiam Capoferreus.)

504 *dedit*, quod etiam Burm. placebat, e quinque Mss. recepi, vt legibus linguae satisfieret, et κακόφωνον vitaretur. Dum haec *mandabat* et lacrimae *cadebant*, dedit filiae osculum. Inaequalitas temporum decepit librarium, vt *dedit* in *dabat* mutaret. (Necesse autem esse videtur, ordinem verborum sic constituas: *Mandabat*, *pariterque oscula dedit et lacrimae cadebant*. Hinc tamen *dabat* retinendum esse videtur. Sunt ita quidem numeri insuaues, *Mandabat*, *dabat*, *cadebant*; sed hanc negligentiam passim sibi indulserunt poëtae. vid. epist. XII, 15 — 19. *isset*, *iecisset*, *sensisset*, *perisset*. ibid. 121 sqq. *elisissent*, *misissent*, *supposuisset*. Propert. I, 3, 23. *haerebam*, *soluebam*, *ponebam*, *gaudebam*, *dabam*. vid. ibi Burm. Sec. E.) *mites*, quae non in luctu, sed in animo lenius commoto funduntur. *Dextra* apud omnes gentes *fidei pignus* habita est. vid. Freinshem. ad Curt. 6, 4, 14. Vir doctus in Biblioth. Tigur. p. 70. praefert vulg. *vtrasque*, quia *vtrique* de duobus rarius quidem occurrat, auctoritatibus tamen comprobatum sit. V. Freinsh. Ind. in Florum.

510 De talibus *praesagiis* cf. XI, 457. Homer. Il. ζ, 486. Virg. Aen. XII, 72. *Admotum fretum remis* insolens locutio videtur Intt., qui eam vel emendant, vt Burm., vel per hypallagen explicant. Sine caussa, opinor, vtrumque. Nauis *repellitur* a tellure, sed id dum fit, propter aequalem et celerem nauis motum terra *repelli* et *recedere* videtur. cf. XI, 466. Hinc *tellus repulsa*. Huic simillimum est alterum, quod impugnatur, *fretum admouetur remis*, pro, remi admouentur freto. Schirach. putat, labores remigum hic describi, dum instant et repellunt aquas. De voce exsultantium *Vicimus* v. ad IV, 356. *Detorquet* verb. bene delectum, quia lumen fixum erat in illo. Languet contra *declinat*, quod

Barbarus, et nusquam lumen detorquet ab illa.
Non aliter, quam cum pedibus praedator obuncis
Deposuit nido leporem Iouis ales in alto:
Nulla fuga est capto, spectat sua praemia raptor.
Iamque iter effectum, iamque in sua litora fessis
Puppibus exierant; cum rex Pandione natam
In stabula alta trahit, siluis obscura vetustis,
Atque ibi pallentem, trepidamque, et cuncta timentem,
Et iam cum lacrimis, vbi sit germana, rogantem
Includit, fassusque nefas, et virginem, et vnam
Vi superat; frustra clamato saepe parente,
Saepe sorore sua, magnis super omnia Diuis.
Illa tremit, velut agna pauens, quae saucia cani
Ore excussa lupi, nondum sibi tuta videtur:
Vtque columba, suo madefactis sanguine plumis,
Horret adhuc auidosque timet, quibus haeserat, vngues.
Mox vbi mens rediit; passos laniata capillos,
[Lugenti similis, caesis plangore lacertis,]

515. Alii *distorquet*, *deflectit* etc. Burm. arridet duorum Mss. lectio, *declinat*. 516. Vulg. *aduncis*. Sed v. Burm. ad Virg. Aen. XI, 755. 517. Multi *ab alto*, quod ad sequentia referendum foret. 532. Hunc vs. recte adulterinum censet Heins. G. — In cod. Berol. hic vs. legitur post vs. 526, cui loco eum vindicare studet Bothius; vt sensus sit: Illa tremit, lugenti similis in eo, quod lacertos plangore caesos habuit. Si retinendus est, quod sane codicum consensus suadet, post vs. 531 melius legitur. Possit additus esse ex solita Ouidii luxurie, quae vt in toto metamorph. opere, ita in hoc libro maxime perspicua est. vid. ad vs. 294. Eadem abundantia vs. 522. 514 et alibi.

Burm. placet. — Drakenb. ad Sil. XII, 56. ex Aeliani H. A. IX, 10. monet, non omnem aquilam dictam esse *Iouis alitem*, sed eam duntaxat, quae numquam carne vescatur. Verum talia non vrgenda sunt in poëta.

519 *Effectum*, perfectum, finitum. *Fessae* poëtis finguntur naues aut iactatae, aut longum iter emensae. *Stabula alta* etiam Latinus habebat Aen. IX, 388. *siluis obsc. vetustis*, ideo obscura, quia silua, in qua arbores nullae caesae, densa erat. Aen. VI, 179. *nefas*, nefariam libidinem.

527 Similitudines delectae. *cani*. vid. ad I, 238.

532 *Lugenti — lacertis*, ineptus versus. Sed seqq. *Pro diris* etc. sana puto. Inuidiose enim *barbari* voc. hic adhibitum esse, sponte apparet. Recte igitur addi potuit *diris factis*. Heins. tamen suadebat *diri facti*.

Intendens palmas, Prô diris Barbare factis,
Prô crudelis, ait! nec te mandata parentis
Cum lacrimis mouere piis, nec cura sororis,
Nec mea virginitas, nec coniugialia iura?
Omnia turbasti; pellex ego facta sororis,
Tu geminus coniux, non haec mihi debita poena.
Quin animam hanc (ne quod facinus tibi, perfide, restet)
Eripis? atque vtinam fecisses ante nefandos
Concubitus! vacuas habuissem criminis vmbras.
Si tamen haec Superi cernunt; si numina Diuûm
Sunt aliquid; si non perierunt omnia mecum;
Quandocumque mihi poenas dabis. Ipsa, pudore

536. h. v. cum signo exclamandi, neque vero rogandi, exhibet H. Voss. 538. cod. Gronou. *geminis*, sed vulgat. praefert H. Voss. Tum Berol. Heidelb. et alii fere omnes, *hostis mihi debita poena*, quod defendit Bothius; vt structura sit: *mihi debita* (est) *poena hostis* i. e. poena, quam hostis mereat. Withof. Praemet. Cruc. Crit. p. 181 coni. *hostis mihi debita Procne*, quod arridet Schradero Emendatt. c. X pag. 192, qui et Heinsii sententiam (v. not.) damnat. 540. Cod. Heidelb. *Eripias. vtinam.* E.

537 *turbasti*, violasti, polluisti. Vid. vir doctus in Bibl. Tigur. p. 91, qui et putat Nostrum respexisse Virg. Aen. IV, 362 sqq. Cum *gemino coniuge* Heins. comparat *duplices thalamos* apud Stat. Theb. XII, 471; sed h. l. in summa desperatione iusto argutius dictum. Porro Heins. putat, alterum hemistichium, *non haec, --- poena* a sciolo additum, et lacunam esse relinquendam, quales multae apud Virg. occurrant. Nec mihi illa verba magnopere placent, quippe nimis languida h. l., vbi pleraque animum commotissimum spirant. Negat tamen Burm., Ouidium lacunas reliquisse, putatque, sensum elegantem effici, si legatur, *non haec mihi credita poena*, vt *poena* sit calamitas, miseria *hanc*, tam miseram, quam taedet vitae. *vacuas* etc. sancta descendissem ad inferos. At illa sic quoque criminis vacua erat; quandoquidem anima peccat, non corpus.

542 *si numina* etc. si, quoniam, Dii aliquid valent, si potestas eorum est satis valida. 545. *si non perierunt* etc. vox summi doloris, qui ita auget suam miseriam. *in populos veniam*, ad populum prodibo. *querelis* ex Langerm. Excerptis dedit Burm., cum vulgo legatur *mouebo*. Dubitabat enim ille, an ex consuetudine Ouidiana absolute dicatur *implere siluas*. Sed vir doctus in Biblioth. Tigur. p. 70. negat, duram esse ellipsin; posse enim ex antecedentibus *factis* facile suppleri. Etiam verba *pudore proiecto* lectionem reiectam postulare. Neque Philomelam velle omnino queri, sed facta dira Terei eloqui vel hominibus, vel saxis saltem et siluis. Dictam autem esse vulgatam ad illud Virg. *Flectere si*

Proiecto, tua facta loquar. Si copia detur,
In populos veniam; si siluis clausa tenebor,
Implebo siluas, et conscia saxa querelis:
Audiat haec aether, et si Deus vllus in illo est.
Talibus ira feri postquam commota tyranni,
Nec minor hac metus est; causa stimulatus vtraque,
Quo fuit accinctus, vagina liberat ensem,
Arreptamque coma, flexis post terga lacertis,
Vincla pati cogit. Iugulum Philomela parabat,
Spemque suae mortis viso conceperat ense.
Ille indignanti, et nomen patris vsque vocanti,
Luctantique loqui compressam forcipe linguam
Abstulit ense fero: radix micat vltima linguae.
Ipsa iacet, terraeque tremens immurmurat atrae:
Vtque salire solet mutilatae cauda colubrae,
Palpitat, et moriens dominae vestigia quaerit.
Hoc quoque post facinus (vix ausim credere) fertur,
Saepe sua lacerum repetisse libidine corpus.
Sustinet ad Procnen post talia facta reuerti.
Coniuge quae viso germanam quaerit; at ille
Dat gemitus fictos, commentaque funera narrat.
Et lacrimae fecere fidem. Velamina Procne
Deripit ex humeris auro fulgentia lato;
Induiturque atras vestes; et inane sepulcrum

551 Nonnulli pro *liberat* habent *deripit*, quod Ciofan. praefert. 558. Heins. malebat *fremens*, quia seq. *palpitat*, et vs. 566. coni. *Vt lacr.* (567. *deripit* ex vetustioribus MSS. probant Heins. et Gronon. Diatr. Stat. c. 56. *diripit* ex aliis codd. Gebhard. et Hand. ad Gronou. Diatr. p. 558. v. ad vs. 387. E.)

nequeo superos, Acheronta movebo.

553 *parabat*, melius, quam porrigebat.

557 Foeda rursus res et ingrata, quam tamen similitudine adeo illustrat poëta. Apud Hygin. Tereus vitiatam Philomelam mandat ad Lynceum regem. Sed Noster videtur de industria foedissima quaeque et crudelissima hac fab. exprimere voluisse. *Vtque salire* etc. Quint. Smyrn. XI, 74. ἄτε βλοσυροῖο δράκοντος οὐρὴ ἀποτμηθεῖσ' ἀναπάλλεται. In verbis *terrae immurmurat* intolerabilem esse lusum vir doctus iudicat in Biblioth. Tigur. p. 58. Sed et alii sic luserunt, vt ad V, 105 notatum. Illud *dominae vestigia quaerit* sumtum ex Aen. X, 395 sq.

568 Veteres cum insepulti corporis animam stygem transire haud posse arbitrarentur, mortuis, quorum corpora reperire

Constituit, falsisque piacula manibus infert;
Et luget non sic lugendae fata sororis.
Signa Deus bis sex acto lustrauerat anno.
Quid faciat Philomela? fugam custodia claudit:
Structa rigent solido stabulorum moenia saxo:
Os mutum facti caret indice. Grande dolori
Ingenium est, miserisque venit sollertia rebus.
Stamina barbarica suspendit callida tela;
Purpureasque notas filis intexuit albis,
Indicium sceleris; perfectaque tradidit vni,
Vtque ferat dominae gestu rogat. Ille rogata
Pertulit ad Procnen; nec scit, quid tradat in illis.
Euoluit vestes saeui matrona tyranni,
Germanaeque suae carmen miserabile legit,
Et (mirum potuisse) silet; dolor ora repressit,

569. Tres *instituit*, quod elegantius videtur Burm. 578. *tradidit*. Vnus Leid. et alter Heins. *credidit.* (580. Alii codd. *quid tradat nescit in illis*, aut, *nescia in illis*, unde Heins. cor. *quid tradat nescius illi*, quod non displicet H. Vossio. E.)

non possent, *inania sepulcra*, κενοτάφια, exstruere solebant. Infra XII, 3 *inanes inferiae*, quae dantur sepulcro inani. Pro *inferiis* nunc dixit *piacula. falsis*, falso creditis. *inferre* verb. pr. in hac re. — Lugendae quidem, sed *non sic*, inani sepulcro et inferiis.

572 *Claudit* exquisitius, quam, impedit, quoniam ipsa clausa tenebatur. Non satis est, quod Burm. laudat, *auferre* et *adimere fugam*, in quibus *fuga*, fugiendi facultas. Rectius comparabis VII, 604 *animam claudere laqueo* et VIII, 548 *claudere iter. Rigent* exquisitius, quam, sunt. Lingua et animi *interpres*, Lucret. VI, 1147, et *index* factorum. *Ingenium* tribuitur et irae, munificentiae, poenis etc. v. Drakenb. ad Sil. XVI, 46. H. l. intel. sollertia in inveniendis rebus, quam excitat dolor. *Venit*, excitatur. Supra vs. 29, *vsus venit ab annis*, comparatur.

576 Ex antiqua texendi ratione stamina ad perpendiculum *suspendebantur*; vnde ap. Nostrum alibi *pendula tela*, *stantes telae* etc. *Notae*, literae. III Trist. 3, 72, *Grandes notas in tumuli marmore*. Heroidd. I, 62, *charta notata*. Infra IX, 523, *notare tabellas*.

582 *Carmen* eleganter notae intextae, quae loquebantur fata sororis. *Carmen* enim de omni formula verborum, etiam de paucis vocibus literisue sententiam aliquam exprimentibus. Apollod. ἡ δὲ ὑφήνασα ἐν πέπλῳ γράμματα. Dolor vtique vim habet ora reprimendi; ergo inepte additur, *mirum potuisse*. *Ruere* de impetu et furore animi. *Poenae imago*, poena, quam animo sibi effingit. *Imago* saepe cogitatio rei. V. ad XI, 427. et ad Plin. VII Ep. 5, 1.

Verbaque quaerenti satis indignantia linguae
Defuerunt; nec flere vacat; sed fasque nefasque
Confusura ruit, poenaeque in imagine tota est.

Tempus erat, quo sacra solent Trieterica Bacchi
Sithoniae celebrare nurus. Nox conscia sacris.
Nocte sonat Rhodope tinnitibus aeris acuti:
Nocte sua est egressa domo regina, Deique
Ritibus instruitur, furialiaque accipit arma.
Vite caput tegitur; lateri ceruina sinistro
Vellera dependent; humero leuis incubat hasta.
Concita per siluas, turba comitante suarum,
Terribilis Procne, furiisque agitata doloris,
Bacche, tuas simulat. Venit ad stabula auia tandem,
Exululatque, Euoëque sonat, portasque refringit,
Germanamque rapit; raptaeque insignia Bacchi
Induit, et vultus hederarum frondibus abdit;
Attonitamque trahens intra sua limina ducit.
Vt sensit tetigisse domum Philomela nefandam,
Horruit infelix, totoque expalluit ore.
Nacta locum Procne, sacrorum pignora demit,
Oraque deuelat miserae pudibunda sorori,

588. Burm. malebat, *mox conscia sacris Nocte.* 595. *doloris.* Gronou. et Louaniens. *sororis*, quod fere Heins. se probauit. 596. Moret. et vnus Palat. *stabularia.* Et ita Gebhard. Crep. III, 2. maluerat.

587 De *sacris Trietericis* et cultu Bacchantium diximus ad III, 516 sqq. (Solae mulieres haec festa celebrabant. Sil. Ital. IV, 778. Pompon. Mel. II, 2, 2. Palaeph. cap. 34. cf. Schrader. Obss. I, 4. p. 40.) *Sithones* gens Thraciae. (Thracia enim vocabatur Sithonia, a Sithone, qui antiquus huius regionis rex fuisse fertur. v. Tzetz. ad Lycophr. 583 et 1161. Parth. Erot. 6. Conon. 10. Nonn. Dionys. XLVIII, 100.) Thracia autem sedes praecipua Orgiorum. *Nox conscia sacris* nil, nisi, noctu sacra celebrantur. Sic *loca conscia facti*, in quibus aliquid gestum. De *aere acuto* v. ad III, 532. de *ritibus* illis IV, 6 s. *furialia*, quibus vtuntur Bacchantes furentes. Similiter *tibia furiosa* Fast. IV, 341.

595 *Furiae*, furor. *exululat.* III, 528. *sonat*, clamat.

603 *Pignora*, signa, vt VII, 497. *Deiicere vultum*, vt *coniicere oculos.* --- *Iram non capit suam*, non par est perferendae irae suae. Contra Senec. Herc. Fur. 412. *Animo ruinas capis magno tuas.* Et ita passim *capere*, idoneum esse ad aliquid perferendum, faciendum, intelligendum. Tam insigni autem dolori accommodata est seq. oratio.

Amplexuque petit. Sed non attollere contra
Sustinet haec oculos, pellex sibi visa sororis;
Deiectoque in humum vultu, iurare volenti,
Testarique Deos, per vim sibi dedecus illud
Illatum, pro voce manus fuit. Ardet, et iram
Non capit ipsa suam Procne; fletumque sororis
Corripiens, Non est lacrimis hîc, inquit, agendum,
Sed ferro, sed si quid habes, quod vincere ferrum
Possit. In omne nefas ego me, germana, paraui.
Aut ego cum facibus regalia tecta cremaro,
Artificem mediis immittam Terea flammis;
Aut linguam, aut oculos, aut quae tibi membra pudorem
Abstulerunt, ferro rapiam; aut per vulnera mille
Sontem animam expellam. Magnum, quodcumque paraui:
Quid sit, adhuc dubito. Peragit dum talia Procne,
Ad matrem veniebat Itys. Quid possit, ab illo
Admonita est; oculisque tuens immitibus, Ah quam
Es similis patri! dixit. Nec plura locuta,
Triste parat facinus, tacitaque exaestuat ira.
Vt tamen accessit natus, matrique salutem
Attulit, et paruis adduxit colla lacertis,

607. Heins. malebat, *Deiectaeque in humo vultum*; quoniam quart. Medic. *deiectaque* et vnus cod. *in humo* exhibent. (Pro *iurare* a Berol. Both. praefert *narrare*, cum *iurare* ob seq. *testari deos* frigeat.) 611. *hic*, quod pro diuersa lect. est in Louan., dedit Heins. pro *hoc*. 614. *cremaro* Heins. inuitis Mss. pro *cremabo*. 621. Vnus Moreti, *non mitibus*. Mox vnus Basil. atque vnus Medic. *Ah quam*, *Quam similis*. Id probat Heins. atque etiam vir doctus in Bibl. Tigur. p. 71. plus adfectus esse in hac repetitione putat, et Ouid. amare hanc figuram, vt II, 704 sq. VIII, 128 sqq.

613 *Parant se in* vel *ad* aliquid, qui animum inducunt ad aliquid faciendum. *Cum* potest esse praepositio, quam Latini interdum instrumento, quo aliquid agitur, addere solent. Tunc aut vers. seq. per ἀσύνδετον adiectus est, aut legendum cum aliis *mediisque* vel *et mediis*. Sic Burm. *Artificem*, auctorem malorum et facinorum.

620 Cf. Medeae furor III Trist. 9, 21 sqq. *Admonita est*, eo conspecto succurrit quid posset. *Similitudo* illa caussa fit facineris.

625 Non erat, cur Intt. haererent in *adduxit*, i. attraxit ad se, quod

Mixtaque blanditiis puerilibus oscula iunxit;
Mota quidem est genetrix, infractaque constitit ira,
Inuitique oculi lacrimis maduere coactis.
Sed simul ex nimia matrem pietate labare
Sensit, ab hoc iterum est ad vultus versa sororis;
Inque vicem spectans ambos, Cur admouet, inquit,
Alter blanditias, rapta silet altera lingua?
Quam vocat hic matrem, cur non vocat illa sororem?
Cui sis nupta vide, Pandione nata, marito:
Degeneras; scelus est pietas in coniuge Tereo.
Nec mora; traxit Ityn; veluti Gangetica ceruae
Lactentem foetum per siluas tigris opacas.
Vtque domus altae partem tenuere remotam;
Tendentemque manus, et iam sua fata videntem,
Et mater, mater, clamantem, et colla petentem,
Ense ferit Procne, lateri qua pectus adhaeret:
Nec vultum auertit. Satis illi ad fata vel vnum

627, Heins, coni. *concidit ira.* G. — 629. *eximia* duo Vatic, vnus Ciofan, et Berol. quod admodum placuit Ciofano. 635, *Degener ah* Neapol. *Degener ha* Cantabr. duo Burm. Palatini et Berol. *Degenera ha* Heidelb. *Degeneres* alii. Gruter. cor. *Degener ad scelus.* Bothius coni. *Degenera*, vt sensus sit: „Descisce a domo tua et indole, qua pia videlicet nata es et Terei amans." E. 640. Medic. *colla prementem,* quod admitti posse Burm. censet. (Nec displicet H, Vossio.)

facere solent infantes blandientes. *infractaque* etc. fracta est et cessauit ira. *Consistere* pr. drr. qui a cursu, deinde qui a perturbatione animi quiescunt. — — *matrem*, adfectum maternum. Similiter *pater* et *rex* vsurpantur. Vide loca ab Heins. et Burm. laudata. Sed mox matrem ita exuit, vt filium trucidans, ne *vultum* quidem *auertat*. *coactae*, quae cum vi retinentur. *labat*, incipit deterreri a propositio. Hinc noua furoris incrementa sumit ex adspectu sororis.

634 *Pandione natam* se vocat, vt a genere fortitudinis stimulos sumat. Hinc addit, *degeneras*, *partem remotam*, penetralia. v. vs. 646. *altae*; erat enim regia.

640 *Eia*, quod blandientis est, clamasse puerum iam sua fata videntem, vix crediderim. Reuocaui ergo: *Et mater, mater clamantem*, quod habent omnes Mss, praeter vnum Neap., in quo *Eia* legitur, vnde Heins. sumsit, cui illa vox valde placuisse videtur. (Edidit enim, *Eia et iam mater clamantem*.)

642 *ad fata*, ad mortem, *animam* s. vitam retinent membra ea, quae adhuc palpitant. *exsultare* et de aqua feruente, vt VII, 263, et de carnibus, quae aqua feruente molliuntur. Cf. Senec.

Vulnus erat: iugulum ferro Philomela resoluit;
Viuaque adhuc, animaeque aliquid retinentia membra
Dilaniant. Pars inde cauis exsultat aënis;
Pars verubus stridet; manant penetralia tabo.
His adhibet coniux ignarum Terea mensis,
Et patrii moris sacrum mentita, quod vni
Fas sit adire viro, comites famulosque remouit.
Inde sedens solio, Tereus, sublimis auito,
Vescitur, inque suam sua viscera congerit aluum.
Tantaque nox animi est, Ityn huc arcessite, dixit.
Dissimulare nequit crudelia gaudia Procne,
Iamque suae cupiens exsistere nuntia cladis,
Intus habes, quod poscis, ait. Circumspicit ille,
Atque vbi sit quaerit; quaerenti, iterumque vocanti,
Sicut erat sparsis furiali caede capillis,
Prosiliit, Ityosque caput Philomela cruentum
Misit in ora patri; nec tempore maluit vllo
Posse loqui, et meritis testari gaudia dictis.
Thracius ingenti mensas clamore repellit,
Vipereasque ciet Stygia de valle sorores;

657. *caede.* Vnus *more*, quod valde placebat Ciofan. Gruterus malebat, *furiali e sede.*

Thyest. 765 sqq. *inde*, ex pueri membris. *mensis*, epulis.

651 *Viscera.* vid. ad V, 18. Imitatus Nostrum est Valer. Max. VII, 6. *quo diutius armata iuventus viscera sua visceribus suis aleret, infelices cadauerum reliquias* etc. Verbo *congerere* mox opp. *egerere. nox*, caecitas, ignorantia.

662 *Vipereas sorores* audacter dictum, quarum comis viperae intextae. *pectus*, ventriculus. *reserato pectore egerere* nil nisi, euomere. *demergi* passim de cibis deuoratis, vt XV, 105. Ibid. 387. *bustum*, τύμβον. Longin. s. 3 vituperat Gorgiam Leont., qui vultures dixerat esse *sepulcra viua*, quam reprehensionem etiam in hoc *bustum miserabile* cadere Tollius et Pearcius ad illum Longini locum existimant. Verum Longin. non nisi *viua sepulcra* vituperat, quia nulla sepulcra *viua* sunt. vid. Ernesti Init. Rhetor. §. 319. In Gorgiae vitium incidit Lucret. V, 991, *Viua videns viuo sepeliri viscera busto.* Etiam alii poëtae ventrem cum sepulcro compararunt. Burm. laudat Lycophr. Cass. 159, qui de Cerere mandente Pelopis humerum dicit: ἐτύμβευσε τάφῳ, vbi Tzetzes τάφον interpretatur γαστέρα. Attius in Atreo: *Natis sepulcrum est ipse parens.*

Et modo, si possit, reserato pectore diras
Egerere inde dapes, demersaque viscera gestit;
Flet modo, seque vocat bustum miserabile nati;
Nunc sequitur nudo genitas Pandione ferro.
Corpora Cecropidum pennis pendere putares;
Pendebant pennis. Quarum petit altera siluas;
Altera tecta subit. Neque adhuc de pectore caedis
Effluxere notae, signataque sanguine pluma est.
Ille dolore suo, poenaeque cupidine velox,
Vertitur in volucrem, cui stant in vertice cristae,
Prominet immodicum pro longa cuspide rostrum.
Nomen Epops volucri; facies armata videtur.

664. *Egerere.* Gronouianus, *exigere*, quod aeque elegans iudicat Burm. *demersaque* praetulit Burm., quod et Regio placuerat; nam vulg. *immensaque* inepta est. Plurimi veterum *emersaque* vel *immersaque*; tertius Medic. Iureti excerpta et quatuor alii *semesaque*, quod Heinsio probabatur. 670. *Effluxere* recepit Burm. e Louan. cod. Vulgo *excessere.* 671. *Dolore furens* olim coni. Heins. (673. *praelonga cuspide* cor. Heins. cui accedit H. Voss.)

667 *Pendere.* V. ad XI, 341. XII, 566. *Altera*, Philomela in lusciniam mutata, petit siluas, *altera*, Procne in hirundinem mutata, tecta subit. Plin. X, 24 de hirundinibus: *Thebarum tecta subire negantur, quoniam vrbs illa saepe capta sit: nec Biziae in Thracia propter scelera Terei.* Pausanias Phoc. p. 807 narrat, in Daulide hirundines nec parere nec nidos struere. Alii tamen, Anacr. od. 12, Apollod. d. l., Tzetzes Chil. VII, 142, Gabrias fab. 43, Schol. Aristoph. ad Aues vs. 216, tradunt, Philomelam in hirundinem esse mutatam, Procnen autem in lusciniam, de quo dissensu vid. Meursius de Regno Athen. II, 5. Caeterum ab hac fab. hirundo vocatur Πανδιονὶς ap. Hesiod. Ἔργ. 568 (570). De poena, quam luunt illae mulieres etiam aues factae, vid. Aelian. V. H. XII, 20. *neque adhuc* etc. Virg. G. IV, 15, *manibus Procne pectus signata cruentis*, hirundo.

674 *Facies* vpupae *armata* videtur ob seriem pennarum longiorum, quae galeae instar in vtroque latere ad ceruicem procurrit. Ap. Hygin. Tereus in accipitrem mutatur. V. ibi Munker. Nonnulli et Ityn in palumbem transformatum narrant. *ante diem.* I, 148. *ante diem misit a. v.* προϊάψεν ἄϊδι.

FAB. VII, 677 — fin. Orithyia, Erechthei filia, rapitur a Borea vento, ex eaque nascuntur Zetes et Calais. Cf. Orpheus Arg. 216 sqq. Apollon. Rh. I, 211 sqq. Apollod. lib. III, 15, 1. 2. s. Hygin. fab. 14. Fabulam tractauerant et Aeschylus atque Sophocles. Eam explicat Parrhasius in Claudian. Rapt. II, 19. „Fuit et „Strymonis filius Boreas, Ori„thyiae raptor, vt Isagoras in „Megaricis tradit, sed poëtae rem „ab homine ad ventum transfe-

Hic dolor ante diem, longaeque extrema senectae
Tempora, Tartareas Pandiona misit ad vmbras.
Zetes et Calais. Sceptra loci, rerumque capit moderamen Erechtheus,
Iustitia dubium, validisne potentior armis.
Quattuor ille quidem iuuenes, totidemque crearat
Femineae sortis; sed erat par forma duarum.
E quibus Aeolides Cephalus te coniuge felix,
Procri, fuit; Boreae Tereus Thracesque nocebant,
Dilectaque diu caruit Deus Orithyîa,
Dum rogat, et precibus mauult, quam viribus, vti.
Ast vbi blanditiis agitur nihil, horridus ira,
Quae solita est illi, nimiumque domestica, vento,
Et merito, dixit, quid enim mea tela reliqui,

(675. Berol. *hic dolor, hic luctus, longaeque* etc.) 683. *caruit*, Menaudi cod. *caluit*: G. — Disputatur autem de scriptura

„runt. Hermias vero Platoni„cus Erechthei filiam Aquilo„nis impetu ex alto deie„ctam periisse credit, et inde „factum, vt hominum more a „vento rapta dicatur. Idem do„cet Acesilaus, referente Apollodoro.“ Apud Palaeph. cap. 23. Boreas hic vr. ἀνὴρ οὐκ ἀσημος. Caeterum haec rapina expressa erat in arca Cypseli, vbi Boreas loco pedum anguium caudas habebat. Pausan. Eliac. p. 424.

Erechtheus successit Pandioni I. a. 1423 ante aer. Chr. Is iustitia non minus, quam virtute bellica excellebat. Summa regis laus.

679 E filiis Cecrops II successit patri. *Quatuor* plurimi memorant. Pausan. II, 25. Eustath. ad Il. β, 291. Etiam apud Apollod., vbi tres tantum memorantur, Heynius excidisse putat quartum Oenea. *sortis,* sexus. In filiabus duae sibi aequales pulchritudine, e quibus Procrin duxit Cephalus, Deionei filius, *Aeoli* nepos (vid. Heins. ad VII, 672. Munker. ad Hygin. fab. 14. quamquam alii eum Mercurii filium faciunt, vnde *Cyllenia proles* A. A. III, 725.); Orithyian rapuit Boreas, cui petenti filiam Erechtheus dare noluerat, territus inaudita *Terei Threicii* crudelitate. —. *te coniuge felix*, Cf. VII, 698. Fuit veluti formula sollemnis. *Deus*, Boreas enim Deus habebatur, cui sacra faciebant Megapolitani, Thurii, Athenienses. Pausan. Arcad. p. 673. Aelian V. H. 12, 61. Herod. VII, 189. Hymno eum celebrauit Orpheus. Is est h. 79. Athenienses vero ob raptam Orithyiam eum adfinem sibi censuerunt. Aelian. d. l. vbi vid. Perizon.

686 Non mala Boreae horridi descriptio. *Hic Deus et terras et maria alta domat.* Propert. II, 20, 52. Cf. Claudian. Rapt. I, 69 sqq. *domestica*, sibi propria et consueta, noue sic dictum. Burm. putat, Ouid. his duabus vocibus, *solita* et *domestica*, exprimere voluisse graec. οἰκεῖος, cuius vim exposuerit Victor. ad Cic. I. Att. 10.

687 *Et merito* abrupte incipit,

Saeuitiam, et vires, iramque animosque minaces?
Admouique preces, quarum me dedecet vsus?
Apta mihi vis est; vi tristia nubila pello;
Vi freta concutio, nodosaque robora verto,
Induroque niues, et terras grandine pulso.
Idem ego cum fratres coelo sum nactus aperto,
(Nam mihi campus is est) tanto molimine luctor,
Vt medius nostris concursibus intonet aether,
Exsiliantque cauis elisi nubibus ignes.

et metro voc. *Orithyia.* Alii enim scribunt *Orithyïa*, vt sit vox quinque syllabarum. Similis dissensus in vocc. Harpyîa aut *Harpyia*, *Ilithyia* aut *Ilithyia*, *Idyia* aut *Idyia* et sim. Scripturam *Orithyia Harpyïa*, *Ilithyïa* inprimis defendit Heins. ad Virgil. Aen. III, 299; et ad Metam. VII, 695. Sed alteram bene defenderunt Pierius ad Virg. Georg. IV, 463. Micyll. ad Metam. VIII, 371. Schrader. praefat. ad Emendatt. p. 40 sq. Burm. Sec. ad Propert. I, 20, 31. p. 189. vi enim in graecis diphthongus. *Orithyia*, autem et *Ilithyia* quinque syllabis prolata metrum non admittit. In graecis Ὠρειθυῖα, Εἰλειθυῖα. 690. *pello* ob seq. *pulso* displicet Bothio, qui cor. *vello;* coll. Virg. Aen. II, 480. 695. *intonet* nonnulli Heins. et duo Burmanni Sec. codd., qui id probat ad Lotich. p. 384. Reliqui *insonet*, cf. Both. ad Met. IV, 393. vt IX, 584, vbi v. not. Ita et Propert. I, 17, 1. *Admouere preces* bona locutio, vt docent Viri docti ad Phaedr. I fab. 19, 6. *Adhibere preces* dixit Noster III, 376, et Cic. N. D. 1, 2. *Vim* verbis grauissimis declarat, maxime in fine. Ergo assurgit oratio. Quia nubila pellit, propterea αἰθρηγενέτης, et *clarus* dr. *concutio*, commoueo. Boreas μέγα κῦμα κυλίνδει. *pulso*, facio, vt grando in terram decidat. Sic imber dr. *verberare humum*, Aen. IX, 669. *verberare ianuam* Tibul. I, 2, 7. [v. ibi Intpp. et Burm. Sec. ad Anth. Lat. T. II p. 531.] Similiter τύπτειν de vento Homer. Il λ, 306. Sed de Borea cf. Claudian. R. P. I., 69 sqq. — *coelum apertum* alias est purum, non obductum nubibus, sed h. l. vbi nil moratur eius impetum, nil frangit eius vim. Nempe *apertus* solemne epitheton campi. Coelum autem est campus, in quo venti pugnant. Virg. G. IV, 77 de apibus proeliantibus, *vbi ver nactae sudum camposque patentes*, aërem purum tempore verno. Cum sqq. cf. XI, 435, ibique not. *concursibus*, proeliis, quae vis verbi *concurrere* nota est. De *ignibus* illis v. Lucret. VI, 199 sqq. *rotantque cauis flammam fornacibus intus*, *Donec diuolsa fulserunt nube corusci.* Adde Plin. II, 48 et 49. Etiam terrae motus plurimi Veterum ventis tribuebant. Lucret. VI, 556. Senec. N. Q. VI, 3. *conuexa foramina* ornate, speluncas. *Supposui mea terga* grauissime, spiro. Grauissime etiam *sollicito* etc. vel metu, *tremoribus*, impello inferos et superos, vel concutio subterranea et supera; vtramque enim significationem habet voc. *sollicito.*

Idem ego, cum subii conuexa foramina terrae,
Supposuique ferox imis mea terga cauernis,
Sollicito manes, totumque tremoribus orbem.
Hac ope debueram thalamos petiisse; socerque
Non orandus erat, sed vi faciendus, Erechtheus.
Haec Boreas, aut his non inferiora locutus,
Excussit pennas: quarum iactatibus omnis
Adflata est tellus, latumque perhorruit aequor.
Puluereamque trahens per summa cacumina pallam,
Verrit humum, pauidamque metu caligine tectus
Orithyian amans fuluis amplectitur alis.
Dum volat, arserunt agitati fortius ignes.
Nec prius aërii cursus suppressit habenas,

701. Omnes fere codd. *Non orandus erat mihi, sed faciendus Erechtheus.* Nostram lectionem e Langerm. et priore Twisdenio codd. recepit Heins., eamque defendit Bothius, nisi quod scribit *erat*, *vi sed faciendus* propter locum verbi *mihi*, quod ex voc. *vi* ortum esse putat. E. 709. Vnus Heins. *currus*, quod ipsi non displicebat.

703 *Excussit*, iactauit, mouit. Mare *perhorrescit*, cum commovetur, vt fluctus edat. Sequitur admirabilis phantasia. Puluis, quem mouet Boreas, est eius *palla*, quam *trahit*, vt solet syrma vestis trahi. *Verrere* terram et mare sollemne poëtis de ventis rapidis, superficiem terrae stringentibus, eiusque puluerem secum auferentibus. Lucret. I, 279. VI, 624. [cf. Nonium Marcell. p. 420 ed. Merc. et Burm. Sec. ad Propert. II, 12, 44, p. 321.] Sed h. l. respicitur ad pallam, quae et ipsa *verrere humum* dr. XI, 166. *pauidam metu.* Propert. III, 5, 29. *Aquilo raptae timor Orithyiae. fuluis alis.* Silius XII, 617. *fuscis Africus alis*, vbi v. Drakenb.

707 Rapuit Orithyian ad Ilissum ludentem. Pausan. Attic. p. 45. Sed apud Apollon. rapit Κεκροπίηθεν. [Secundum alios abstulit ex Acropoli. v. Schol. ad Odyss. XIV, 333.] *arserunt* etc. quoniam *ignes* qui pr. drr. motu celeri magis excitantur. Ludit ingenium Ouidii, isque lusus ineptus. Heroidd. 18, 41 de Borea, *Tam gelidus cum sis, non te tamen, improbe, quondam Ignibus Actaeis incaluisse negas.*

709 *cursus habenas* ποιητικώτερον, quam *currus hab.*, quod habent alii. Et *currus* ne locum quidem nunc habet, quia Boreas non curru vehitur, sed alis volat. *Supprimere*, retrahere. Hinc *supprimere hab. curs. aerii* paullo audacius, desistere currere per aërem. *Cicones* gens Thraciae. Thracia autem habebatur ventorum, Boreae inprimis, habitacu-

Quam Ciconum tenuit populos, sua moenia, raptor.
Illic et gelidi coniux Actaea tyranni,
Et genetrix facta est, partus enixa gemellos;
Cetera qui matris, pennas genitoris haberent.
Non tamen has vna memorant cum corpore natas;
Barbaque dum rutilis aberat submissa capillis,
Implumes Calaisque puer, Zetesque, fuerunt.
Mox pariter ritu pennae coepere volucrum
Cingere vtrumque latus, pariter flauescere malae.
Ergo, vbi concessit tempus puerile iuuentae,

710. *sua moenia* e Basileensi Burm. dedit, vt additum sit per appositionem. Vulgo, *et moenia.* 711. Quidam *egelidi*, quod praefert Mar. Accursius, qui monet, h. v. et vehementer et mediocriter frigidum notare. (715. Pro *submissa* plurimi codd. *subnixa*, quod defendit Gronou. Diatr. Stat. p. 360 (549 ed. H.). Vnus cod. *subnexa*, vnde Heins. suasit *subpexa*. E.) 716. In Ciofani Mss. omnibus *Zethus*. Sic etiam Palaeph. 23. Vid. Munker. ad Hygin. f. 14. G. — *Zethus* autem erat filius Iouis et Antiopes, Amphionis frater. Berol. aliique codd. *Zethesque*, quam scripturam probauit Heinsius, qui multo magis aberrauit Valer. Fl. III, 152, cum scriberet: *Currit hyems*, *Zeten*, *et Broten*, *Abarinque relinquit*. vt *Zeten* sit pyrrhichius; recte reprehensus propterea a Schradero praefat. ad Emendatt. p. 37. In Graecis enim est *Ζήτης*. Quare recte scripturam *Zetesque* praetulerunt Burm. Sec. ad Propert. I, 20, 26. p. 188 et H. Vossius. E.

lum, isque in monte Haemo speluncam quandam incolere credebatur. vid. Theophrast. de Causs. Plant. V, 17. et de Ventis p. 409. Hinc Θρηΐκιος et Στρυμόνιος vr. [Secundum Apollon. Rh. II, 216 eam portauit Σαρπηδονίην ὄθι πέτρην κλείουσι, ποταμοῖο παρὰ ῥόον Ἐγίνοιο.] *Moenia* dignius, quam spelunca. *Rapi* pr. de virginibus.

711 *Actaea*, Attica. vid. ad I, 313. *Actias Orithyia* ap. Virg. G. IV, 463. *partus* de prole. Sed in qua corporis parte illi *pennas* habuerint, de eo non consentiunt poëtae. Hygin. fab. 14. *Hi capita pedesque pennatos habuisse feruntur.* [cf. Pindar. Pyth. IV, 325.] Apud Orpheum volant *ταρσοῖσιν ὑπουατίοις*, *alis sub aures enatis*. vid. Wesseling. Probab. 9. p. 78, vbi copiose de hoc poëtarum figmento agit, et nummum antiquum commemorat in quo alatum Calais caput. Et antiqui ventos temporibus alatis finxerunt. Drakenb. ad Sil. VII, 257. *Calais* autem et *Zetes* expressi etiam in solio Amyclaei. v. Heyne Exc. VII, ad Aen. III et in libro Antiq. Aufsätze. Is monet, turbines inter Asiam et Graeciam frequentes originem huic fab. dedisse. — *submissa* barba, vt alibi *promissa*. Heins.

Vellera cum Minyis nitido radiantia villo
Per mare non motum prima petiere carina.

720 *nitido rad. villo*, villis aureis. *non motum*, scil. remis, in quo nemo vmquam nauigavit, adeoque ignotum. Etiam Manil. 1, 76 *immotum pontum* dixit. *Pulsa vada* Tibul. II, 5, 34. *Remo mouere* est Amorr. II, 11, 5. *prima carina.* Argum primam nauem fabricasse multi poëtae crediderunt, vid. loca ab Heins. laudata. Hinc cum nauigationes detestantur, increpant Argonautarum audaciam, vt Phaedr. IV fab. 6, 6 sqq. Ouid. Amorr. l. c. Nempe haec fuit prima nauis bellica, quam Graeci fabricarunt. Plin. VII, 56. *Longa naue Iasonem primum nauigasse, Philostephanus auctor est.* cf. Diodor. IV, 41.

P. OVIDII NASONIS METAMORPHOSEON LIBER SEPTIMVS.

Iamque fretum Minyae Pagasaea puppe secabant; *Iason et Medea.*
Perpetuaque trahens inopem sub nocte senectam
Phineus visus erat; iuuenesque Aquilone creati

3. Duo Medic. *vltus erat*, quod placet Heins., quia *vltus* et passiue dr.

FAB. I, 1 — 158. *Iason et vellus aureum et Medeam in patriam reportans.* *Medea* Iasonis amore capitur, praesertim obuia ei facta; et, vbi a iurato promissa coniugii accepit, cantatas ei herbas praebet, quarum ope tauros aeripedes ignemque vomentes domat, domitos iugo supponit, atque in agrum vipereos dentes spargit, vnde feri homines, quorum rabiem, misso lapide, a se in ipsos vertit. Tandem iisdem herbis et draconem terribilem sopit. Sic cum vellere et Medea Iason in patriam redit. Nobilis satis et perquam vtilis cosmographiae, nauticae arti et mercaturae Graecorum expeditio Colchica, suscepta ab Iasone, Thessalorum duce, a. 1253. ante aer. Chr.; sed eadem fabulis adeo inuoluta, vt, quid veri subsit, vix constitui certo possit. Vere haud dubie ductu antiqui cuiusdam scriptoris monet Eustath. ad Dionys. Perieg. vs. 689, mercaturae potissimum caussa patefacere sibi voluisse Graecos Pontum Euxinum, classeque instructa sibi parare emporia quaedam in Colchide. Noti sunt poëtae, qui hanc expeditionem carminibus suis celebrarunt. De hac nostra fab. cf. et Heroidd. VI et XII. Hygin. fabb. 21. 25. Apollod. I, 9, 23. Noster plurimus est in Medeae amore notando. (De *Medea* peculiares tragoedias nobis reliquerunt Euripides et Seneca. Scripsit etiam Ovidius *Medeam*, quae tamen nostram aetatem non tulit.)

1 — 9. Nexus caussa quaedam de itinere Argonautarum praemittuntur, sed breuissime. *Minyae*, Argonautae, quorum plurimi et praestantissimi originem se trahere gloriabantur a *Minyae* filiabus, de quibus IV, 1. Apollon. Rh. I, 239. Ipse Iason Minyae neptem habuit matrem. Perizon. ad Aelian. V. H. III, 42. p. 310. Alii aliter. V. Hoelzlin. ad Apollon. d. l. [Heyn. ad Apollodor. p. 143. et 178.] *Pagasae*, portus ad pedem Pelii montis, vbi nauis Argo fabricata, et vnde soluerunt Argonautae. Mela II, 3, 85 ibiq. Tzchuck.

3 Argonautae appulerunt in Thracia, vbi *Phineus*, vates, de quo multa fabulantur scriptores Argonautici. v. de la Cerda ad Virg. Aen. III, 216. Is, siue

Virgineas volucres miseri senis ore fugarant;
Multaque perpessi claro sub Iäsone, tandem
Contigerant rapidas limosi Phasidos vndas.
Dumque adeunt regem, Phryxeaque vellera poscunt,
Lexque datur numeris magnorum horrenda laborum;

8. *numeris* vetustiores habent maiori ex parte. Caeteri *Minyis*.

quod Deorum consilia enunciauerat, siue vt excaecatorum filiorum poenam lueret, excaecatus erat et ipse, eique additae erant Harpyiae, quae cibum miseri senis ab ore auferrent, aut reliquias foedo odore implerent. Eas vero Zetes et Calais, qui erant inter Argonautas, sublimes per aëra fugarunt in insulas Strophades. Quo facto Phineus Argonautis viam monstrauit, eosque consiliis variis adiuuit. Orph. 665 sqq. Apollon. II, 178 sqq. Apollod. lib. I, 9, 21. Senectutem hebetasse aciem oculorum Phinei, eiusque opes dispersas esse a filiabus, quas Zetes et Calais ex oppido expulerint, putat Palaeph. 23. Harpyiarum mentio fit ap. Homer. pluribus locis, et ap. Hesiod. Th. 267. V. Heynii Exc. VII ad Aen. III, cui meteori vel procellosi venti genus sic innuisse videntur antiqui. *Trahere* vitae molestias et calamitates exprimit. Aen. II, 92. *vitam in tenebris luctuque trahebam.* III. 647. Phaedr. III, 7, 12. *Perpetua nox*, vt *aeterna nox* III, 335. *Sub* re esse dr., qui ex ea laborat. III, 525. IX, 463. *Virgin. volucres*, Harpyias, quibus virginei vultus, foedissima ventris proluuies, vncae manus, et pallida semper ora. Virg. Aen. III, 216. *ore;* deest, *ab*. *Multa perpessi* sollemne de nauigantibus. Aen. I, 198, *o passi grauiora*. Horat. I od. 7, 30, *peioraque perpessi mecum*. Od. α, 4, πολλὰ πάθεν. *claro.* Sortitus ille erat πανέξοχον αἷμα. Orph. 80. Adde virtutem et famam. *Rapidas* et *limosi* communia epitheta et ornantia; Phasis enim ab Orph. 761 πρηῢ ῥέων, placide fluens, et 655 καλλίροος, pulchre fluens, vr.

7 Ap. Orph. 784 sqq. Aeetes prior eos adit ad Phasin adhuc sedentes. *Phryxea*, quae Phrixus Aeetae attulerat. Palaeph. 31, cuius ex mente *vellera* sunt opes, quas Phrixus, Athamantis insidias fugiens, in Colchidem attulerat. Nec aliter Herodot. VII, n. 197. Diodor. IV, 47. Lanam et pelles e Colchide exportasse mercatores graecos censet Varro R. R. II, 1. Velleribus iam olim e fluuiis collectas esse arenas aureas, idque originem fabulae dedisse monet Strabo XI, p. 763.

8 *Lex*, conditio. Hygin. fab. 22. *Aeeta Iasoni hanc simultatem* (hanc conditionem ex simultate profectam. v. Munker. ad fab. 84.) *constituit.* [Cf. Heroid. XII, 39.] — *numeris laborum*, propter multitudinem laborum. Apud Hesiod. Theog. 993 Iason peragit στονόεντας ἀέθλους, τοὺς πολλοὺς ἐπέτελλε μέγας βασιλεύς. [*numerus* enim saepe multitudinem indicat. v. Heins. ad h. l., Burm. ad Heroid. VIII, 24, Klotz opuscc. p. 302.] Quamquam *numeri* etiam possunt esse partes illius horrendi laboris, tauri ignem vomentes, seges armatorum, draco vellus custo-

Concipit interea validos Aeetias ignes.
Et luctata diu, postquam ratione furorem
Vincere non poterat: Frustra, Medea, repugnas;
Nescio quis Deus obstat, ait; mirumque, nisi hoc est,
Aut aliquid certe simile huic, quod amare vocatur.
Nam cur iussa patris nimium mihi dura videntur?
Sunt quoque dura nimis. Cur quem modo denique vidi,
Ne pereat, timeo? quae tanti caussa timoris?
Excute virgineo conceptas pectore flammas,

12. *nisi hoc est* correxit Heins., cum Mss. haberent, *quid hoc est.* (Berol. *quod hoc est.* Louan. *quod hoc sit.*) 14. Langerm. *tibi*, et mox Medicc. *posses* et *esses.*

diens. Sic *numeri veritatis*, *officii*, *legionis*, partes, quae illas res constituunt. Atque hanc rationem praetulerim priori. Lenzius vero maluit cum aliis *Minyis*, quia labores illi non *numero* memorabiles fuerint. *magnorum lab.* ὀϊζυρὸς πόνος Orph. 935. Verum *lex* non nisi vnus Ms. habet, (Cod. Gronou. primus, cui accedit Berolin.) vnde Heins. sumsit. Ceteri, *Voxque.* Quod cum auctoritate Mss. se tueatur, cum *vox* saepe et *dari* proprie de responsis vsurpetur, cum vix dubium sit, quin Nostrum respexerit Valer. Flac. I, 209. *Vix reddita tandem vox horrenda viris:* apparet, temere inuectum esse Schirach. in Burm., qui satis modeste monuerat, vulg. *Voxque* defendi posse; coll. III, 341.

9 Iuno, Iasoni fauens, Venerem impulerat, vt Medeae hunc amorem iniiceret. Hygin. d. l. Sic et Orph. 864 sqq., vbi tamen et dira Erinnys sagittam in eius viscera mittit. Horat. Epod. III, 9, *Argonautas praeter omnes candidum Medea mirata est ducem.* In seqq. praeclare notatur tumultus animi internus, conflictus furoris et rationis. Omnino Noster felix est in eiusmodi lucta ad naturae veritatem describenda. Cf. VIII fab. 1. IX fab. 8 et 7. X fab. 7. *Aeetias*, Medea, Aeëtae et Idyiae filia. Apollon. III, 243. (v. Heins. ad Heroid. XVII, 232, qui illic cor. *Idya* (potius Idyia), cum legeretur *Ipsea;* quamquam nihil temere mutari velim. Etenim variasse veteres in nomine matris Medeae, apparet ex illa Heinsii nota. E.) *Validus* et de igne proprie sic dicto et de amore ponitur. *Furor*, insanus amor (h. l. cum dilectu, quia opp. *rationi*), tanto difficilius vinci poterat, quia eum humanitas adiuuabat: quae duo per omnem h. l. commode miscentur. Ad extremum furor, vt fit, vincit. *mirumque* etc. Rudis adhuc virginis simplicitas notatur. [De dictione *mirum nisi* vide Heins. ad h. l., et Bentlei. ad Horat. Sat. II, 1, 55.]

15 *modo denique*, nunc primum, vt III, 650. Mox vs. 86 *nunc denique.* Mira in omni h. l. est orationis suauitas.

17 *Excute.* Ciofan. metaph. a silice, e quo ignes eliciuntur, ductam putans confundebat, vt Burm. iam monuit, *excudere* et

Si potes, infelix. Si possem, sanior essem.
Sed trahit inuitam noua vis, aliudque cupido,
Mens aliud suadet. Video meliora, proboque;
Deteriora sequor. Quid in hospite, regia virgo,
Vreris? et thalamos alieni concipis orbis?
Haec quoque terra potest, quod ames, dare. Viuat, an ille
Occidat, in Dîs est. Viuat tamen: idque precari,
Vel sine amore licet. Quid enim commisit Iäson?
Quam, nisi crudelem, non tangat Iasonis aetas,
Et genus, et virtus? Quam non, vt cetera desint,
Forma mouere potest? certe mea pectora mouit.
At, nisi opem tulero, taurorum adflabitur ore;
Concurretque suae segeti, tellure creatis
Hostibus; aut auido dabitur fera praeda draconi.
Hoc ego si patiar, tum me de tigride natam,

(26. *quam* --- *quam* Louan. Medic. et pro diu. lect. Voss. Reliqui *quem*, quod praefert Bothius.) 28. Multi ex melioribus, *Ore mouere potest.* Tunc Heins. mox mauult cum multis, *taurorum igne.* (30. In voc. *Concurretque* haeret Bothius, monens: „Concurrit sane istis tellure creatis hostibus Iason 139; sed non corruit illis, h. e. cum iis non occidit. Nec *que* particula locum habet, quia haec non simul omnia experienda erant Iasoni, sed alterum post alterum.“ Legendum igitur suasit *Corrueritue suae segeti*, i. e. in suam segetem. Perperam. E.)

excutere. *Excuti* passim drr. affectus, qui deponuntur. — *noua*, mihi adhuc incognita.

20 Haec sententia semper placuit, quia et verissime et breuissime naturae humanae vitiositatem notat. Ciofan. monet, expressam eam esse ex Euripid. (Hippol. 380.) τὰ χρήστ' ἐπιστάμεθα, καὶ γιγνώσκομεν, Οὐκ ἐκπονοῦμεν δέ. Ibi Valkenar. similes sententias collegit. cf. Horat. I Ep. 8, 11. *Vri in aliquo*, vt *in aliquo ardere, aestuare, capi. concipis*, scil. animo, cupis et speras. *concupis* multi Mss. habent e glossa. Amat Noster h. v. *in Dis*, in potestate Deorum, pendet a Diis. Heroid. 20, 44. *Exitus in Dis est.* Demosth. Cor. p. 292. Ἐν γὰρ τῷ θεῷ τὸ τοῦτο τέλος ἦν, οὐκ ἐν ἐμοί. Sic Pindar. ἐν θεῷ γε μὰν τέλος.

28 Fortem, formosum ac nobilem Iasonem vocat Hygin. fab. 25. De *forma* vid. Schol. Pind. ad Pyth. od. V, 6. ὅτι δὲ εὐπρεπὴς ἦν ὁ Ἰάσων, δῆλον ἐκ τοῦ καὶ τὴν Ἥραν αὐτῷ ἐπιμανῆναι. Heroidd. XII, 11 ei tribuuntur *flaui capilli*, *decor* et *gratia linguae.* Et multa de illa ap. Vett. *vt cetera desint*; sic et V, 527.

30 *Concurrere* pr. de conflictu proelii. *Praeda*, qui obiiciuntur vel viui, vel mortui feris deuorandi. Ita iam Homer. Il. α, 4, αὐτοὺς δ' ἑλώρια τεῦχε κύνεσσιν

Tum ferrum, et scopulos gestare in corde fatebor.
Cur non et specto pereuntem? oculosque videndo
Conscelero? cur non tauros exhortor in illum,
Terrigenasque feros, insopitumque draconem?
Dî meliora velint. Quamquam non ista precanda,
Sed facienda mihi. Prodamne ego regna parentis,
Atque ope nescio quis seruabitur aduena nostra,
Vt per me sospes, sine me, det lintea ventis,
Virque sit alterius? poenae Medea relinquar?
Si facere hoc, aliamue potest praeponere nobis,
Occidat ingratus. Sed non is vultus in illo,
Non ea nobilitas animo est, ea gratia formae,
Vt timeam fraudem, meritique obliuia nostri.

37. *velint.* Heins. maluit, *velim.* (42. Cod. Berol. *aliamne,* quod ferri possit, si post *nobis* interrogandi signum ponas et *si* pro *an* accipias; de quo v. Perizon. Animadu. Histor. p. 287 ed. Altenb. et Schwabium ad Phaedr. IV, 8, 4.) 43. *Occidat.* Duo, *decidat.* V. ad X, 10. 44. Quinque *mobilitas.* Et *mobilis Aesonides* est Heroid. VI, 109. Sed vulg. seruanda propter *vultus* et *gratia.* Pro *formae* Heins. maluit *morum*, quia praecessit *vultus.* Sed *vultus* et *forma* differunt.

33 Cf. IX, 612. Crudelissimo et durissimo pectore, χαλκεοκάρδιος, essem. Eurip. Med. 1279, ὥστ' ἄρ' ἦσθα πέτρος ἢ σίδαρος. Aeschyl. Prom. 242, σιδηρόφρων κἀκ πέτρας εἰργασμένος. Noster III Trist. 11, 3. (Saepe sic homines duri describuntur. vid. Homer. Il. π, 33 sqq. et quae ibi notauit Clark. Ouid. Heroid. VII, 37. X, 132. Ciofan. ad h. l. Burm. Sec. ad Anth. Lat. T. I p. 145 et 695. Heyn. ad Virg. Aen. IV, 365 etc.)

35 *Oculos conscelerat*, qui facinus aliquod libenter spectat. Sic *scelerare manus* Virg. Aen. III, 42. et *conscelerare aures* Liu. 40, 8. *exhortor.* Sic *hortari canes* X, 536. [cf. Heroid. IV, 42. Burm. Sec. ad Anth. Lat. T. II p. 614 et ad Propert. III, 12, 14 p. 631! *hortatibus instigare* Metam. III, 242.] *draconem*, qui multis voluminibus seruabat aureum vellus. *insopitum*, ἄϋπνον, Eurip. Med. 481. *Di meliora*, abominandi et auertendi formula. Brisson. Form. I, p. 94. Additur h. l. *velint*, quod plerumque reticetur. *Prodamne.* Nempe responsum erat Aeetae, eum regnaturum, quamdiu vellus aureum teneat. Quidam *Perdamne*, quod sane melius opp. τῷ *seruabitur.*

43 *Non is*, tam infidelis, *vultus, non ea*, tam degener, *nobilitas, non ea*, tam fallax, *gratia formae.* Non id denuntiat vultus, nobilitas, forma. Monet Burm. elegantem esse illum vsum pronominis *is.* Liu. I, 34. *Eam alitem, ea regione coeli, et eius Dei nuntium.* Plin. V Ep. 6, 13. *Ea varietate, ea descriptione oculi reficiuntur.* — *foedus*, omne id, de quo inter plures conuenit.

Et dabit ante fidem; cogamque in foedera testes
Esse Deos. Quid tuta times? accingere, et omnem
Pelle moram; tibi se semper debebit Iäson,
Te face sollemni iunget sibi; perque Pelasgas
Seruatrix vrbes matrum celebrabere turba.
Ergo ego germanam, fratremque, patremque, Deosque,
Et natale solum, ventis ablata, relinquam?
Nempe pater saeuus, nempe est mea barbara tellus,
Frater adhuc infans, stant mecum vota sororis.
Maximus intra me Deus est. Non magna relinquam,
Magna sequar, titulum seruatae pubis Achiuae,
Notitiamque loci melioris, et oppida, quorum
Hic quoque fama viget, cultusque, artesque virorum;
Quemque ego cum rebus, quas totus possidet orbis,
Aesonidem mutasse velim; quo coniuge felix,

48. *debebit.* Burm. non displicet Regii Cod. lectio *praebebit*. 58. *virorum.* Plerique *locorum*, quod impense placet Heins., modo paullo ante legatur *soli* pro *loci*. Burm. nescit, an non praestet, *cultusque habitusque virorum*, quae saepe iungantur.

48 *Se debet alteri*, qui fatetur, se omnem salutem suam ei debere. Cf. vs. 164. *mat…es*, nempe Argonautarum ob filios seruatos. Vs. 159.

53 Elegans est hic vsus vocis *nempe*, qui remouet quod obiectum est. *barbara*, nempe e sermone Graecorum. *Soror* Chalciope. Eius et Phrixi filii, ab Argonautis in Dia insula reperti, Iasonem ad Colchos ducunt matrique commendant; quae eundem Medeae sorori tradit. Hygin. f. 21. *sequar*, vel persequar, vel consequar. *Titulus*, gloria, vt IV, 645. *Cultus*, vitae ratio exculta. *Artes* cum et inuentae et excultae apud Graecos sint, commode hic fit earum mentio. Male igitur h. v. sollicitatum est. Hoc autem nos morari non debet, quod illo tempore artes nondum efflorerant inter Graecos; millies enim Noster temporum discrimen neglexit. Cf. v. c. II, 795.

60 *mutare*, permutare. *Mutare* Iasonem *cum rebus* exquisitius, quam, mutare res cum Iasone. Amat illam conuersionem etiam Horat. v. c. II od. 12, 22, *Num tu Mygdonias opes permutare velis crine Licymniae.* v. Bentlei. ad II od. 16, 19. *coni. felix.* At ab euentu αἰνόγαμος et αἰνολεχής, coniugii infelix passim ab Orph. dr. — *vertice sidera tangam.* Passim occurrunt apud poëtas Dii, qui ita se attollunt, vt vestigia ponant in terra, capite autem coelum tangant. Callim. h. Cerer. 49. Virgil. Aen. IV, 176. Hinc fluxit formula

Et Dîs chara ferar, et vertice sidera tangam.
Quid? quod nescio qui mediis concurrere in vndis
Dicuntur montes; ratibusque inimica Charybdis
Nunc sorbere fretum, nunc reddere; cinctaque saeuis
Scylla rapax canibus Siculo latrare profundo?
Nempe tenens quod amo, gremioque in Iäsonis haerens,
Per freta longa trahar. Nihil illum amplexa verebor;

poëtis familiaris (Horat. I od. 1, 36. Noster I Fast. 210.) *vertice coelum ferire*, aut *tangere*, qua primum immensa et augusta quaedam altitudo, deinde insignis quaedam et plus quam humana felicitas exprimebatur. Auson. Id. 8, 52, *tum terque quaterque beatus — tum tangam vertice coelum.*

62 Esse quidem pericula nonnulla subeunda intelligit, sed animum erigit eo, quod Iasonem suum habeat comitem. *mediis* etc. Intel. Cyaneae, insulae s. petrae contra Pontum Euxinum, quae cum propter angustum transitum ex illusione optica *concurrere* viderentur nauigantibus, συμπληγάδες, συνδρομάδες, συνορμάδες, et *concurrentia saxa* dicebantur. v. Schol. Eurip. ad Med. 2. Tournefort Voyage du Levant. To. 2. p. 149 sqq. [Adde Heins. ad h. l.]

63 Nihil in freto Siculo nobilius *Charybdi* et *Scylla*. *Charybdim, ratibus*, quas appropinquantes absorbet, hodie minus quam olim *inimicam*, efficit vehementior vndarum fluxus sibi inuicem contrarius, vt obseruavit etiam nuper Brydone *in Reise nach Sicilien* To. I. Epist. 3. Veteres autem putarunt, in mari esse vorticem, fluctus nunc *sorbentem* (*sorbere* et *resorbere*, ἀναρροιβδεῖν, pr. de vortice.) nunc *reddentem*. *Scylla* (hodie Sciglio) promontorium petrosum in litore Calabriae, ad quod maximo cum sonitu alliduntur vndae freti. Cinctum est scopulis e mari prominentibus, in quibus speluncae, quibus augetur strepitus ille vndarum. Hos ergo Veteres (Homer. Od μ. 73 sqq. Virg. Aen. III, 424.) cum *canibus* (intell. marinas) *saeuis* et *latrantibus* (quod verb. etiam de strepitu vndarum dr. Virgil. Aen. VII, 588.) compararunt, Scyllam autem ipsam cum monstro horrendo, cuius facies varie a poëtis, et in monumentis exprimitur. v. Brydone d. l. *cincta.* Sic *succincta canibus* Scylla Lucret. V, 890. Tibull. 3, 4, 89. Virg. Ecl. VI, 75. [v. Heyn. excurs. IV ad Virg. Bucol. Ceterum etiam Homer. d. l. vs. 69, Orpheus Arg. vs. 1247, Apollod. p. 65 tradunt, Argonautas illa loca penetrasse. Cf. Heroid. XII, 123.

66 *Tenere* eleganter dicimur, quem nobis donatum aut seruatum habemus, adeoque fere coniungitur cum *amplexibus*. Sic et infra vs. 143. V. ad Plin. VI Ep. 7, 1. *longa*, longinqua, vt VIII, 142. *quod amo*, vt vs. 23, *quod ames*. *Trahar* nunc non de violento raptu capiendum, sed eleganter h. v. de longis per diuersa maria laboribus usurpatur. Horat. I od. 15, 1. Valer. Flac. VII, 271. v. Burm.

Aut, si quid metuam, metuam de coniuge solo.
Coniugiumne vocas? speciosaque nomina culpae
Imponis, Medea, tuae? quin adspice, quantum
Adgrediare nefas, et, dum licet, effuge crimen.
Dixit; et ante oculos rectum, pietasque, pudorque
Constiterant, et victa dabat iam terga Cupido.
Ibat ad antiquas Hecates Perseïdos aras,
Quas nemus vmbrosum, secretaque silua tegebant.
Et iam fortis erat, pulsusque residerat ardor;
Cum videt Aesoniden, exstinctaque flamma reuixit,
Et rubuere genae, totoque recanduit ore.

70. *Imponis.* Francof. *praetendis.* (76. In vno Ciofan. tribus Vatic. vtroque Maffeian. Heidelb. multisque aliis codd. legitur *Et iam fractus erat pulsusque resederat ardor.* Codd. Briant. Caelest. Abbat. vnus Ciof. aliique *fortis erat*, quod praetulerunt Intqq. *residerat* Bernegg. et tres Heinsii, vnde hic cor. *Et i. fortis erat fractusque residerat ardor. pulsusque* tuetur Burm. *fractusque* autem H. Vossio placet. E.) 78. Vnus Ciof. et Heidelberg. *excanduit*. Francius volebat *incanduit*. G. — Pro *et rubuere*,

69 Virg. Aen. IV, 172, *Coniugium vocat, hoc praetexit nomine culpam.*

74 De hac fab. parte cf. Apollon. III, 838 sqq. Ap. Orph. 874 sqq. Medea clam noctu venit ad Iasonem Argoamque nauem. *Hecates*, cuius sacerdos Medea, et quae praeerat veneficiis. Apollon. III, 500. Aen. IV, 511. Claud. 33, 15. *Perseidos*, quia Persae filia. Hesiod. Theog. 419. Quantopere venerata sit Medea Hecaten, vid. apud Eurip. Med. 395 sqq. *Secreta silua*, circumlocutio luci, et vs. 95 *lucus* vr. Non igitur erat, cur Burm. *secreta* in *sacrata* mutari vellet. Hoc ipsum *nemus* descripserunt Orph. 909 sqq., Noster Heroidd. XII, 67.

76 *Fortis*, confirmato aduersus amorem animo. *reuixit.* Flamma eleganter dr. *viuere*, *mori* et *reuiuiscere.* v. Heins. *recanduit*, recaluit et rubore suffusum est totum os. Amat Ouid. h. v. Ap. Orph. 879 sqq. plus etiam facit; cum impetu irruens ampleotitur Iasonem et osculatur etc. Sed Noster magis decorum seruauit. Apollon. III, 963, θερμὸν δὲ παρηΐδας εἷλεν ἔρευθος. *Alimenta* ignis *adsumit*, sumit, a lignis, h. l. a ventis, i. excitatur, i. q. mox *agitatur.* Similitudo a *scintilla* petita legitur et Apollon. III, 291 sqq. *inducta.* Lactant. Opif. 18, 4, *Latet ignis obducto cinere sopitus.* — *Lentus* de adfectibus frigidis et remissis. Heroidd. XV, 169, *lentissima pectora.* Amorr. I, 8, 76, *Neue lentescat amor.* — *Vt vidit* etc. Heinsius reiecit h. vs. vt otiosum. At Ouidius non solet in similitudinibus apodosin supprimere. Lenzio etiam vs. 82 spurius videbatur, quia de reuiviscente amore iam vs. 77 dictum, putatque, Nostrum plures interdum versus apposuisse, vt, si quando retractaret opus, meliores eligeret. Idem et censet, *praesentis* post *vidit* otiosum esse. Immo vrgetur notio primaria.

Vt solet a ventis alimenta adsumere, quaeque
Parua sub inducta latuit scintilla fauilla,
Crescere, et in veteres agitata resurgere vires:
Sic iam lentus amor, iam quem languere putares,
Vt vidit iuuenem, specie praesentis inarsit.
Et casu, solito formosior Aesone natus
Illa luce fuit. Posses ignoscere amanti.
Spectat, et in vultu, veluti tum denique viso,
Lumina fixa tenet; nec se mortalia demens
Ora videre putat; nec se declinat ab illo.
Vt vero coepitque loqui, dextramque prehendit
Hospes, et auxilium submissa voce rogauit,

quod Heins. reposuit, Berol. aliique plurimi exhibent *Erubuere*, quod cum Ciofano Bothius defendit, quoniam asyndeton melius conueniat turbato Medeae animo. 82. 83. Vs. 83 spurium iudicauit Heinsius, quoniam, vt Burm. monet, amor non recte dicitur *inardere specie iuuenis*. Vs. 82 praeterea suppositum ab alio habet Burm., quoniam non soleat Ouidius ita comparationes claudere: „vt scintilla solet resurgere in veteres iras, ita lentus amor; sed addi deberet, sic iam lentus amor et iam languere visus, noua incrementa capit, vel simile quid." Desiderabat tamen versum genuinum, qui reponeretur. Vtrumque vers. etiam reiecit Schrader, qui tamen negat (Emendatt. c. XI, p. 208 sq.) alium vs. desiderari. Nihil enim deesse monet comparationi: Amantis Medeae restincta flamma ad Iasonis adspectum reuixit; vt solet a ventis . . . resurgere vires. Similes comparationes legi IV, 362. V, 570. XII, 276. VI, 46 — 49. Inficetam esse repetitionem verborum *videt*, *vidit* et sententiarum vss. 76, 77, et 82, 83. Defendit vs. 83 Bothius contra Burmannum. Etenim vbique ap. poëtas ardor, flamma, ignis etc. dicitur pro amore. Vncinas etiam remouit Vossius. Possent hi vss. abesse, neque tamen contra codd. consensum reiiciendi sunt. Nec video, quid iustae comparationi desit. Imo amor iam lentus et nunc denuo inardescens bene respondet scintillae in veteres vires resurgenti. Sumsisse autem videtur Ouidius totum h. l. ex Apollon. III, 293 — 98. E. 84. *solito.* Multi *subito*, quod non displicet Heinsio.

85 *Illa luce*, illo die. De vi illius pulchritudinis in animo Medeae cf. Apollon. III, 443 sqq. Nec video, cur Burm. locutio, *amor specie*, decore et pulchritudine, *praesentis inarsit*, parum latina visa sit, cum Quinctil. Inst. Or. XI, 3, 2 dixerit, *Adfectus, si languescant, voce, vultu* etc. *inardescere.*

89 Cf. VIII, 32 sqq. *Submissa vox*, tenuis et exilis, qua vtuntur amatores verecundi, cum pudore et reuerentia amorem fatentes. Ita *submisso sono* loqui ap. Tibul. III, 1, 22. [v. ibi Heyn.] Sic infra XI, 187 *voce parua*. Vir doctus in Miscel. Obseru. Vol. II. T. 1. p. 36 blandam interpretatur, Burm. et Lenzius supplicem. Rode, mit sanfter Stimme. — *Verum*, rectum.

Promisitque torum; lacrimis ait illa profusis:
Quid faciam video; nec me ignorantia veri
Decipiet, sed amor. Seruabere munere nostro;
Seruatus promissa dato. Per sacra triformis
Ille Deae, lucoque foret quod numen in illo,
Perque patrem soceri cernentem cuncta futuri,
Euentusque suos, et tanta pericula iurat.
Creditus accepit cantatas protinus herbas,
Edidicitque vsum, laetusque in castra recessit.
Postera depulerat stellas Aurora micantes:
Conueniunt populi sacrum Mauortis in aruum,
Consistuntque iugis. Medio rex ipse resedit
Agmine purpureus, sceptroque insignis eburno.
Ecce adamanteis Vulcanum naribus efflant

96. *cernentem*. Basil. vnus et Palat. vnus, *seruantem*, quod valde placeret Burm., nisi bis idem verb. praecessisset. 99. *castra* pro *tecta* ex Louan. recepit Burm. 103. *insignis*. Nonnulli, *innixus*.

94 Hecate τριπρόσωπος, τρίμορφος, τρισσοκάρηνος, *triformis*, *tergemina* etc. vel quia triplex caput. equi, canis, leonis habebat. (Orph. Arg. 974.) vel quia in triuiis colebatur statuis tricipitibus. Nost. Fast. I, 141. In coelo, in terra, apud inferos versabatur, eademque erat et Luna, et Diana et Proserpina, v. Cerda [et Heyn.] ad Virg. Aen. IV, 511. — *Pater* Aeetae fuit *Sol*, *cuncta cernens*. Solet autem *per* ita repeti ab Ouid. v. Burm. ad A. A. I, 96. *creditus*, fides ei habita. *cantatas*, incantatas, fascinatas. Medea incantatrix et venefica insignis, et Colchis venenorum praesentissimorum ferax. Ap. Pindar. P. IV, 392 sqq. Apollon. III, 1041 sqq. et Apollod. d. l. dat φάρμακον, quo Iason se et arma sua inungat. Multo operosius res agitur Orph. 955 sqq. *castra*, locus, vbi consederant Argonautae, et vbi in statione nauis. Apud Apollon. III, 1148 Iason εἰς ἑτάρους καὶ νῆα κεχαρμένος ὤρτο νέεσθαι.

100 Cf. Apollon. III, 230 s. 409 s. 1268 sqq. Hic consessus spectantium, terribilis taurorum natura, Iasonis pugna bene et ordine describuntur. *Populi*, incolae. *Iugis*, nempe Caucasi, quibus illud *aruum*, ager, includebatur. Apollon. d. l. *Resedit* melius est, quam aliorum *sedebat*, vt actus residendi commemoretur, quod bene respondet verbis *conueniunt* et *consistunt*. Itaque nec vs. seq. *innixus* sceptro verum esse potest; sed *insignis* bene conuenit voc. *purpureus*. purpurea veste ornatus, vt VIII, 33.

104 Primus laborum numerus. Cf. Apollon. III, 1298 seqq. Erant duo tauri χαλκόποδε, στόματι φλόγα φυσιόωντε. *Aes* robur pedum significat. πυρπνόοι iam dicti Antimacho. Inde et habebant χάλκεα στόματα. Nostro *adamanteas*, ferreas, *nares*. *Vapores*, ignes. Claudian. 28, 346 sunt ignes fulminis, quibus ferrum dissoluitur.

Aeripedes tauri; tactaeque vaporibus herbae
Ardent. Vtque solent pleni resonare camini,
Aut vbi terrena silices fornace soluti
Concipiunt ignem liquidarum adspergine aquarum:
Pectora sic intus clausas voluentia flammas,
Gutturaque vsta sonant. Tamen illis Aesone natus
Obuius it. Vertêre truces venientis ad ora
Terribiles vultus, praefixaque cornua ferro,
Puluereumque solum pede pulsauere bisulco;
Fumificisque locum mugitibus impleuere.
Diriguere metu Minyae. Subit ille, nec ignes
Sensit anhelatos; (tantum medicamina possunt)
Pendulaque audaci mulcet palearia dextra;
Suppositosque iugo pondus graue cogit aratri
Ducere, et insuetum ferro proscindere campum.
Mirantur Colchi; Minyae clamoribus implent,

106. *Ardent.* Heins. mauult, *arent.* 107. *terrena.* Burm. coni. *Tyrrhena.* Cum enim in Etruria multae fuerint figulinae, veri non esse dissimile, et calcem ibi esse coctam. 120. *implent.* Vulgo, *augent.*

106 Par erat vehementiam vaporum similitudinibus illustrare. Prior probanda est, non item posterior; *silices* enim adspergine aquae stridorem edunt, alienum illum a faucibus taurorum. Apollon. d. l. eos cum follibus comparat ignem cum strepitu excitantibus. *terrena*, ex lateribus coctis constructa, *silex*, calx cocta, quae vbi arsit in fornace, aquis accenditur, Plin. 36, 23. *Pleni*, nempe flammarum. *soluti*, mites facti. *Voluere* exquisitius, quam, vomere. Illud enim simul volumina exprimit et globos flammarum ex ore prodeuntium. Tibul. III, 4, 86, *flammam voluens ore Chimaera fero.* [v. ibi Heyn.] *vsta*, ardentia.

112 *Praefixa ferro*, praefixo ferro, omnino ferrea. *Puluereumque* etc. pulsauerunt solum sic, vt puluis spargeretur, more taurorum pugnantium. Senec. Ira I, *Cornua iactantur in vacuum et arena pulsu pedum spargitur.*

116 *medicamina*, herbae incantatae, venena, φάρμακα. Inde φαρμακεύτριαι, incantatrices, et φαρμακεύεσθαι, incantare. Noster Heroid. XII, 15, *Isset anhelatos non praemedicatus in ignes.* — *palearia.* v. ad II, 854. De *iugo* v. ad II, 109, vnde apparet, tauros recte dici *supponi* iugo. *Pondus* etc. Apollon. III, 232, στιβαροῦ ἀδάμαντος ἀρότρου. *Insuetus*, quia Marti sacer, vs. 101, quem adeo aratro proscindere nefas.

120 *clamaribus implent*, nempe Iasonem, de repetitis clamoribus hortantium accipiendum. Sic excitati drr. *pleni hortantium vocibus.* In se autem *implere* vim hortandi habere, quod Heins. putabat, non credo, et in locis ab ipso congestis additur *hortatibus*, *animis* etc.

Adiiciuntque animos. Galea tum sumit aëna
Vipereos dentes, et aratos spargit in agros.
Semina mollit humus, valido praetincta veneno;
Et crescunt fiuntque sati noua corpora dentes.
Vtque hominis speciem materna sumit in aluo,
Perque suos intus numeros componitur infans,
Nec nisi maturus communes exit in auras;
Sic vbi visceribus grauidae telluris imago
Effecta est hominis, foeto consurgit in aruo;
Quodque magis mirum, simul edita concutit arma,
Quos vbi viderunt praeacutae cuspidis hastas
In caput Haemonii iuuenis torquere paratos;
Demisere metu vultumque animumque Pelasgi.
Ipsa quoque extimuit, quae tutum fecerat illum;
Vtque peti iuuenem tot vidit ab hostibus vnum,
Palluit, et subito sine sanguine frigida sedit.
Neue parum valeant a se data gramina, carmen

123. *praetincta* dedit Constant. Fan. Olim, *praeuncta.* In vno Regio et vno Gronou. *praecincta.* (130. *mirum est* Berol. et Heidelb. 131. Berol. aliique *peracutae.*) 132. *parantes* Heins. vnius Medic. auctoritate expulit. Defendi tamen potest ex III, 115. G. — 135. *vidit iuuenem tot ab hostibus* cod. Heidelberg., quem ordinem verborum numerosiorem dicit Bothius.

122 Partem dentium serpentis illius, quem Cadmus interfecerat (III fab. 1.), Aeetae dederat Minerua. Apollon. III, 1183. Apollod. d. l. Tzetz. in Lycophr. p. 36. *Praetincta*, infecta, habentia venenum. De satis his hominibus Virg. G. II, 142 ornatius, *galeis densisque virum seges horruit hastis.*

126 *numeros.* v. ad I, 428. *componitur*, absoluitur. *maturus*, IX, 282. *communes.* v. I, 135.

128 Similitudo obuia. I, 420. *Viscera* saepe de terra, sed h. l. cum vi, quia liberi inter *viscera matris* concipi drr. Senec. ad Helu. 16. *Imago hominis*, homo. *Effecta* dici, quae quasi artificis manu perfecta sint et elaborata, tradit Burm. Passim de structura membrorum corporis humani occurrit. *foetus*, qui modo peperit, enixus est, vt *foeta vulpes* Horat. III od. 27, 4. [v. ibi Bentl.] *foetae capellae* Virg. Ecl. I, 50. [cf. Heynii notam.] *consurgit*, vt planta, quae *surgere* dr., cum enascitur. *concutit.* V. ad I, 143.

131 *Praeacutae.* Hoc voc. multis auctoritatibus confirmat Heins. Amat Noster talia, vt *praefrigidus*, *praelustris*, illustris, *praesignis*, insignis. *paratus* pr. de milite. v. Graeu. ad Cic. Catil. III, 7. *Demisere* etc. v. ad II, 601. Cf. Heroid. XII, 97. *tutum*, inuiolabilem.

137 *Carmen*, formula magica. Formulis vim maximam tribuebant veteres etiam in sanandis hominibus. Homer. Od. τ, 457. Pindar. Pyth. III, 91. *Aduocat*

Auxiliare canit, secretasque aduocat artes.
Ille, grauem medios silicem iaculatus in hostes,
A se depulsum Martem conuertit in ipsos.
Terrigenae pereunt per mutua vulnera fratres,
Ciuilique cadunt acie. Gratantur Achiui,
Victoremque tenent, auidisque amplexibus haerent.
Tu quoque victorem complecti, barbara, velles;
Obstitit incepto pudor: et complexa fuisses,
Sed te, ne faceres, tenuit reuerentia famae.
Quod licet, adfectu tacito laetaris, agisque
Carminibus grates et Dîs auctoribus horum.
Peruigilem superest herbis sopire draconem,
Qui crista linguisque tribus praesignis, et vncis
Dentibus horrendus, custos erat arietis aurei.
Hunc postquam sparsit Lethaei gramine succi,

145. Genuinum hunc versum habet H. Vossius, notante eum Heinsio. Defendit eum etiam Bothius, qui tamen cor. *Te quoque vict. c. b. velles (Obstitit i. pudor); aut complexa fuisses, Sed te* etc. Sed v. Gierig. in notis. In cod. Heidelb. vs. 145 legitur post vs. 146. 151. Omnes codd. *arboris aureae*, nisi quod Hamburg. pro diuersa lect. *arietis auri*, vnde Heins. cor. *arietis aurei*. Bothius mauult *arboris auri* i. e. arboris ex qua pendebat aurum.

bene se habet, et conuenit voc. *auxiliare*; est enim in auxilium vocare. (Alii auten codd. *adiicit, addidit, admouet, adiuuat.*)

143 Aduolant et redeuntem amplectuntur. De *tenuere* v. ad vs. 66. *pudor*, quo verebatur virgo virum complecti; sed hunc pudorem vicisset, nisi reuerentia famae eam *tenuisset*, retinuisset. Sic nihil hic otiosum. Non igitur erat, cur Heins. vs. 145. spurium iudicaret, Lenzius vero eum cum seq. in vnum conflari vellet, vt verba *ét complexa fuisses; Sed te ne faceres* ex glossa illata essent. *agis gratias carm.*, agnoscis deberi hoc carminibus, du verdankst es den Formeln.

149 Tertius numerus laboris, vellus aureum in luco Martis ex arbore suspensum et a dracone seruatum. Apollon. IV, 100 sqq. 162 — 66. *Draco* describitur Orph. 926 sqq. Heroidd. XII, 101. VI, 13. Erat *ἄμμορος ὕπνου*, *peruigil.* De *linguis tribus* v. ad III, 34. *Arietis aurei* dedit Heins. vnius Ms. ductu pro *arboris aureae*, quod ei durum videbatur de arbore vellus aureum ferente. Sed in *ariete aureo* metonymia non lenior. Suspensum autem vellus e sacra fago ita, vt speciem arietis ramo insidentis praeberet. Orph. 924, ibique Gesn.

152 *Lethaeus*, habens vim soporificam, vt *lethaea papauera* Virg. G. IV, 545. Ap. Orph. 1002 ipse Orpheus Somnum aduocat, vt veniens sopiat vim draconis. *quae concita* etc. ex Apollon. III, 532, *φάρμακα, τοῖς καὶ ποταμοὺς ἵστησιν ἄφαρ κελαδεινὰ ῥέοντας.* Cf. infra vs. 199. *ignotos*, quos somnus numquam

Verbaque ter dixit placidos facientia somnos,
Quae mare turbatum, quae concita flumina sistant;
Somnus in ignotos oculos aduenit; et auro
Heros Aesonius potitur; spolioque superbus,
Muneris auctorem secum, spolia altera, portans,
Victor Iolciacos tetigit cum coniuge portus.

Aeson. Haemoniae matres pro gnatis dona receptis,
Grandaeuique ferunt patres; congestaque flamma
Tura liquefiunt, inductaque cornibus aurum
Victima vota cadit. Sed abest gratantibus Aeson,
Iam proprior leto, fessusque senilibus annis.
Tum sic Aesonides: O cui debere salutem

154. *Sistant* octo codd. Reliqui *sistunt*, quod defendi potest ex Apollon. III, 532. E.

oppresserat. Senec. Med. 472, *somno lumina ignoto dare.* Somnus eleganter dr. *repere, obrepere, subrepere, irrepere,* v. Heins. sed non minus eleganter *venire, abire, redire.* v. Burm. Male igitur Heins. contra Mss. auctoritatem dedit *subrepit* pro, *aduenit* pro quo alii Mss. tantum, *vbi venit*, *nunc* aut *huic*, aut *sibi venit.*

158 *Iolcos*, vrbs Thessaliae, Iasonis patria. Eam intrasse Iasonem reducem diserte tradunt poëtae, Eurip. Med. 484. Hygin. fab. 24. Hesiod. Theog. 997, εἰς Ἰωλκὸν ἀφίκετο — ἐπὶ νηὸς ἄγων ἑλικώπιδα κούρην.

FAB. II, 159 — 294. *Aeson ex sene in iuuenem.* Fabulam narrauerat Auctor carminis Νόστοι, vnde duos versus seruauit Schol. Aristoph. ad Eq. 1318. Secundum Pherecydem et Simonidem Medea ipsum Iasonem reddidit iuuenem. De iis, quae Medea in Thessalia fecit, v. Boettiger in Expl. vasorum pictorum. Palaeph. cap. 44. putat, Medeam inuenisse et succum quendam, quo cani redderentur nigri (de quibus χρίσμασι πολλῶν v. Casaub. ad Theophr. II.) et sudationem s. fomentationem, quae dicta fuerit παρέψησις, concoctio, atque ea in re eam vsam esse aënis, lignis et igne.

159 *Dona*, donaria, ἀναθήματα. *ferunt*, nempe templis. Pro felici filiorum, amicorumue reditu victimae et *voueri* et mactari solebant. *Cadere* verb. pr. de victimis mactatis. v. Heins. Cf. Heroid. VI, 73 sqq. Victimarum cornua *inaurari* interdum solebant. Homer. Od. γ, 384. Brouckh. ad Tib. I, 15. *Congesta* multitudinis notionem inuoluit, constipata, in altum exstructa, *liquefiunt*, incenduntur. Ita *liquescere* Horat. I Sat. 5, 99. Simillimus est locus VIII, 265 sqq. nam ibi quoque haec tria, victimae, tus, donaria commemorantur. Cf. etiam Heroid. I, 25, *Argolici rediere duces: altaria fumant: Ponitur ad patrios barbara praeda Deos. Grata ferunt Nymphae (nuptae) pro saluis dona maritis.* [v. ibi Burm.] *gratantibus* Ciofan. male explicat, Iasoni felicem reditum gratulantibus. *Gratari* nunc, Diis gratias agere pro felici reditu. Inde *gratulationes*, dies festi, de re laeta. *fessus*, fractus, debilitatus.

Confiteor, coniux, quamquam mihi cuncta dedisti,
Excessitque fidem meritorum summa tuorum;
Si tamen hoc possunt, (quid enim non carmina possint?)
Deme meis annis; et demtos adde parenti.
Nec tenuit lacrimas. Mota est pietate rogantis;
Dissimilemque animum subiit Aeeta relictus.
Non tamen adfectus tales confessa, Quod, inquit,
Excidit ore pio, coniux, scelus? ergo ego cuiquam
Posse tuae videar spatium transcribere vitae?
Non sinat hoc Hecate nec tu petis aequa; sed isto,
Quod petis, experiar maius dare manus, Iäson.
Arte mea soceri longum tentabimus aeuum,
Non annis reuocare tuis. Modo Diua triformis
Adiuuet, et praesens ingentibus adnuat ausis.
Tres aberant noctes, vt cornua tota coirent,

168. Quidam *meos annos*, vnde Heins. coni. *meis annos*; et mox *paternis*. (177. Codd. Berol. Heidelb. aliique *renouare*. Alterum tamen, vt magis poëticum cum Intpp. praefert Burm. Sec. ad Lotich. p. 97.)

170 Rediit Medeae in *animum*, Iasonis pietati *dissimilem*, Aeetes pater, erga quem *relictum* satis impia fuerat. Sic omnia plana; nec erat, cur Burm. suaderet *difficilem*, i. durum et inexorabilem. *Tales adfectus*, animum pietate Iasonis commotum; non *confessa*, nec vultu prodidit, nec verbis, sed potius obiurgauit Iasonem. Itaque non magnopere mihi placet *pio*, quod pro *tuo* ex Neap. Vrbin. Bernegg. et aliis quibusdam induxit Heins.

172 *Ergo* cum indignatione efferendum. *spatium transcribere vitae*, numerum annorum tuorum tibi demtum alteri addere. Est autem *transcribere* verb. foeneratorum, qui pecunias aliis creditoribus *transcribunt*. *Non sinat hoc* auerruncandi formula.

179 Sequitur loc. classicus de arte magica, de qua multi poëtae latini, genium suae aetatis secuti. Horat. Epod. V. XVII. Sat. 1, 8. Virg. Ecl. XIII. Aen. IV, 504 sqq. Lucan. VI, 402. Noster Fast. V, 429. ad quae loca Intt. istas teratologias satis illustrarunt. (Adde Heroid. VI, 83 sqq. Amor. I el 8. Met. XIV, 403. Sabin. ep. III, 80 sqq. Propert. I, 1, 19 sqq. IV, 5, 13.) Cf. etiam Apollon. III, 1028. Noster in primis imitatus est loc. ex Aeneide. Summa autem erat artis magicae auctoritas. Plin. XXX, 1. Nata erat ex medicina, hinc herbae, carnes animalium, et carmina, quibus et ipsis vim sanandi inesse credebat superstitiosa multitudo, adhibebantur. Addebantur religionis vires, hinc ritus illi diuini, — Ad Lunam, eamque plenam, exerceri solebant illae artes, quibus Hecate, quae eadem et Luna, praeerat. *coire*, iungi, quod vs. 530 legitur. Sed *cogi* sic X, 295. *tota*,

Efficerentque orbem. Postquam plenissima fulsit,
Et solida terras spectauit imagine Luna;
Egreditur tectis, vestes induta recinctas,
Nuda pedem, nudos humeris infusa capillos;
Fertque vagos mediae per muta silentia noctis
Incomitata gradus. Homines, volucresque ferasque
Soluerat alta quies; nullo cum murmure sepes,

182. Heins. coni. *adducta recinctas*, vel, *incincta reductas*. 183. Nonnulli *pedes*, et mox *nudis*. Sed *nudi capilli* etiam IV, 261. 186. Olim vulg. *nullo cum murmure serpens, Sopitis similes nullo cum murmure sepes Immotaeque* etc. Quies recte quidem *serpere* dr, quando latenter membris infunditur; sed quo iure additur *nullo cum murmure?* Tum repetitio eorundem verborum vs. seq. molestissima est. Itaque Naugerius, Scaliger et Heins. viderunt, legendum esse, *sepes, Immotaeque*, mediis exclusis, quae etiam absunt a Mss. quibusdam. G. Abest medius versus ab vno Farnab. cod. vno Mediceo et paucis Naugerii; et damno esse ei potuit. ὁμοιοτέλευτον, *nullo cum m. serpens* et *nullo c. m. sepes.* Defendit h. v. Bothius, legens: *nullo it cum murmure serpens, Sopitae similis; nullo cum murmure sepes* etc. In vno Maffei cod. enim legitur, *Nullo cum murmure serpens Sopita similis; nullo cum murmure sepes* etc. Imaginem serpentis per noctis vmbras tacite errantis, nec dormientis, satis elegantem et ad augendum terrorem aptissimum esse monet Bothius. Nec tamen h. l. apta est. Repetito verborum *nullo cum murmure* non offendere potest. Conf. Virg. VIII, 271, 272. Metam. I, 325, 326. ibiq. not. I, 361, 362. VII, 246, 247. *Sopitae*, quod ille vulgatum dicit, quanam auctoritate nitatur, nescimus. In codd. *sopito* aut *sopitis. it* e coniect. dedit Bothius. Omisso vero versu pro *immotaeque* Heins. cor. *Sopitaeque*, vt *Sopiti titiones* ap. Petron. sed vulgat. recte tuetur Burm., etsi Vossius Heinsio accedat. E.

in totum, ex toto. *Imago solida*, orbis plenus. *Solidum*, cui nihil deest. Cumulat verba et idem quater dicit.

183 Virg. 518. *Vnum exuta pedem vinclis, in veste recincta,* vbi Heyn. notat, eum habitum expressum esse in signis Veterum, etiam in vasis Etruscis. Sed Fast. d. l. *habent gemini vincula nulla pedes.* Horat. I Sat. 8, 24, currit *pedibus nudis passoque capillo.* — *recinctas,* soluta zona. Virg. d. l. Sed apud Horat. Sat. d. l. currit *succincta*, quo expeditior esset. *Expedita Sagana* est Epod. V, 25. De *mutis silentiis* v. ad IV, 433.

185 Magae noctu artes suas exercebant. Hoc notatur a poëtis, et ab omnibus eodem modo nox describi solet, a quiete volucrium, ferarum, etc. Noster respexit Aen. IV, 522 sqq., vbi et haec, *siluae quierant*, *tacet omnis ager*, *pecudes pictaeque volucres* etc. *Quies*, somnus, frequenter dr. artus, oculos etc. antea intentos et occupatos, *soluere*, i. remittere, relaxare. Hinc ὕπνος λυσιμελής apud Homer. Occurrit etiam *solui in somnum*, vt paullo post. — *immotae*, non agitatae ventis.

Immotaeque silent frondes; silet humidus aër:
Sidera sola micant. Ad quae sua brachia tendens,
Ter se conuertit; ter sumtis flumine crinem
Irrorauit aquis; ternis vlulatibus ora
Soluit, et in dura submisso poplite terra,
Nox, ait, arcanis fidissima, quaeque diurnis
Aurea cum Luna succeditis ignibus, astra,
Tuque triceps Hecate, quae coeptis conscia nostris
Adiutrixque venis, cantusque artesque magarum,
Quaeque magas, Tellus, pollentibus instruis herbis,
Auraeque et venti, montesque, amnesque, lacusque,
Dîque omnes nemorum, Dîque omnes noctis adeste;
Quorum ope, cum volui, ripis mirantibus, amnes
In fontes rediere suos; concussaque sisto,
Stantia concutio cantu freta; nubila pello,
Nubilaque induco; ventos abigoque, vocoque;
Vipereas rumpo verbis et carmine fauces;

199. *mirantibus.* Sine caussa Francius malebat, *arentibus.*
203. *verbis.* Duo, *herbis.* Sed v. vs. 330.

188 Notus mos manus porrigendi ad eos Deos, quos adorabant; quod cum faciebant, simul in orbem *se conuertebant.* v. Dacier ad Horat. III od. 26, 5. *Vlulatus* et *vlulare* de Magis etiam XIV, 405, et Horat. Sat. I, 8, 25. Virg. 510, *Ter centum tonat ore Deos.* *Ternarius* numerus inferis sacer. *flumine sumtis.* Ea aqua vim purgandi habebat. [cf. Fast. V, 435. Solebant aquà se proluere sacra facturi, quoniam in sacris omnia pura esse debebant. Burm. Sec. ad Anth. Lat. T. I, p. 36.] Sed Horat. Ep. 5, 25, Aen, 312, *Auernalis aqua* adhibetur.

193 Qui hic inuocantur, *magici Dii* drr. Tibul. I, 2, 62. *Luna* et *Hecate* eadem Dea; sed alias vires huius numinis declarabat Hecates nomen, alias Lunae. Hinc et *Hecate* atque *Diana* sic iunguntur a Virg. et Horat. *cantusque artesque.* hinc incantatrix apud Sophocl. Trach. 1009, ἀοιδὸς καὶ χειροτέχνης. *pollentibus.* vid. IV, 49. et not. ad I, 522. Vt *cantus* et *artes*, sic mox *montes*, qui, vt *amnium* ripae, herbas suppeditabant, 224 — 31 inuocat.

199 Eadem ap. Horat. Ep. V, 45 s. Aen. IV, 487. Inprimis Noster Tibul. I, 2, 43 — 52. secutus est. Cf. Propert. IV, 5, 11 sqq. [Am. I, 8, 6. II, 1, 26. Sabin. III, 87] *concussa* commota, vt VI, 691. Cf. Heroid. VI, 83.

203 *rumpo*, disrumpo. Amor. II, 1, 25, *Carmine dissiliunt, abruptis faucibus, angues.* Virg. Ecl. VIII, 71, *Frigidus in pratis cantando rumpitur anguis,* vbi v. Heyn. [Lucan. VI, 489.]

Viuaque saxa, sua conuulsaque robora terra,
Et siluas moueo; iubeoque tremiscere montes;
Et mugire solum, manesque exire sepulcris.
Te quoque, Luna, traho, quamuis Temesaea labores
Aera tuos minuant. Currus quoque carmine nostro
Pallet aui, pallet nostris Aurora venenis.
Vos mihi taurorum flammas hebetastis, et vnco
Haud patiens oneris collum pressistis aratro.
Vos serpentigenis in se fera bella dedistis;
Custodemque rudem somni sopistis; et aurum,
Vindice decepto, Graias misistis in vrbes.
Nunc opus est succis, per quos renouata senectus

207. *Temesaea* primus e Mss. produxit Constant. Fanens. Vulg. *temerata*. G. — *luna* minuscula litera scribi iubet H. Voss. 208. Bothius suadet. *currus a carmine.* 209. *Pallet aui* est correct. Heinsii, quam probat Burm. Sec. ad Lotich p. 35. Codd. *Pallent et pallet*, nisi quod pro *et* alii *ac* alii *aut* exhibent. Ex vulgari lectione verba *Currus quoque carmine nostro pallent* cum antecedd. iungenda et de Lunae defectu intelligenda esse videntur. E. 212. *fera.* Quidam *noua*, quod non plane spernendum. *Nouum* enim passim, quod in suo genere singulare, inauditum. (215. Cod. Sprotian. et Reg. *reuocata*, quod magis poëticum esse contendit Burm. Sec. ad Lotich. p. 97. E.)

Gesner. *rumpere* in his loc. explicabat, a nocendo cohibere; quod sane magi facere solent etiam hodie in Aegypto, vt memini me legere in Nordii Itinerario. Atque ita Silius III, 301, *Ad quorum cantus serpens oblita veneni*, *Ad quorum tactum mites iacuere cerastae.* Qui id faciunt, eos Graeci ἀσπιδοθήρας et ὀφιοδιώκτας appellabant. [cf. Tibul. I, 8, 20.]

204 *Viua*, illo ipso loco nata, nec vmquam loco mota manibus hominum. Sic et *sua terra*, in qua *robora*, quercus, nata. *Manes* excitabant, vt responsa darent. Horat. Sat. d. l. et Epod. XVII. [Tibul. I, 2, 47. Am. I, 8, 17.]

207 v. ad IV, 333. *traho.* Etiam *deducere* et *deripere* vsitatum. *Temesa* vrbs Bruttiorum, iam Homeri temporibus aeris fodinis clara. Homer. Od. α, 184. Strabo VI. p. 393. *Temesaea aera* etiam Fast. V, 441. Stat. Silu. I, 47. Sed Schirach. stat pro vulgata lect. *temerata*, quam sane Mss. omnes agnoscunt, mouetque, *temerari* dici *aera*, cum pulsentur, ne incantationes audiantur a Luna. *Temerare* enim esse omnino violare, polluere. Bene, sed num ideo etiam pulsare? *Auus* Medeae erat Sol.

210 *hebetare flammas*, frangere vim flammarum, paullo audacius. *serpentigenae.* Supra III, 531 Thebani, *anguigenae* et Fast. III, 865 eorum vrbs *draconigena*, quae tria vocabb. ab Ouidio signata videntur. *rudem somni*, expertem somni, peruigilem. De syntaxi vid. Heins. — *micantia sidera* res ominosa.

In florem redeat, primosque recolligat annos.
Et dabitis; neque enim micuerunt sidera frustra;
Nec frustra volucrum tractus ceruice draconum
Currus adest. Aderat demissus ab aethere currus.
Quo simul adscendit, frenataque colla draconum
Permulsit, manibusque leues agitauit habenas;
Sublimis rapitur, sublataque Thessala Tempe
Despicit. Oetaeis regionibus adplicat angues;
Et quas Ossa tulit, quasque altus Pelion herbas,
Othrysque, Pindusque, et Pindo maior Olympus,
Perspicit, et placitâ partim radice reuellit,
Partim succidit curuamine falcis aënae.
Multa quoque Apidani placuerunt gramina ripis,

222. *sublataque* Burm. ex vno Gronou. dedit, vt vs. 355. *sublata in aëra.* Caeteri tamen Mss. *subiectaque*, quod Burm. posthabebat tamquam superfluum, cum *despicere* iam significet ex alto despectare subiecta loca. Sed hoc est nihili. VIII, 573, *Aequora prospiciens oculis subiecta.* Infra 779, *collis subiectis imminet aruis.* G. — 223. *et certis regionibus* quinque codd., quod non displicet Burm., qui *certis* ita accipit, vt Heroid. VI, 90 *certa ossa.* Reliqui codd. *et cretis*, quod defendit Bothius et explicat *decretis*, constitutis, vt Tacit. Ann. XV, 14 *quid de Armenia cernerent.* 226. *placita* ex sec. Medic. prim. Vatic. Oxon. et tribus aliis dedit Heins. Vulgo *placitas*, quod placet H. Vossio. Berol. et Heidelberg. *plantas.*

Currus *serpentibus* tractus et V, 642, VIII, 795. Medeae currum auus mittit ap. Eurip. Med. 1321. et infra 398. *Serpentium* vsus in magicis.

221 Medeae iter. *Permulsit.* Dracones enim, quibus Dii hominesque vehuntur, placidi describuntur a poëtis. Barth. ad Claudian. Rapt. I, 13. *Thessalia* ferax herbarum venenatarum et abundans magis. Tibul. II, 4, 56. Et in ea terra nunc erat Medea. *Creteis* Heins. explicat, cretosis, et addit, Thessaliam cretae fuisse feracissimam. Mira tamen certi cuiusdam loci descriptio. Mss. omnes praeter vnum, vnde Heins. habet *creteis*, legunt *cretis*, quod interpretabantur vel secretis, vel visis, vel discretis. Recepi Burm. coniect. *Oetaeis*; nam in Cod. Rottendorph. adscripta erat glossa, *Isti montes circumdant Thessaliam.* Lenzius suadet, *Crethei regionibus*, i. Thessaliae, quia *Cretheus* pater Aesonis. Ita vero ineptit poëta, despicit Thessaliam et versus Thessaliam flectit currum. Neque verb. *applicat* nisi montibus conuenit, quos illa iam petit. Sumtum autem a nautis. III, 598.

226 Nec *radices* spernebantur a magis. vs. 264. Horat. Epod. 5, 68. *falcem aëneam* iisdem tribuit etiam Virg. Aen. IV, 513. eamque a Sophocle habere videbatur Macrob. V, 19. Etiam vasis et armis *aëneis* vtebantur in rebus magicis. Mox vs. 247 *Aënea carchesia.*

Multa quoque Amphrysi; nec eras immunis, Enipeu;
Nec non Peneae, nec non Spercheïdes vndae
Contribuêre aliquid, iuncosaque litora Boebes.
Carpit et Euboïca viuax Anthedone gramen,
Nondum mutato vulgatum corpore Glauci.
Et iam nona dies curru, pennisque draconum,
Nonaque nox omnes lustrantem viderat agros;
Cum rediit; nec erant tacti, nisi odore, dracones,
Et tamen annosae pellem posuere senectae.
Constitit adueniens citra limenque, foresque;
Et tantum coelo tegitur, refugitque viriles
Contactus, statuitque aras e cespite binas,
Dexteriore Hecates, at laeua parte Iuuentae.
Quas vbi verbenis, siluaque incinxit agresti;

230. *Spercheides* praetulit cum Interpp. Burm. ad Lotich. pag. 182. Vulgo *Sperchiades*. vide ad II, 250. E. 231. *Boebes* correxit Regius, cum *Phoebes* legeretur. (Regio accedit Burm. Sec. ad Propert. II, 2, 63, pag. 238, vbi plura de hoc lacu monet.) 236. *tacti* maiorem vim veneni declarat, quam *pasti*, quod e tribus Mss. Heins. placet. (240. *de cespite* Berol. prob. Bothio.) 242. *siluaque*. Vnus Strozzae *vluaque*. Inde Heins. etiam *agresti* in *palustri* vel *aquestri* mutandum censebat.

231 *Boebe* oppidum et lacus inter Sepiadem et Penei ostia. Homer. Il. β, 711. v. Is. Vossius ad Melam II, 3, 82. *Anthedon*, vrbs in litore Boeotiae e regione Euboeae. *viuax* Regius interpret., quod vitam dat et conseruat. Sic I, 420. Ex mytho antiquo nascebantur herbae, quibus vita conseruari immortalitasque dari credebatur. Illud igitur gramen non venenatum quidem erat, at *viuax*, iuuentuti restituendae aptum. Possis et sic accipere, quod non facile marcescit, vt IV Fast. 597. quo eodem sensu Gesner. Claudian. 10, 158, *immortales* Glauci *herbas* capit. Lenzio videtur esse i. q. viuum, recens. *nondum vulgatum*, in vulgus notum. *mut. corp.* additum, vt II, 219. VI, 418. Graminis huius et *Glauci* fabulam ipse narrat XIII, 925 sqq.

234 *pennis*. V. ad vs. 350. *tacti*, *nisi odore*. Ingeniose hoc finxit, vt vim maximam medicaminum declararet. Et posita certis temporibus pelle solent serpentes quasi iuuenescere. A. A. III, 77, *Anguibus exuitur tenui cum pelle vetustas*.

238 Sacra Medeae. *citra*, ante, vt X, 84, de tempore. *viriles cont.* Aderat enim Iason cum ministris. (Rem sacram peracturi enim se abstinebant a contactu alterius sexus; maxime secubitum seruabant. Calpurn. I, 14. Vulp. ad Tibul. II, 1, 63. Dicebatur id *pure habere*, ἁγνεύειν. Scalig. ad Anth. Lat. T. II, p. 491 ed. Burm.)

242 *silua agr.* frondes e silua agr. Eiusmodi sertis coronari in

Haud procul egesta scrobibus tellure duabus,
Sacra facit; cultrosque in guttura velleris atri
Coniicit, et patulas perfundit sanguine fossas.
Tum super inuergens liquidi carchesia Bacchi,
Aeneaque inuergens tepidi carchesia lactis,
Verba simul fundit, terrenaque numina poscit,
Vmbrarumque rogat rapta cum coniuge Regem,
Ne properent artus anima fraudare seniles.
Quos vbi placauit precibusque et murmure longo;
Aesonis effoetum proferri corpus ad aras
Iussit, et in plenos resolutum carmine somnos,
Exanimi similem, stratis porrexit in herbis.
Hinc procul Aesoniden, procul hinc iubet ire ministros,

243. Mss. fere omnes *eiecta*, qualis varietas et X, 136. Sed *egerere* aut *regerere* solet de humo dici. (246. *Bacchi* pro diuersa lectione Neapol. et prior Hamburg. Pauci codd. *vini*. Reliqui *mellis*, quod tuetur H. Vossius. 247. *Aeneaque* prim. Palat. Neapol. Vrbin. secundus Medic. alter Hamburg. et prior Erfurt. *Aereaque* Cantabrig. pro diuersa lectione. Reliqui codd. *Alteraque*. *Aeneaque* certe metrum non admittere videtur. Dicitur enim *aeneus* (aheneus) neque vero *aenus*. v. Markland. ad Stat. Silu. I, 1, 51. E.) 248. *poscit*. Heins. coni. *pascit*; [quod probat Bothius coll. Heins. ad h. l. et ad Trist. IV, 4, 64.] 251. *murmure*. Quatuor, *carmine*.

sacris magicis arae solebant. Virg. Ecl. 8, 64; vbi et de *verbena*, Aen. IV, 506. *Scrobibus* pro *aris* vtebantur magae. Fouea in eam rem facta graec. βόϑρος, λάκκος. Homer. Od. λ, 25 sqq. [v. ibi Clark.] Orph. Arg. 948. Apud Horat. I Sat. 8. 26 Canidia vnguibus effodit scrobem. Ibidem *pulla agna* offertur, vt h. l. *vellus atrum;* magicis enim legibus atrae victimae constitutae erant. *Culter* cum adigitur, pr. dr. *coniici*, vt mox vs. 338. XIII, 476. XV, 735. *Carchesium*, poculi genus oblongum et ansatum, quo vtebantur in libationibus. Athen. XI. p. 474. Macrob. Sat. VII, 20. *Inuergere* pro vulgari infundere. *Verba fundit.* De precibus inter sacra adhibitis idem verbum ponitur, quod de sacris ipsis. V. ad IX, 159.

248 *terrena* pro infernis, subterraneis, passim apud Nostrum. *poscit*, ciet, euocat. *fraudare*, priuare. Rogat, ne id faciant interea, dum artes suas exerceat.

251 *murmur*, carmen magarum. Nempe magae feralia sua carmina immurmurabant. XIV, 58, *Ter nouies carmen magico demurmurat ore*. Sic et *stridor*, de quo Broeckh. ad Tibul. I, 2, 47. et *fremor verborum* Arnob. adu. Gent. I p. 32. *proferri*, quia iam *resolutus* (v. ad vs. 186.); alioquin *produci* dixisset, quod habent nonnulli Mss. *plenos*, graues. *in herbis*, quas locus ille ferebat. *profani*, expertes artis magicae, non initiati sacris illis.

Et monet arcanis oculos remouere profanos.
Diffugiunt iussi. Sparsis Medea capillis
Bacchantum ritu flagrantes circuit aras;
Multifidasque faces in fossa sanguinis atra
Tinguit, et intinctas geminis accendit in aris;
Terque senem flamma, ter aqua, ter sulfure lustrat.
  Interea validum posito medicamen aëno
Feruet, et exsultat, spumisque tumentibus albet.
Illic Haemonia radices valle resectas,
Seminaque, floresque, et succos incoquit acres:
Adiicit extremo lapides Oriente petitos,
Et, quas Oceani refluum mare lauit, arenas:
Addit et exceptas Luna pernocte pruinas,
Et strigis infames, ipsis cum carnibus, alas,
Inque virum soliti vultus mutare ferinos
Ambigui prosecta lupi. Nec defuit illic

259. Multi, *atri*. (262. Multi codd. *calido*, quod ex vs. 279 ortum esse putat Bothius. 263. Idem Both. cor. *feruit*, vt vitetur ὁμοιοτέλευτον in *feruet* et *albet*. E.) 264. *valle*. Vnus *falce*, vt infra vs. 314. *Haemonio cultro*. 268. *pernocte* pro vulg. *de nocte* adscriptum Zulichemii Cod., vnde recepit Heins. 269. *infames*. Burm. lect. Cod. Leid. *informes*, i. foedas, implumes, elegantiorem iudicat.

259 *Atra*. Ad fossam retulit, quod erat ad sanguinem referendum. Et vulgo, *atri* scribitur. *Lustrat*, circuinit senem circumferens flammam etc. qui mos sollemnis in expiationibus. Inde Graecis περιαγνίζειν.

262 In carmine Νόστοι multa Φάρμακα coquit ἐπὶ χρυσέοισι λέβησιν *posito aeno*, in aëno igni apposito. *exsultat*. V, ad VI, 645. *Succos miscere* aut *coquere* sollemne et ipsum de veneficis. Tibul. III, 5, 9. *Lapidum* quorundam vsus et in medicina. Plin. H. N. 36, 19. *mare Oceani*, vt II, 872 *aequora ponti*.

269 *strix*, auis noctu volans, cunisque insidians: (Fast. VI, 139) et vel hoc nomine *infamis*, sed et ideo, quod eius alae, oua et viscera adhibebantur in arte magica. Horat. Epod. V, 20. [ibique Torrent.] Propert. III, 4, 29. [vbi cf. Burm. Sec.] Senec. Med. 735. Itaque striges vulgo habebantur pro veneficis in tales aues mutatis, erantque in exsecrationibus et imprecationibus. Plin. XI, 39. (v. Salmas. ad Tertullian. de Pall. p. 471, et Lindenbr. in Glossar. ad Cod. Legg. Antiq. p. 1483.)

271 *Ambigui*, faciem vsque mutantis, vt II, 9. Putabat superstitio veterum, nonnullos vicissim nunc homines esse, nunc in luporum formam transire. V. Broeckh. [et Burm. Secund.] ad Propert. IV, 5, 14. Malebat quidem Burm. *ambiguum* ex vno Ms., ne *lupi* oneretur duobus epithetis; sed et vs. seq. duo epitheta sunt, *squamea tenuis*. Duo

Squamea Cinyphii tenuis membrana chelydri,
Viuacisque iecur cerui; quibus insuper addit
Ora caputque nouem cornicis secula passae.
His et mille aliis postquam sine nomine rebus

(274. Heinsius cor. *oua caputque*, quoniam *ora* et *caput* vix differant.)

autem epitheta saepe leguntur. XV, 229, *inanes fluidos pendere lacertos.* Tibul. III. 5, 22, *dura tertia regna*, vbi v. Heyn. (cf. Cl. Weichertus in Epist. crit. p. 52 sqq. V. D. in Ephem. Ienens. a 1812 Nr. 160 p. 247. Bremi ad C. Nepot. Datam. III, 2.). Glareanus *tenuis* ad *chelydri* refert, et rem sic expedit: non cuiuslibet *Cinyphii chelydri*, sed *tenuis. prosecta*, exta. v. Cellar. ad Lactant. Iust. IV, 27, 4. *chelydros* s. *hydrus* e genere serpentium, foetore intolerabili est. Nicand. Theriac. 411 sqq. *Cinyps*, Libyae fluuius, in sinum Syrticum se exonerans.

273 v. ad III, 194. *Pati seculum*, transigere viuendo. *Seculum* autem aetas hominum, vt saepe. Ap. Hesiod. cornix viuit ἐννέα γενεὰς ἀνδρῶν. Ita Nestor *trisecli senex.* *Viuacibus* autem istis feris vita longa transfertur in Aesonem.

275 *sine nomine*, ignobiles, quarum nomen commemorare nil attinet. Aen. IX, 343, *sine nomine plebem.* Mss. omnes, *mortali.* Sed cum in vno glossa addita esset: *id est: in mortario*, Heins. dedit, *mortari*, quod et Barth. Aduers. XXXI, 3 coniecerat, et approbat Burm. Verum *mortare* ne verbum quidem latinum est, quod ipse Heins. fatetur; Latini enim dicunt, *mortarium.* Lenzius igitur coniungit *mortari*, mortarii, *munus*, vt sit poëtica circumlocutio ipsius mortarii. Non placet. Quis enim putet, Medeam, illa medicamina iam in aëno cocta, nunc in mortarium intulisse, ibique instruxisse? Nec porro seqq. hoc patiuntur, vbi ramo omnia confundit; et mox *aënum* rursus diserte commemoratur, vt bene notauit Schirach. Denique vulg. lect. sensum habet non incommodum. *propositum munus*, medicamen illud, quod parabat Aesoni, qui nunc *mortalis* dr. siue, vt Schirach. putabat, quia senex iam decrepitus et morti proximus erat, siue, quod ego malim, quia nihilominus *mortalis* manebat, etsi ei istis medicamentis iuuentus redderetur. Eam autem medicinam seni faciebat mulier *barbara;* quod inuidiose additum puto. Itaque nec h. v. tentari debebat. *Barbara Medea* etiam Horat. Ep. 5, 62. Heins. tamen et Burm. probant Daumii correctionem, pro *barbara* reponentis, *marmore*, i. in marmore mortarii, in mortario marmoreo. (*mortari marmore* placet etiam H. Vossio. Bothius tamen mauult e Cantabrig. et tribus aliis codd. legere *mortalis*, quod iungit cum v. *barbara*, vt sensus sit, munus reflorescentis aetatis et mortalem et foeminam eamque barbaram proposuisse. E.) *Mitem* Lenzius interpretatur, quae iam diu desiit fructus ferre. Ea vero notio quo iure voc. *mitis* inferatur, non video. Num Ouid. *putris* scripsit? Rode omisit in versione. (Verb. *mitis*, quod Lenzium et Gierig. torsit, epitheton ornans dixerim, quod poëta addidit, quoniam alibi *oliua mitis* dicitur. *iampridem* autem, quod fraudem fecisse videtur illis duumviris, referendum est ad v. *arenti.* E.)

Propositum instruxit mortali barbara munus;
Arenti ramo iampridem mitis oliuae
Omnia confundit, summisque immiscuit ima.
Ecce vetus calido versatus stipes aëno
Fit viridis primo, nec longo tempore frondem
Induit, et subito grauidis oneratur oliuis.
At quacumque cauo spumas eiecit aëno
Ignis et in terram guttae cecidere calentes;
Vernat humus, floresque, et mollia pabula surgunt.
Quod simul ac vidit, stricto Medea recludit
Ense senis iugulum; veteremque exire cruorem
Passa, replet succis. Quos postquam combibit Aeson,
Aut ore acceptos, aut vulnere; barba, comaeque
Canitie posita nigrum rapuere colorem.
Pulsa fugit macies; abeunt pallorque, situsque;
Adiectoque cauae supplentur sanguine venae;
Membraque luxuriant. Aeson miratur, et olim
Ante quater denos hunc se reminiscitur annos,

278. Geneu. *remiscuit*, quod placet Burm., vt Horat. A. P. 151, *veris falsa remiscet.* 281. *Induit*, Basil. *inuenit*, quod non damnat Burm., quia *inuenire* saepe de iis, quae subito et praeter exspectationem eueniunt. 291. Gronouian. *Aduectoque*, quod non inelegans videtur Burm. 293. *hunc* cum Planude dedit Nauger.

281 *Induit* eleganter. Virg. G. I, 188, *nux se induet in florem*, et IV, 142, *pomis se arbos induerat.* — *grauidis*, plenis succorum et tumidis. Etiam *grauescere foetu* et *parturire* dcr. fruges.

284 *Vernat* exquisite, virescit, floribus et graminibus vestitur, vt solet fieri tempore verno. Trist. III, 12, 8, *aues vernantes*, lascinientes tempore verno. Propert. IV, 5, 57, *vernans iuuenis sanguis.*

288 *Ore*, accipere succos vix poterat, iugulo recluso. *Rapuere.* illico traxere. In carmine Νόστοι Medea Iasonem facit κόρον ἡβώοντα, Γῆρας ἀποξύσασα.

Pulsa fugit e copia poëtica, vt paullo ante *combibit acceptos.* *situs*, turpis corporis senio confecti habitus, etiam Aen. VII, 440; vbi tamen omnino mala senectutis. *supplentur*, vt IV, 139. Sed iam ante dixerat venas repletas nouo sanguine. Nescio igitur, an non praestet antiqua lectio, quae plurimorum auctoritate nititur, *cauae supplentur corpore rugae;* namque *corpus* saepe de carne et pinguedine dr. Supra I, 408. Claudian. II. Eutrop. 380, *abundans corporis.* Quod autem Burm. putat, canitatem melius conuenire venis, quam rugis, id nihili est; quis enim dubitet, etiam *rugas* dicere *cauas?* *Luxuriare* eleganter

Viderat ex alto tanti miracula monstri
Liber; et admonitus iuuenes nutricibus annos
Posse suis reddi, petit hoc Aeëtida munus.
Neue doli cessent, odium cum coniuge falsum
Phasias adsimulat, Peliaeque ad limina supplex
Confugit; atque illam (quoniam grauis ipse senecta)
Excipiunt natae. Quas tempore callida paruo

Liberi nutrices.

Pelias.

atque ita et primus Basil. caeteri *nunc.* Post hunc vs. plures habent illum: *Dissimilemque animum subiit aetate relicta*, quem iam improbauit Constant. Fan. Huc translatus videtur e vs. 170. 296. Vulg. *a Colchide.* Sed Heins. dedit *Aeetida* ductu Mss. in quibus *Aethide* aut *a Thetide.* Verbis enim rogandi interdum geminus Accusatiuus additur. Praeterea Heins. coni. *hos*, scil. annos. (Heinsio accedit H. Vossius. Pro *petit* in Berol. et Heidelb. legitur *capit*, i. e. *accipit*, quod defendit Bothius, qui tamen propter varietatem in nomine *Colchide* cor. *capit ex Aeetide munus. Hoc* vero, quod glossam dicit, ad sensum necessarium est, *capit* autem multo aptius videtur, quam *petit.* Equidem legerem: *capit hoc a Colchide munus.* Etenim *ab Aethide, ab Ethide, a Cetide, a Thetide* etc. ex interpretamento v. *a Colchide* orta sunt. E.) 299. Louan. *senectae*, quod non displicebat Heins. (Cod. Berol. *Senecta est.*)

de succulentis et vegetis membris. Virg. G. III, 81, *luxuriat toris pectus.* *hunc*, talem, tam robustum.

FAB. III, 294 — 296. Liberi nutricibus iuuentus redditur. Tractauit fabulam Aeschyl. in Bacchi nutricibus. cf. Hygin. fab. 182. Eae relatae posthac inter sidera Hyades appellatae sunt. — *Monstrum*, transformatio, vt II, 367. *miraculum*, omnis res mira. III, 673, *in quae miracula verteris?* De *nutricibus* Bacchi v. III, 314.

FAB. IV, 297 — 349. *Pelias*, rex Iolci, Iasonis patruus, cuius iussa Iason ad vellus aureum apportandum profectus erat. Filias eius Medea impulit, vt patrem necarent, cum promisisset, se ei iuuentutem reddituram, *arieteque in agnum mutato* fidem promissis fecisset. Cum varietate aliqua et haec tradita sunt. Alios enim auctores Diodor. Sic. IV, 50 — 52, Hygin. 24 secuti sunt, alios Pausan. VIII, 11, et Apollod. I, 9, 27. Exstabant olim et Euripidis Peliades.

297 E caeteris auctoribus apparet, simultatem intercessisse Iasoni cum Pelia, sed res varie traditur. *cessent*, absint. *odium — confugit.* Apollod. hoc vnum habet, εἰς τὰ βασίλεια τοῦ Πελίου παρελθοῦσα. Simile tamen aliquid habet Pausan. τῷ λόγῳ ἀπεχθανομένη τῷ Ἰάσονι. Ap. Hygin. se simulat Dianae sacerdotem. *grauis senecta*, vs. 163, *fessus senilibus annis. Natarum* nomina, quae, monente Pausan. non tradita erant a poëtis antiquis, varie exhibentur. V. Heyn. ad Apollod. *imago*, vt *imago genitoris falsi* I, 754, die Vorspiegelung. Pro *cepit* Burm. malebat *duxit*, quia *ducere* est blanditiis sensim suum facere, vt VIII, 123. Sed nunc additur *paruo tempore.* Et *capere* etiam decipere notat. Heroid. 21, 104, *Visaque simplicitas est mea posse capi.*

Colchis amicitiae mendacis imagine cepit.
Dumque refert, inter meritorum maxima, demtos
Aesonis esse situs, atque hac in parte moratur;
Spes est virginibus Pelia subiecta creatis,
Arte suum parili reuirescere posse parentem.
Iamque petunt, pretiumque iubent sine fine pacisci.
Illa breui spatio silet, et dubitare videtur;
Suspenditque animos ficta grauitate rogantes.
Mox vbi pollicita est, Quo sit fiducia maior
Muneris huius, ait; qui vestras maximus aeuo est
Dux gregis inter oues, agnus medicamine fiet.
Protinus innumeris effoetus laniger annis

301. *cepit.* Argentin. *duxit*, quod Burm. verum videtur. 304. Gronouii *sublata;* vnde Heins. *subnata.* (Sed *subiecta* probant Burm. ad h. l. et Burm. Sec. ad Propert. I, 7, 20 p. 78. Dictionem *subiicere spem* autem, quam rariorem dicit Burm., illustrant ex Graeco ἐλπίδας ὑποθεὶς ap. Xenoph. Hellen. IV, p. 541. Sic et ὑποβάλλειν ἐλπίδα dicitur. E.) 305. Multi ex vetustioribus *iuuenescere*, quod arridet Heinsio. 306. Hunc vs. spurium Heins. iudicat. Burm. *idque* ex vno Heins. in *iamque* mutauit, vt impatientia declaretur; *iam* enim saepe i. q. statim. G. Genuinum h. v. habent H. Vossius et Bothius, quorum posterior etiam *idque* praefert. 312. *innumeris* expl. Bothius *debilibus*, coll. Barth. Aduers. I, 2. Alioquin legendum suasit *e numeris* i. e. *ex gregibus*, dubitans tamen, an *numeri* pro *gregibus* dici possint. E.

302 Noster id agit, vt Medeae *calliditatem*, de qua caeteri silent, ostendat. *Merita* in Iasonem iactabat, vt doceret, quam ingratus ille esset. *hac in parte*, meritorum. *subiecta*, proposita. Lactant. Epil. 30, 7, *omni studio subiacet finis. Reuirescere*, vt Silius XV, 134, *Pars credunt toruos patrui reuirescere vultus.* Etenim *viriditas*, χλωρὸν, de vigore iuuenili et virili. (v. Burm. Sec. ad Anth. Lat. T. I. p. 139.) Vs. seq. Heins. sine caussa spurium iudicabat: non male enim cupiditatem Peliadum exprimit. — *pretium*, mercedem, *sine fine*, infinitam, maximam, ἀπερείσιον. Aen. I, 279, *Imperium sine fine dedi.*

308 *Suspendit animos*, virgines dubias inter spem et metum relinquit. *grauitas* opp. vultui fallaci. *Quo sit fiducia maior.* Apollod. τοῦ πιστεῦσαι χάριν. Arietis mutationem et caeteri memorant. Breuissime Apollod. κριὸν μελίσασα καὶ καθεψήσασα ἐποίησεν ἄρνα. Id Noster bene exornauit.

312 *Effoetus*, cuius vis procreandi exhausta, nunc omnino senex. *Innumeris* hyperbolice, multis. *attrahitur*, quippe tardus senectute. *caua* omnino drr. tempora hominum et bestiarum. *marcentia* opp. viridibus, vegetis. *Fodere guttura*, vt Amorr. III, 5, 24, *fodere pectora*, vbi v. Burm. *Maculare*, vt *foedare*, sollemne de sanguine profuso. (v. Burm. ad I, 718.) *exiguo*, quia effoeti non abundant sanguine. *Membra simul* etc. Pan-

Attrahitur, flexo circum caua tempora cornu.
Cuius vt Haemonio marcentia guttura cultro
Fodit, et exiguo maculauit sanguine ferrum;
Membra simul pecudis, validosque venefica succos
Mergit in aere cauo. Minuuntur corporis artus,
Cornuaque exuitur, nec non cum cornibus annos,
Et tener auditur medio balatus aëno.
Nec mora; balatum mirantibus, exsilit agnus,
Lasciuitque fuga, lactantiaque vbera quaerit.
Obstupuere satae Pelia; promissaque postquam
Exhibuere fidem; tum vero impensius instant.
Ter iuga Phoebus equis, in Ibero gurgite mersis,
Demserat, et quarta radiantia nocte micabant
Sidera; cum rapido fallax Aeetias igni
Imponit purum laticem, et sine viribus herbas.
Iamque neci similis, resoluto corpore, regem,
Et cum rege suo custodes somnus habebat,
Quem dederant cantus, magicaeque potentia linguae.
Intrarant iussae cum Colchide limina natae,
Ambierantque torum. Quid nunc dubitatis inertes?
Stringite, ait, gladios, veteremque haurite cruorem,

321. *fuga.* Heins. mauult *fugax.* 324. *gurgite.* Vulgo *flumine*, quod et ipsum defendi posse, e Tibul. II, 5, 60. III, 4, 18. Heins. docet. (v. Heyn. ad Tibull. l. c.)

san. τὰ κρέα ὁμοῦ φάρμακος ἐν λέβητι ἥψησεν. *annos.* Debebat dicere, et reliqua senectutis signa, sed ingeniose loqui voluit. *tener*, qualis est agni teneri.

320 *Exsilit.* Bene. Etiam Hygin. *vnde agnus pulcherrimus prosiluisse visus est.* Sed apud Pausan. extrahitur. *Lasciuire*, laetos et petulantes motus indicat. Lactant. Opif. 14, 6. *lasciuiora animalia.* Similiter *luxuriare* Aen. XI, 497. *fuga*, cursus. *promissaque* etc. experimento illo promissis fides facta est.

324 *Ibero gurgite*, oceano occidentali trans Iberiam s. Hispaniam. Modo non vulgari triduum exornauit. Hic quoque omnia ex legibus magicis fiunt, *ter*, *noctu*, *micantia sidera*, *radiantia* v. ad II, 4.

326 De *rapido igne* v. ad II, 123. *resoluto corpore*, v. ad vs. 185. *habebat*, oppressum tenebat. *cantus* et *lingua* eodem redeunt, vt vs. 203 *verba* et *carmen*.

332 *nunc*, cum manifesta et probata iam sit vis medicaminum meorum ex ariete in agnum verso. Burm. Nisi malis putare, *nunc*, conspecto patre, abhorrere coepisse a vulnere infligendo. *haurite cruorem* V. ad XIII, 531.

Vt repleam vacuas iuuenili sanguine venas.
In manibus vestris vita est, aetasque parentis,
Si pietas vlla est, nec spes agitatis inanes;
Officium praestate patri telisque senectam
Exigite, et saniem coniecto emittite ferro.
His, vt quaeque pia est, hortatibus impia prima est;
Et ne sit scelerata, facit scelus. Haud tamen ictus
Vlla suos spectare potest; oculosque reflectunt,
Caecaque dant saeuis auersae vulnera dextris.
Ille, cruore fluens, cubito tamen adleuat artus,
Semilacerque toro consurgere tentat; et inter
Tot medius gladios pallentia brachia tendens,
Quid facitis, gnatae? quid vos in fata parentis
Armat? ait. Cecidere illis animique, manusque,
Plura locuturo cum verbis guttura Colchis
Abstulit, et calidis laniatum mersit aënis.
Quod nisi pennatis serpentibus isset in auras,

335. Hunc vs. spurium indicabat Heins. G. Pro genuino accipiunt Both. et H. Voss. 344. Berol. Heidelb. et plurimi codd. *tentat consurgere*. Sed Burm. e quatuor codd. dedit *consurgere tentat*, quod mollius esse dicit. Contra Bothius ob illam mollitiem hanc lect. damuat, quoniam totus hic loc. in re minime molli versetur. 345. Idem Both. pro *pallentia* cor. *squalentia*. 349. *mersit aenis* e sex codd. restituit Heins., prob. Burm. Secund. ad Propert. II, 1, 56. p. 213. Reliqui codd. *mersit in vndis*. Berol, Heidelb, et tres Heinsii *misit in vndis*. E.

336 *agitatis*, in animo alitis. *Exigite*, expellite. v. Burm. *sanies*, omnis humor corruptus. Nunc inuidiose ita vocat sanguinem senis decrepiti, quem paullo ante *veterem cruorem* appellauit.

339 Ludit duplici oxymoro. *caeca*, a quibus ipsae auertunt oculos. *tot glad.* nempe quatuor; tot enim ei erant filiae. *c. verb. gut. abstulit*, resoluto gutture abstulit verba. *laniatum* etc. Pausan. κατακόψασα ἑψῆσαι. Inde remansit ne tantillum quidem, quod sepulturae tradi posset. Noster abrupte finit fabulam.

FAB. V, 350 — 397. *Iason* cum *Medea* Iolco exactus *Corinthum* fugit. Ibi cum decem annos vixisset, Glaucen ducit, Creontis regis filiam; quo Medea offensa veneno Glaucen interimit, suosque filios trucidat. Eam autem fab. Noster breuiter tantum attingit. Cf. Apollod. I, 9, 28; vbi illi ab Acasto et Iolcensibus expelluntur, et Hygin. fab. 25 26; quo auctore Iason sponte Acasto patris regnum tradit. Cf. Diodor. Sic. IV, 34. Pausan. II, 3. Tractarat haec Sophocl. in Colchidibus. Restat Euripidis Medea.

In itinere despicit loca multa, metamorphosibus nobilia. Sed

Non exemta foret poenae. Fugit alta, superque
Pelion vmbrosum, Philyreia tecta, superque *Medeae fuga.*
Othryn, et euentu veteris loca nota Cerambi.
Hic ope Nympharum sublatus in aëra pennis,
Cum grauis infuso tellus foret obruta ponto,
Deucalioneas effugit inobrutus vndas.
Aeoliam Pitanen a laeua parte relinquit,
Factaque de saxo longi simulacra draconis,
Idaeumque nemus; quo, nati furta, iuuencum
Occuluit Liber falsi sub imagine cerui;
Quaque pater Corythi parua tumulatus arenà;

353. Varie Mss. hoc nomen exhibent, *Carambi*, *Cerambri* etc. G. 361. Lectio, quam Gierig. dedit, est in Berol. et Heidelb. Meliores libri, teste Heinsio, *tumulatur*. Reliqui, *tumulatus arena est*.

totus hic loc. valde vexauit Interpretes, quandoquidem fabulae illae satis obscurae sunt. Neque Medea recta via volat, sed milui instar circinat auras; nisi ad excusandum poëtam malis dicere, Medeam ex alto tantum procul despexisse illa loca.

Pennatis. Claudian. 36, 139, Cybebes serpentibus tribuit *pinnas*, vbi Gesner. monet, hoc nomen a *pennis* origine et vsu antiquissimo forte non differre, sed Quintiliani aetate Grammaticos discrimen facere coepisse, *pinnasque* tribuisse alis maiorum auium et piscibus: itaque se non simpliciter h. l. damnare *pennatos* serpentes. *alta*, in aëre, vt alias *sublimis*.

352 Expressit Callimach. h. Del. 118. Πήλιον, ὦ Φιλύρης νυμφήϊον. In *Pelio* monte Iupiter concubuerat cum Philyra, vnde natus Chiron. [Inde *Philyreius heros*, Met. II, 676. et Fast. V, 391.] *Cerambi*. Auctore Nicandro ap. Anton. Lib. 22, *Terambus* ad pedem *Othryos* montis a *Nymphis* iratis in scarabaeum cornigerum, qui Graecis *cerambyx* dr. mutatus est. Ibi sine dubio, vt h. l. *Cerambus* legendum, quod docet voc. *cerambyx*. [V. ibi Berkel. et Intpp. ad h. l.] Atque etiam h. l. *sublatus in aëra pennis* potest circumlocutio illius scarabaei esse. *Veteris*, quia Deucalionis tempore vixit. *euentus*, fortuna, h. l. mutatio. X, 600 est interitus, XIII, 506 excidium. *Grauis*. Rode, *die ganze Erde*. Equidem interpretor ponderosam; opp. enim ei, qui pennis tollitur in aëra, lenis pendet in aëre, leuitate sua effugit periculum. *obruta* — *inobrutus*, vt VIII, 844, *Attenuarat* — *inattenuata*.

358 Intel. Micyllus Lesbium *draconem*, cuius etiam XI, 56 mentio fit. — *Liberi natum*, Thyoneum, Phrygiis pastoribus iuuencum abegisse tradit glossa Cod. Menardi. [v. Regius ad h. l.]

361. *Pater Corythi* fuit Paris. v. Parrhasius ad Claud. Rapt. I, 199. *tumulatus*, sepultus, conditus est. *Maera*. Regius intel. Maeram, Icari canem, quae Icarum, a rusticis Atticis interfectum, latratu suo indicauit, et posthac cum domino suo inter

Et quos Maera nouo latratu terruit agros,
Eurypylique vrbem, qua Coae cornua matres
Gesserunt, tum cum discederet Herculis agmen;
Phoebeamque Rhodón, et Iälysios Telchinas,
Quorum oculos ipso vitiantes omnia visu
Iuppiter exosus, fraternis subdidit vndis.
Transit et antiquae Cartheïa moenia Ceae,
Qua pater Alcidamas placidam de corpore natae
Miraturus erat nasci potuisse columbam.
Inde lacus Hyries videt, et Cycneïa Tempe,

366. Berol. Heidelb. aliique *mutantes*. Medic. et Ambros. *imitantes*. 371. Berol. et alii libb. Mss. *Cygneia*, de qua scripturae diuersitate v. Nolten. Lex. s. v. *Cygnus*, p. 47. E.

sidera relata est. Hygin. fab. 130. Schol. Germanici ad Canem p. 128. Sed videtur haec Maera potius puella fuisse in canem versa. Sic etiam Lactant. in Argum. Burm. suspicatur, hic de Hecuba agi, propter XIII, 406. *Maerae* autem nomen intrusum esse pro alio, quo Hecuba significaretur; variare enim Mss. *nouo*, inusitato. *terruit*. V. ad XIII, 406.

363 *Euryp. vrb.* Coon. Homer. Il. β, 677, Κῶν, Εὐρυπύλοιο πόλιν. Fuit hic Eurypylus Herculis filius, qui, capta illa vrbe, ibi regnauit. *Coae* autem mulieres cum formam suam praetulissent Veneri, in vaccas mutatae sunt. Lactant. in argum.

365 *Phoebeam*, quia Rhodus Soli sacra, cuius radiis numquam carere dicebatur. v. Lambin. ad Horat. I od. 7, 1. [cf. Burm. Sec. ad Anthol. Lat. T. II, p. 649.] *Ialysus*, vna ex tribus antiquissimis Rhodi vrbibus, ab Ialyso, Solis nepote, sic dicta. Strabo XIV. p. 655. [Tzschuck. ad Melam. II, 7, 4.] *Telchinas* Rhodum incoluisse certum est, quamquam non satis constat, vnde venerint, aut quorsum, Rhodo relicta, migrauerint. v. Meursii Rhod. I, 9, et Burm. ad h. l. Erant autem et insignes praestigiatores et inuidi calumniatores. Spanhem. ad Callim. h. Del. 31, et Munker. ad Lactant. Argum. *Vitiare*, fascinare. Fascinatio fiebat et oculis. Virg. Ecl. III, 103, *Nescio, quis teneros oculus mihi fascinat agnos.* Quin adeo inuidi oculi solo adspectu credebantur rerum pulchritudinem corrumpere. Horat. I Ep. 14, 38, vbi sic *limare* et *venenare*. Sed *vitiare* hoc sensu etiam ap. Solin. 4, *Foeminae adspectu spicula vitiant.*

368 *Cea* s. *Ceos* Graecis etiam Hydrussa. Plin. IV, 12. Ibi vrbs *Carthea*. Fabulam, quam Noster attingit, latius tractat Anton. Lib. cap. 1. *antiquae*, antiquis temporibus notae. *Alcidamas* illo auctore non *Cartheae* habitabat, sed Iulide, in alia Ceae vrbe. Ibidem et nata est Ctesylla, quae Athenis mutata.

371 *Tempe*, non Thessalica illa, sed Teumesia ad Teumesum, montum Boeotiae. In illis locis *Hyrie*, flens *puerum*, filium, in *lacum* conuersa est. Cf. Anton. Lib. cap. 12, [vbi tamen *Cycni* mater Θυρίη vocatur.] *volucres*, vultures mirae magnitudinis, auctore Anton. *pendebat*

Quae subitus celebrauit olor. Nam Phyllius illic
Imperio pueri volucresque ferumque leonem
Tradiderat domitos; taurum quoque vincere iussus
Vicerat; et, spreto toties iratus amore,
Praemia poscenti taurum suprema negarat.
Ille indignatus, Cupies dare, dixit; et alto
Desiluit saxo. Cuncti cecidisse putabant:
Factus olor niueis pendebat in aëra pennis.
At genetrix Hyrie, seruati nescia, flendo
Delicuit; stagnumque suo de nomine fecit.
Adiacet his Pleuron; in qua trepidantibus alis
Ophias effugit natorum vulnera Combe.
Inde Calaureae Letoïdos adspicit arua,
In volucrem versi cum coniuge conscia regis.
Dextera Cyllene est; in qua cum matre Menephron
Concubiturus erat, saeuarum more ferarum.
Cephison procul hinc deflentem fata nepotis
Respicit in tumidam Phocen ab Apolline versi;
Eumelique domum lugentis in aëre natam.
Tandem vipereis Ephyren Pirenida pennis

375. *iratus.* Duo, *delusus.* Hinc Burm. coni. *pacto toties delusus amore.* 382. *Pleuron.* Micyll. cor. *Brauron.* (389. Berol. et sex Heins. codd. *in timidam.* Duo, *nitidam.* Heins. vulgat. tuetur.)

in aëra. V. ad VIII, 145. *Deliquescere* de corpore solido, quod diffluit in aquas. Aliter IV, 253.

383 *Combe* Curetum in Aetolia mater, gente *Ophiensis.* Aetoliae pars olim a monte Curio Curetica et Pleuronia dicta; *Pleuron* enim ad montem Curium. v. Palmer. Graec. Antiq. IV, 16. Sed Pleuron minime adiacet Hyries lacui. Burm. ergo credit, poëtam in errorem lapsum, quia noua Pleuron ad montem Aracynthum fuerit sita; illum vero multos in Boeotia statuisse.

384 *Letoïdos* pro *Latoïdos* ex graeco Λητόϊδος. Apollini sacra fuit *Calauria,* postea Delphis commutata Neptuno, v. Stanlei. ad Aeschyl. Eum. 30. *Menephron,* Arcas, cum Bliade *matre,* et cum Cyllene filia concubuit. Hygin. fab. 253.

388 *Cephisi* filia, nomine Praxithea, nupta fuit Erechtheo, ex qua ille octo liberos suscepit, e quibus vnus intelligendus. *Respicit,* quia illa loca iam post tergum habebat. Male igitur Heins. corrigit, *despicit. Eumeli domum.* Micyllus intel. Patras, Achaiae vrbem, cuius primus rex Eumelus.

391 *Ephyre* antiquum nomen Corinthi, vbi *Pirene* fons. Prisci incolae e fungis orti credebantur.

Contigit. Hîc aeuo veteres mortalia primo
Corpora vulgarunt pluuialibus edita fungis.
Sed postquam Colchis arsit noua nupta venenis,
Flagrantemque domum regis mare vidit vtrumque;
Sanguine natorum perfunditur impius ensis;
[Vltaque se male mater, Iäsonis effugit arma.]

397. Nec h. vs. pro genuino habet Heins. G. Defendit h. v.

394. *Medea cum ex Iasone iam filios Mermerum et Feretum procreasset, summaque concordia viuerent, obiiciebatur ei, hominem tam fortem, formosum ac nobilem, vxorem aduenam atque veneficam habere. Huic Creon, Menoecei filius, rex Corinthius, filiam suam minorem Glaucen dedit vxorem. Medea cum vidit, se erga Iasonem bene merentem tanta contumelia esse affectam, coronam ex venenis fecit auream, eamque muneri iussit filios suos nouercae dare. Creusa, munere accepto, cum Iasone et Creonte conflagrauit. Medea vbi regiam ardere vidit, natos suos interfecit et profugit Corintho.* Hygin. fab. 25. Cf. Apollod. d. l. Hoc fundamentum est Eurip. et Senecae fabularum, quae Medeae nomen habent. [Conf. Heroid. XII.] *Noua nupta* ab aliis Glauce vocatur, ab aliis Creusa, et iam olim dubitabatur, vtrum verius. Schol. Eurip. ad Med. 19. Sed bene notauit Burm. Creusam non esse nomen proprium, sed filiam regis notare. *venenis*, donis venenatis. Horat. Epod. III, 13, *delibutis donis.* Miserat pallam et coronam, πέπλον καὶ στέφος χρυσήλατον. Eurip. 949. Valer. Flac. V, 449. Senec. Med. 570. Illa dona infecerat naphtha, ex multorum quidem opinione, quae inde dicta est Μηδείας φάρμακον. v. Munker. ad Hygin. d. l. Naphthae magna cognatio ignium, qui protinus in eam transiliunt. Plin. II, 105; vbi addit: *Ita ferunt a Medea pellicem crematam, postquam sacrificatura ad aras accesserat, corona igne rapta.* Vocat *Colcha* venena, quia Medea Colchis iis vsa. G. *Colcha* autem *venena* Burm. Sec. ad Propert. I, 11, 29. p. 123 per metaplasmum dicta putat pro *Colchicis*, vt *Baiae aquae* pro *Baianis*, *siluae Phaeacae* pro *Phaeaciis*, *esseda Britanna* pro *Britannicis* dicantur; coll. Brouckh. ad Propert. II, 1, 86 et III, 1, 51; Cuper Obseruat. I, 17 p. 124; Meurs. ad Lycophr. 496, et Scriuer. ad Martial. pag. 26. Monet autem Bentlei. ad Horat. II, 13, 8, adiectiuum *Colchus* esse gentile (τὸ ἐθνικόν), *Colchicus* autem possessiuum (τὸ κτητικόν). E.

396 Interfectos filios a Corinthiis, quod dona attulissent, auctor est Pausan. Corinth. p. 118. idemque addit, cum filii innocentes essent inuenti, Corinthios in eo ipso loco, vbi interfecti essent, Pauoris imaginem dedicasse, ad eamque sacra anniuersaria fecisse. Similiter Apollod. et Aelian. V. H. V, 21. In Scholiis Eurip. ad Med. Euripides traditur quinque talentis a Corinthiis corruptus esse, vt in Medeam transferret illam caedem. Rem disquirit Barnesius in Vita Eurip. §. 17. Vid. et Boettigeri prolusiones de Medea Euripidea.

Theseus.

Hinc Titaniacis ablata draconibus, intrat
Palladias arces; quae te, iustissima Phini,
Teque, senex Peripha, pariter vidêre volantes,
Innixamque nouis neptem Polypemonis alis.
Excipit hanc Aegeus, facto damnandus in vno:
Nec satis hospitium est, thalami quoque foedere iungit.

Bothius, monens, sermonem in eo esse latinam et numeros venustissimos, cum pertineat ad bucolicum hexametri genus (cf. Terentian. Maur. p. 2430 ed. P.). Praeterea contendit, esse h. v. ad nexum necessarium, vt sequentia cum antecedentibus bene cohaereant. Inde etiam post *arma* minimam interpunctionem posuit et *Hinc* mutauit in *Ac*. Heinsio aduersatur etiam H. Voss. 402. *facto d. in illo* cor. Medenb. Wakker. in Amoen. Litter. c. 5. p. 26. E. 403. Lnn. et Florent. *foedera*, quod non improbat Burm.

FAB. VI, 398—452. *Medea Athenas fugit*, vbi ab Aegeo excipitur, cuius filium venenis interficere conatur. [Plutarch. Thes. Eustath. ad Dionys. Perieg. vs. 1017.] Excipit eam Aegeus, postquam iurauerat, se eam non eiecturum. Eurip. 709 sqq. Ipsa pollicita erat, se orbitate liberaturam Aegéa. Plutarch. Thes. 12. Filio seruato, conuiuium instituitur, quod resonat Thesei laudibus. Cf. Hygin. 26. Diod. Sic. IV, 54 s. Pausanias 2, 3. Apollod. I, 9, 28.

Titaniacis, quos a sole acceperat. Apollod. *Periphas*, rex antiquissimus Atticae ante Cecropis tempora. Eum Iupiter in aquilam mutauit, eiusque coniugem, cum separari nollet a marito, in ὄρνιϑα σύννομον, i. in iisdem pascuis versantem, vna viuentem, nempe in Φήνην, falconem ossifragum. Anton. Lib. 6. Iam quoniam et nunc de duobus sermo est *pariter volantibus*, *Phineus* autem (qui in lectione vulg. occurrit) nullus apud Veteres occurrit, ad quem haec pertineant, admodum credibile est, quod Schrader. ad Anton. coniecit, pro *iustissime Phineu* legendum esse, *iustissima Phini;* nam Φίνις i. q. Φήνη. Potuit enim mulier nomen auis habere, in quam mutata est, vt Daphne arboris, Arachne araneae etc. [Sic *Ceyx*, *Coronis*, *Cygnus*, *Halcyone*, *Lycus*, *Nisus*, *Perdix*, *Picus* aliique in animalia eiusdem nominis mutati sunt.] Accedit et hoc, quod in Argum. Lactant. vnus Ms. *Phenen* habet. [Proposuit hanc correct. Schrader. primum ad Anton. Liberal. c. 6; et repetiit eam in Obseruatt. c. 3 p. 21. Cum autem de ea dubitasset Verheykius, denuo illam defendit in Praefat. ad Emendatt. p. LIV seq. Probarunt h. lect. Pierson. Verisim lib. I, c. I, p. 7 et Both.] Coniect. igitur illam, probatam et Lenzio, recepi. *Iustissima* illa vr. ob pietatem in coniugem. *Neptem Polypemonis*, Halcyonem, Scironis filiam; quae, quod corpus vulgasset, a patre in mare deiecta in sui nominis auem mutata est. Probus ad Virgil. G. I, 399 e Theodoro. *inniti* aut *niti alis* pr. de auibus volantibus.

403 *thalami foedere*, vt *tedae iure* IV, 60.

Iamque aderat Theseus proles ignara parenti;
Qui virtute sua bimarem pacauerat Isthmon.
Huius in exitium miscet Medea, quod olim
Attulerat secum Scythicis aconiton ab oris.
Illud Echidneae memorant e dentibus ortum
Esse canis. Specus est tenebroso caecus hiatu;
Est via decliuis, per quam Tirynthius heros
Restantem, contraque diem radiosque micantes
Obliquantem oculos, nexis adamante catenis
Cerberon abstraxit; rabida qui concitus ira

410. *Est via declinis.* Heins. haec sic mutanda censebat, *In Maryandinis*, vel, *in Peryàndinis*, apud quos aconiton nascebatur. Burm. si quid mutandum esset, praeferret prius. (Nihil mutandum esse censet Bothius, monens: „quod locum non expressit Noster, vnde Cerberum Hercules abstraxerit, modo in similibus id facit, velut X, 13; modo non facit, velut h. l. et IV, 432.“ Reuocat autem cum H. Vossio antiquam lect. *Et via*, quoniam *est* offendat.) 413. *abstraxit* restituit Heins. quia verb. sollemne in hac re. Vulg. *attraxit*. G. *abstraxit* primus Palat. multique alii, quibus accedit cod. Wittianus, vt monet Burm. Sec. ad Anth. Lat. T. I, p. 24; quem vide.

404 *ignara*, ignota, passiue, vt VIII, 188. v. Gellius N. A. IX, 12. Ignotus erat Theseus patri, quia apud Pittheum auum Troezenis natus et educatus erat, nunc vero, tamquam virgo, veste talari et decenter pexis capillis veniebat. Pausan. Attic. p. 44. Medea igitur facile impulit Aegea, propter seditionem omnia metuentem, vt Thesea, tamquam hospitem conniuio exciperet, et veneno tolleret. Plutarch. d. l.

405 Totam illam viam, quae Troezene Athenas ducebat, latrociniis purgauerat. Pausan. Corinth. p. 122. *Pacare* sollemne in hac re. Aen. VI, 804 Hercules *Erymanthi pacauit nemora.* Senec. de Benef. I, 13, *terrarum marisque pacator.* Silius II, 483. *Nemeae pacator.* [cf. Heroid. IX, 13.] — *bimarem.* V. ad V, 407.

407 *aconiton* omnium venenorum ocyssimum, de quo Plin. XXVII, 2 et 3. Theophr. hist. plant. IX, 16. *Echnidneae*, quia Cerberus ex Echidna ortus. Hesiod. Theog. 308. Quint. Smyrn. VI, 261.

409 *Specus est*, Acherusia, in Mariandynorum finibus, ad Heracleam Ponticam, per quem specum iter est ad inferos. Plin. VI, 1. Mela I, 19, 54, ibique Schott. Per eum specum Cerberum ab Hercule extractum memorat et Plin. 27, 2. Iam quoniam magna ibi *aconiti* copia, inde fab. de eius origine orta. *caecus*, obscurus, caliginosus. *restantem*, resistentem, nec loco cedere volentem. Non male Cerberi reluctatio describitur. *obliquantem*, in obliquam partem torquentem. V. ad XII, 486. *nexis* etc. catena ferrea. *ternis latrat.* IV, 451. *virides albentibus*, vt I, 112.

Impleuit pariter ternis latratibus auras,
Et sparsit virides spumis albentibus agros.
Has concresse putant, nactasque alimenta feracis
Fecundique soli, vires cepisse nocendi.
Quae, quia nascuntur dura viuacia caute,
Agrestes aconita vocant. Ea coniugis astu
Ipse parens Aegeus nato porrexit, vt hosti.
Sumserat ignara Theseus data pocula dextra;
Cum pater in capulo gladii cognouit eburno
Signa sui generis, facinusque excussit ab ore.
Effugit illa necem, nebulis per carmina motis.
At genitor, quamquam laetatur sospite nato,
Attonitus tantum, leti discrimine paruo,

414. Propter κακοφωνίαν in *pariter ternis* cor Both. *trinis.* vid. ad VI, 57. 417. *Fecundique* in rasura scriptum in cod. Berol. et Heidelb. Both. cor. *Foecundumque solum.* Sine causa. Certe tum vs. 416 e Palat. legendum esset, *alimenta furoris.* 426. *tantum* edidit Heinsius ex cod. Leidensi et vno suo. Vulgo legitur *tamen est.* E.

416 Cf. Plin. XXVI, 3. *concresse*, nempe in corpus plantae solidum. Est ergo metamorphosis. *Durae cautes* Graecis drr. ἀκόναι. Nicander Alex. 42. Sed Theophr. d. l. ab Aconis, Peryandinorum vico, ei nomen impositum putat. G.

421 *Ignara* h. l. actiue, vt vulgo, dicitur, cum paullo ante vs. 404 passiua vi deprehensum sit. Sunt autem multa adiectiua, quae modo actiuam modo passiuam notionem habent. Sic *favorabilis*, (Goclen. Grammat. Controu. lib. II, p. 140.) *infensus* (Gifan. Obss. L. L. p. 338.) *incautus* (Burm. Sec. ad Propert. II, 9, 11 p. 289.) *tacitus, ignotus, nescius, tardus, inuidiosus; formidolosus, suspiciosus.* v. Gellium IX, 12; Heins. et Gierig. ad Metam. VII, 404; Burm. ad I, 134; Nolten. Lex. in Indice s. v. *Adiectiua*, aliosque. E.

422 Gladium vt ostentaret Theseus, cultrum eduxit carnes appositas dissecturus. Plutarch. Thes. 12. Gladio, ξίφει. adiunctus fere erat culter, μάχαιρα. Homer. Il. γ, 271. E signis generis sui, quae Theseus, more veterum, in capulo gestabat, agnoscit filium. Quae fuerint illa *signa*, πατρῷα σύμβολα, Plutarch. non constat. Nonnulli simpliciter gladium intell., quem Aegeus sub saxo absconditerat, vt Theseus adultus eum inde tolleret, eoque instructus Athenas veniret. v. Meursius Thes. cap. 3, et Reg. Att. III, 1. *facinus*, poculum venenatum, quod facinorosa Medea parauerat. Eo *excusso*, erepto ab ore, *facinus* prohibitum est.

424 Aufugit Medea cum Medeo filio, quem ex Aegeo pepererat, in Asiam, tandemque in patriam redit, vbi patri a fratre pulso regnum reddit. Sed Ouidius fata eius iam abrumpit.

426 Aen. IX, 143, *fossarumque morae, leti discrimina parva*, quo loco et ipso olim edeb.

Committi potuisse nefas, fouet ignibus aras,
Muneribusque Deos implet; feriuntque secures
Colla torosa boum, vinctorum cornua vittis.
Nullus Erechthidis fertur celebratior illo
Illuxisse dies. Agitant conuiuia patres,
Et medium vulgus; nec non et carmina, vino
Ingenium faciente, canunt Te, maxime Theseu,
Mirata est Marathon Cretaei sanguine tauri:
Quodque suis securus arat Cromyona colonus,
Munus, opusque tuum est. Tellus Epidauria per te

427. *Committi.* Duo, *Admitti*, aeque bene. (432. Bothius cor. *haec carmina*, quoniam in sequentibus haec ipsa carmina afferantur. E.) 435. *suis* cum Boessio et ex vno Gronou. Heins. restituit. Caeteri *suam*.

discrimine paruo. *Muneribus D. implet*, plurimas victimas offert. Proprie arae implentur, poëtice ipsi Dii. *Agitant* verb. pr. in hac re, notante Burm. *medium vulgus*, vt V, 207, *media plebs.* — *vino ing. fac.* Horat. I Ep. 5, 19, *Fecundi calices quem non fecere disertum?* Cf. idem I Ep. 19 init. Neque vinum solum, sed secundum Persium prol. 10 venter quoque *ingenium* largitur.

434 Thesei laudes commode conuertit in hymni formam, vt res non narrari, sed agi videatur. cf. Virg. Aen. VIII, 288, vbi similis in Herculem hymnus. Taurus ille a Neptuno Minoi, regi *Cretaeo*, datus, post alia fata in terram Atticam venerat, ibique *Marathonios* agros vastabat. Eum Athenas perductum Theseus immolauit, vel Apollini Delphinio, (Plutarch. Thes. 14.) vel Mineruae. (Pausan. Attic p. 66.) At Ouidius confundit tempora; nam taurum illum cepit, postquam Athenis exceptus erat a patre. v. Meursii Thes. cap. X. [Ceperat hunc taurum antea iam Hercules et ad Eurystheum duxerat, qui eum dimisit. v. Regium ad h. l. Secundum alios Hercules eum interfecit. v. Gesner, ad Claudian. III, 289.] *Cromyon* aut *Cremyon*, vicus Corinthi. Ibi *sus*, Phaea dicta, feroica et magnitudine insignis, nec agros solum vastans, sed homines etiam occidens, quam interfecit Theseus. Plutarch. Thes. 9. Tertium hoc fuit Thesei *opus*. *suis securus.* Notat Heins., voc. *securus* eleganter addi casum secund. [Adde Nolten. Lexic. Antib. p. 1738, et Burm. Sec. ad Anth. Lat. T. I, p. 72. V. etiam ad V, 267 et 345. *Cremyonā arat* pro agris vrbem cingentibus. Sic Heroidd. I, 52 *Pergama arare.* De sue Cromyonia v. Meurs. Thes. VI. Saluagn. ad Ibin 409. E.)

436 In *Epidaurio* agro Peripheten, *Vulcani* ex Antilia filium, interfecit, quod fuit primum eius opus. Armatus ille erat claua (κορύνῃ) ferrea, vnde κορυνήτης et *clauiger* dictus. Plutarch. Thes. 8. Pausan. Corinth. p. 112. Apollod. III, 16, 1. [Intpp. ad h. l. et ad Ibin. 407] *Procrustes*, Neptuni filius, mensuram hospitum ad lectum aptans. Si longiores essent lecto, amputabat prominentes corporis partes, sin breuiores, incude sup-

Clauigeram vidit Vulcani occumbere prolem;
Vidit et immitem Cephesias ora Procrusten.
Cercyonis letum vidit Cerealis Eleusin.
Occidit ille Sinis, magnis male viribus vsus;
Qui poterat curuare trabes, et agebat ab alto
At terram late sparsuras corpora pinus.
Tutus ad Alcathoën, Lelegeïa moenia, limes
Composito Scirone patet; sparsique latronis
Terra negat sedem, sedem negat ossibus vnda:
Quae iactata diu fertur durasse vetustas
In scopulos. Scopulis nomen Scironis inhaeret.
Si titulos, annosque tuos numerare velimus;
Facta premant annos. Pro te, fortissime, vota
Publica suscipimus; Bacchi tibi sumimus haustus.
Consonat adsensu populi, precibusque fauentum
Regia; nec tota tristis locus vllus in vrbe est.

444. Regius *Deposito*, i. depulso, deiecto, quod praefert Burm. 453. Burm. malebat, *nulla est*, quod omnes tuentur praeter vnum Heinsian. et alterum Regii, vnde Heins. *nulli* recepit.

posita extundebat pedes. Plutarch. Thes. 11. Hygin. fab. 38. Habitabat ad *Cephissum*. Pausan. Attic. p. 92. Eum interfecit Theseus, idque fuit sextum eius opus. [v. Intpp. ad Ibin 409.]

439 *Cercyonem*, *Eleusine* degentem, quarta pugna vicit Theseus. Is autem praetereuntes lucta victos interficere solebat. Plutarch. Thes. 11. Pausan. Attic. pag. 94. [Intpp. ad Ibin 413.] *Sinis*, Polypemonis aut Pemonis filius, in Isthmo habitans, duabus inflexis pinubus (vnde Πιτυοκαμπτης dictus) homines alligare solebat, quibus subito dimissis illi foede lacerabantur. Eodem mortis genere affectus est a Theseo. Pausan. Corinth. pag. 111. Hygin. fab. 38. Apollod. d. l. Cf. Valken. ad Eurip. Hippol. vs. 977. Haec secunda eius pugna. [cf. notas ad Ibin 409 et 411. Gesner. ad Claudian. III, 252.]

444 *Sciron*, Scironides, Megaridis rupes, incolens, vel latrociniis viam infestabat, vel praetereuntibus pedes porrigere solebat lauandos; quod cum fecissent, calcibus eos in mare deiiciebat. Plutarch. Thes. 10. [Salvagn. ad Ibin 409. Gesner. ad Claudian. III, 253.] Eum et ipsum deiecit Theseus, idque fuit quartum eius opus. *Alcathoe*, Megaris, ab Alcathoo sic dicta. Pausan. Attic. pag. 98. *Composito*, sublato, interfecto, siue metaphora petita sit a litibus, quae cum componuntur, finiuntur, siue a mortuis, qui et ipsi drr. componi, i. sepeliri. Schirach. sensu exquisitiore sic dictum putabat, quia Theseus Scironem e saxo in mare deturbatum simul sepeliuerit.

448 *titulos*, gloriose facta. *premant*, superent.

Minos. Nec tamen (vsque adeo nulli sincera voluptas;
Sollicitique aliquid laetis interuenit) Aegeus
Gaudia percepit nato secura recepto.
Bella parat Minos; qui quamquam milite, quamquam
Classe valet; patria tamen est firmissimus ira,
Androgeïque necem iustis vlciscitur armis.
Ante tamen bello vires adquirit amicas;
Quaque potens habitus, volucri freta classe pererrat.

457. Plurimi, *fortissimus* e sollemni permutatione. 459. Plurimi *bello*, quod magis poëticum mihi videtur, quam vulg. *bellum*. (Gierigio accedit Bothius.)

FAB. VII, 453—660. Minos II. ob filium Androgeum interfectum bellum mouet Atheniensibus, quibus auxilium pollicetur Aeacus, rex Aeginae, cuius ciues, a peste absumti, miro quodam modo suppleti erant ex formicis. Nempe *Myrmidones* prisci Aeginae incolae, qui postea Peleum secuti Thessaliam incoluerunt. Iam, quoniam formicae Graecis μύρμηκες drr., Hesiodus (fragm. p. 440. Lips.) auctor coepit, etymologiam peruerse premens, fingere eos ex formicis factos, quod multi deinceps repetierunt. Et illo quidem auctore Iupiter id effecit, cum Aeacus in Aegina, insula deserta, vbi educatus erat et adoleuerat, solus esset. Sic et Apollod. III, 12, 6, vbi v. Heyne. Sed Pausan. II, 29 in eo discrepat, quod homines illos non ex formicis, sed ex terra natos mentitur. Pestem vero et formicarum mutationem cum Nostro in hac fab. Strabo VIII, p. 576 et Hygin. fab. 52 commemorant.

[Verba *vsque adeo* etc. expressit Noster ex Apollon. Rhod. IV, 1165 sqq., vt monet Ruhnken. ad Callim. fragm. CCCCXVIII, T. I, p. 569 ed. Ern.] *Sincerum*, cui nihil alieni, vitiosi, h. l. doloris, immixtum, incorruptum. Ab hoc nunc non differt *securum*.

457 Cretenses illo tempore arte nautica excellebant omnibus gentibus. *Minos* primus imperium maris habuit, classeque instructa purgauit mare a piratis. Thucyd. 1, 4. Herod. 3, 122. Diodor. Sic. IV, 60. De bello hoc etiam Plutarch. Thes. 15. Pausan. I, 27. Apollod. III, 15, 8. Hygin. fab. 41. *firmissimus*, validissimus, saepissime de belli potentia. v. Gronou. ad Liu. 21, 25. Sed nunc et *firmissimus ira*, quem ira impellit, vt omnibus viribus suis vtatur.

460 Non admodum *volucris* illa classis fuisse videtur. Eam enim effugit Daedalus eam ipsam ob caussam, quod velis carebat, quae inuenerat et quibus vtebatur Daedalus. v. Goguet *vom Ursprunge der Gesetze* etc. To. II p. 276. Est ergo nunc nil nisi epitheton ornans s. commune. *bello* (Datiu.), quod omnes Mss. praeter tertium Medic. et quinque alios habent, reuocandum putaui; est enim magis poëticum. Aen. II, 315, *glomerare manum bello*. III, 540, *Bello armantur equi*. *Vires* saepe de copiis militaribus. *amicas*, auxiliares. *potens habitus*, habebat enim imperium maris.

Hinc Anaphen sibi iungit, et Astypaleïa regna,
Promissis Anaphen, regna Astypaleia bello.
Hinc humilem Myconon, cretosaque rura Cimoli,
Florentemque Cythnon, Scyron, planamque Seriphon,
Marmoreamque Paron, quamque impia prodidit Arne

461. *Astypaleia* pro *Styphaleia* bene dedit Regius. Illius enim nominis insula nulla in Archipelago. Vs. seq. delendum censebat Mar. Accurs.; et deest in Berol. duobus Ciofan. multisque Heins. codd. et in versione Planud. 464. *Scyron*, Quidam cum Mss. nonnullis tuentur *Syron:* nam haec quoque vna ex Cycladibus. Reliquas varietates, quae multae sunt, non repeto.

461 Catalogus harum insularum Cretae vicinarum commode quidem nunc potuisset omitti, quandoquidem non historia Minois narratur; sed eruditionis ostentandae caussa talia inserebantur a poëtis. *Promissis* etc. Hunc vs. non damno, solet enim et alibi Ouidius superiora repetere cum additamento aliquo. [Omnino saepe veteres poëtae sic nomina propria repetunt cum additamento, quod venustatem vel acrimoniam afferre possit, vt dicit Schrader. Obseru. lib. I, c. 2, p. 17, 18, quem vide.] *humilem — planam.* Cum *Myconos* Virg. Aen. III, 76 *celsa* dicatur, *Seriphos* autem inter saxosas insulas referatur, varie Intt. haec epitheta et emendarunt, et explicarunt. Fatetur Burm. manere sibi nodum non soluendum. Nempe insulae illae videntur litus accliue habuisse, et sic illa *humilis*, haec *plana* fuisse. Sic certe *humilis Italia* Virg. Aen. III, 522. v. Heyn. Exc. IV ad illum libr. Pro *planamque* tamen cum Constant. Fanens. *paruumque* legendum arbitror, quia *parua Seriphos* etiam V, 242, et ap. Iuuenalem. Fuit enim, auctore Plinio, circuitus eius non nisi XII millia passuum. *Plana* contra non fuit, sed aspera. *Cythnos* Cimolo vicina. *Florentem* nude positum, tum *Scyron* sine epitheto offendebant nonnullos, vt Micyllum et Heins., quorum ille suadebat vel *Florentemque auro* (aut *viris*) *Syron*, vel *Flor. viro* (Achille, qui illo tempore apud Lycomedem seruabatur) *Scyron.* Hic malebat, *Florentemque thymo Cythnon* vel *Syron;* laudatissimum enim fuisse omne mel Cycladium. Sine caussa. *Florens ciuitas* omnino pollens opibus, opulenta. Cic. Rosc. 18, maiores *rempublicam florentissimam nobis reliquerunt.* Corn. Nep. 21, 2, *Decessit florente regno.* *Cimolus* cretam habebat, quae purgandis vestibus adhibebatur. v. Plin. XXXV, 17.

465 *quaque* etc. Fabula ignota, hinc lectio incerta. Reuocaui equidem veterem a Burm. motam, *quamque impia prodidit Arne.* Praeterea pro *Sithonis* Heins. coni. *Siphnon, et ac*, vt allusum sit ad aurifodinas Siphnias, de quibus plura congessit. Certe, non satis apparet, cur Ouid. insulae ipsius nomen omiserit et periphrasi obscura vsus sit. [Heinsium tamen sequutus est Bothius.] *Monedula*, quia saepenumero *monetas* aureas aufert, inde nomen accepisse credebatur. *velari* de pennis, vt XIII, 53.

Sithonis, accepto, quod auara poposcerat, auro.
Mutata est in auem, quae nunc quoque diligit aurum,
Nigra pedem, nigris velata monedula pennis.
At non Oliaros, Didymaeque, et Tenos, et Andros,
Et Gyaros, nitidaeque ferax Peparethos oliuae,
Gnosiacas iuuere rates. Latere inde sinistro
Oenopiam Minos petit, Aeacideïa regna.
Oenopiam veteres adpellauere; sed ipse
Aeacus Aeginam genetricis nomine dixit.
Turba ruit, tantaeque virum cognoscere famae
Expetit. Occurrunt illi, Telamonque, minorque,
Quam Telamon, Peleus, et proles tertia Phocus.
Ipse quoque egreditur, tardus grauitate senili,
Aeacus; et quae sit veniendi caussa requirit.
Admonitus patrii luctus suspirat, et illi
Dicta refert rector populorum talia centum:
Arma iuues oro pro gnato sumta, piaeque
Pars sis militiae; tumulo solatia posco.
Huic Asopiades, Petis irrita, dixit, et vrbi

476. *Expetit.* Multi *excipit.* Heins. varia coni. *Percupit, exigit, Rex cupit, Plebs auet.*

472 *Oenopia* et *Oenone* ante dicta illa insula. Eurip. Iph. Aul. 699, *Ζεὺς Αἰακὸν δ' ἔφυσεν Οἰνώνης πρόμον.* Ita et Pausan. Cor. p. 122. Stephan. de Vrb. *Οἰνώνη, νῆσος μία τῶν Αἰακιδῶν.* [v. Mueller. in Aegineticis.] Hinc et h. l. quidam emendarunt *Oenonen.* Sine caussa. Etenim et Pindar. Isth. 8, 43 *νᾶσον Οἰνοπίαν* dixit, et Noster mox *Oenopii muri.* Nomina autem eiusdem loci diuersa sic commemorantur et alibi a poëtis, vt Aen. I, 108. *Aeginam* etc. vid. Munker. ad Hygin. fab. 52. [*genetricis nomine.* Iupiter enim Aeginam rapuit (Nonn. Dionys. VI, 212), et cum ea Aeacum genuit. Pindar. Nem. VIII, 10. v. ad VI, 113 et infra ad vs. 524.]

476. *Expetit*, cupit. *Occurrunt* et ii, qui honoris caussa obuiam eunt venienti. De tribus Aeaci filiis v. ad XI, 267. *Phocum* ignorat Isocrat. Euag. 4. *Egreditur* in litus. *grauitas*, debilitas corporis, quae tardat incessum.

481 Nota est Creta *ἑκατόμπολις* ex Homer. Il. β, 649. v. Strabo lib. 10, p. 735. [cf. A. A. I, 297, Virg. Aen. III, 106. Sed ap. Homer. Od. τ, 174, *ἐννήκοντα πόληες* Cretae tribuuntur. v. ibi Intpp. et ad Iliad. l. c. Adde Meurs. de Creta I, 5. E.] *Populi* pro vrbibus; incolae enim vrbis *populum* faciunt. De *admonitus* v. ad IX, 324. *tumulo* etc. nempe occisos hostes inferias vult filio mittere. XII, 2.

484 *Asopiades*, Asopi ex Ae-

Haud facienda meae; neque enim coniunctior vlla
Cecropidis hac est tellus: ea foedera nobis.
Tristis abit, Stabuntque tibi tua foedera magno,
Dixit; et vtilius bellum putat esse minari,
Quam gerere, atque suas ibi praeconsumere vires.
Classis ab Oenopiis etiamnum Lyctia muris
Spectari poterat; cum pleno concita velo
Attica puppis adest, in portusque intrat amicos,
Quae Cephalum, patriaeque simul mandata ferebat.
Aeacidae longo iuuenes post tempore visum
Agnouere tamen Cephalum, dextrasque dedere,
Inque patris duxere domum. Spectabilis heros,
Et veteris retinens etiamnum pignora formae,
Ingreditur, ramumque tenens popularis oliuae;
Et dextra laeuaque duos aetate minores
Maior habet, Clyton et Buten, Pallante creatos.
Postquam congressus primi sua verba tulerunt;

(487. Pro *magno* vnus Vatic. vnus Ciofan. Cantabr. Iun. Berol. aliique *damno*, quod glossa esse videtur. E.) 498. *popularis*. Gronou. pr. *candentis*, pro quo Heins. *canentis* malebat. 506. Nonnulli *Bruten*, vnde Meurs. Reg. Att. II, 6 facit *Bryten*, a quo Brytadarum familia apud Athenienses descendebat, vt a *Bute* Butadarum. - *Pallante*. Heins. coni. *Teleonte*.

gina nepos. *Ea*, tam sancta. Cic. Or. II, 40, *quod eam legem tulisti*, tam perniciosam. *magno stabunt*. V. ad X, 547. *Praeconsumere*, ante bellum, quod moliebatur, minuere. VIII, 7, *praetentare vires*. Liu. 21, 29, *ante libare vires*.

490 *Lyctia* a Lycto, vrbe Cretae. *velo*. Burm. e tribus Mss. mauult *vento*, quod magis voc. *concita* conueniat. Frustra. Aen. I, 400, *Aut portum tenet*, *aut pleno subit ostia velo*. V, 281, *velis subit ostia plenis*. Portum intraturi solent quidem vela contrahere, sed v. ad VI, 445. *Cephalus*, Deionis aut, vt alii tradunt, Mercurii filius, qui Procrida, Erechthei filiam, in matrimonio habebat. *Longo post tempore* dixit et Virg. Ecl. I, 30. Fuisse Cephalum iuuenem ap. Aeginenses e vs. 516 apparet.

497 *Pignora* exquisitius, quam signa, vestigia. *Spectabilis*, forma conspicuus. Sic eum notat propter fab. seq. inde a vs. 661, vbi ob formam rapitur. *popularis*, quia nata apud Athenienses. *Ramus oliuae* signum supplicis. *Pallas*, filius Nelei, qui fuit pater Thesei. V. Hygin. fab. 244. Eum et filios res nouas molientes postea Theseus interfecit. Pausan. Attic. p. 51 et 70.

501 *Sua verba*, in ea re sollemnia. *congressus* dixit pro congredientibus. *tulerunt*, protulerunt. Cic. Fin. III, 2, *surrexit*. *Deinde prima illa*, *quae in congressu solemus*. Non tamen hanc nostri loci lectionem defenderim, quam Hein-

Cecropidûm Cephalus peragit mandata, rogatque
Auxilium; foedusque refert, et iura parentum,
Imperiumque peti totius Achïados addit.
Sic vbi mandatam iuuit facundia caussam;
Aeacus in capulo sceptri nitente sinistra,
Ne petite auxilium, sed sumite, dixit, Athenae.
Nec dubie vires, quas haec habet insula, vestras
Ducite, et omnis eat rerum status iste mearum.
Robora non desunt; superat mihi miles, et hosti.

509. Quidam *dicite*, quod defendit Zinzerling. Promuls. 21. G. 510. H. vs. in Heidelb. post vs. 511 legitur. Caeterum Bothius h. l. ita constituit: „*Ne petite auxilium, sed sumite*," *dixit*, „*Athenae; Nec dubie v., q. h. h. i. v. Ducite! Vt omnis eat*: (*rerum status iste mearum*) *Robora non desunt; s. m. miles, et hosti*. Quae sic interpretatur: „Libere vtimini, Athenienses, hoc meo auxilio, et omnes Aeginae insulae copias ad bellum vobis adhibete tanquam vestras. Vt omnis (Aegina, h. e. omnes eius

sio debemus. Vulgo, *congressi, primi — — Cecropidae*. Multi veteres *congressu primo*, nonnulli bonae notae, *congressus primi*. Hinc Heins. etiam *Cecropidae* in *Cecropidûm* mutauit, cum *Cecropidarum* esse deberet. [Solent tamen scriptores vett. hos genitiuos patronymicorum semper fere contracta formâ *idûm* proferre. Rarior est plena forma *idarum*.] De *auxilio* hoc caeteri scriptores silent. Diodor. IV, 61 narrat, in hoc bello cum fames orta esset, Athenienses ab Aeaco petiisse, vt opem sibi a Diis impetraret: quod Isocrat. Euag. 4 de vniuersis Graecis tradit. *Iura*, necessitudines. Plin. VII Ep. 11, 4, *Sunt mihi et cum marito eius vetera iura*, vbi v. not.

506. *Capulo*, parti inferiori sceptri, quae manu tenebatur, sedentes innitebantur. *Nec dubie — ducite*, non dubitate ducere. Et Burm. emendari volebat, *Nec dubita — ducere*. Male; tres enim legatos alloquitur, et praecessit *petite, sumite*. Sequentia *omnis — mearum* molestiam creant. Heins. coni. *communis rerum status*, Burm. *Et, vt rerum nunc est status ille mearum*. Potest tamen vulg. lectio vtcunque explicari. *Status rerum* cum omnino sit regni conditio, potest etiam de copiis militaribus intelligi, et *ire* de exercitu proficiscente recte dr. Corn. Nep. Ages. 3, 5. Neque hoc nos offendere debet, quod omnes suas copias ire vult; is enim sensus bene conuenit antecedentibus, *Ne petite — ducite*. Et poterat in tanta suorum multitudine nouos facile milites conscribere. Verba *superat — hosti* Vir doctus in Ephem. lit. Ien. a. 1793 N. 280 argute et breuiter dicta putat, superat miles *mihi*, ad me defendendum, *et hosti*, et hostem impugnandum. Etiam Lenzius *hosti* expl. aduersus hostem. Alii de loco sanando cogitarunt. Heinsius, *Superat sat militis hospes*. Burm. suadet vel *et hosti*, vel *in hostem*. Prius minimum aberrat a vulg. scriptura; posterius melius fauet sensui. *Inexcusabile tempus*, conditio regni adeo prospera, vt excusatio de auxilio negando locum non habeat.

Gratia Dîs; felix, et inexcusabile tempus.
Immo ita sit! Cephalus, crescat tua ciuibus opto
Res, ait. Adueniens equidem modo gaudia cepi;
Cum tam pulchra mihi, tam par aetate iuuentus
Obuia processit. Multos tamen inde requiro,
Quos quondam vidi vestra prius vrbe receptus.
Aeacus ingemuit, tristique ita voce locutus:
Flebile principium melior fortuna secuta est.
Hanc vtinam possem vobis memorare sine illo!
Ordine nunc repetam. Neu longa ambage morer vos;
Ossa, cinisque iacent, memori quos mente requiris.
Et quota pars illi rerum periere mearum!
Dira lues ira populis Iunonis iniquae

incolae) vobiscum eant: tamen (qui rerum mearum status est) robora mihi non desunt, vt cui milites eodem modo superent, quo hosti, Minoi." Heinsii correct. *communis r. st.* etc. praefert H. Vossius. 512. Bothius cor. *Imo ita! sed, Cephalus, crescat tua ciuibus opto Res, ait.* 517. Pro *locutus*, vnus Moreti cod. *profatus*, quod defendit Both. coll. Virg. Aen. I, 561. 520. Idem recte praefert *repetam*, cum Schepper. maluerit *referam*. 522. Both. cor. *Hei quota pars.* Pro *illi* cod. Berol. *illic*. E.

512 *Immo ita sit* vim habet confirmandi, quod ab altero dictum est. *requiro*, sentio abesse.

518 *secuta est* reuocaui e plurimis Mss. namque Heins. ex vno Ciof. Vatic. prim. Gronou. Excerpt. Langerm. et ex Graeuian. pro diuersa lectione *sequetur* inuexerat, vt sensus esset, Gemui ego quidem, sed hoc flebile principium in narratione iam instituenda melior fortuna sequetur. Alterum melius. Mox libri omnes, *memorare! sine vllo Ordine* etc. Sed ego Schepperi coniect. [in Tan. Fabri Epist. II, 71,] recipere non dubitaui. Cur enim *sine vllo ordine* rem narrare voluisset? Et cur optet, vt fortunam narrare possit, quam et poterat narrare, et reuera ordine memorauit? Et vidi coniect. eandem tam viro docto in Biblioth. Tigur. p. 75, quam Lenzio esse probatam. Ac hic quidem haec cum seqq. *Neu longa* etc. coniungit [Vtrumque. et *secuta est* et *sine illo*, praeferunt etiam Both. et H. Voss.] Caeterum *ordine referre* formula est sollemnis de iis, qui rem diligenter per partes narrant. IX, 5. *Ossa cinisque.* V. ad VIII, 496. *Et quota* etc. illi, quos tu quondam vidisti, fuere minima pars eorum, qui perierunt. *Quotus* adhibetur et ad augendam et ad minuendam rem. *rerum mearum*, subditorum meorum. *Res*, vt πρᾶγμα et χρῆμα, de hominibus. V. Gronou. Obs. IV p. 706. Infra vs. 583, *pars meorum.*

523 Notabilis pestilentiae descriptio, in qua Noster secutus est Lucret. VI, 1136. Virg. G. III, 474 sqq. [vbi v. Heyn.] Cf. Se-

Contigit. Hîc aeuo veteres mortalia primo
Corpora vulgarunt pluuialibus edita fungis.
Sed postquam Colchis arsit noua nupta venenis,
Flagrantemque domum regis mare vidit vtrumque;
Sanguine natorum perfunditur impius ensis;
[Vltaque se male mater, Iäsonis effugit arma.]

397. Nec h. vs. pro genuino habet Heins. G. Defendit h. v.

394. *Medea cum ex Iasone iam filios Mermerum et Feretum procreasset, summaque concordia viuerent, obiiciebatur ei, hominem tam fortem, formosum ac nobilem, vxorem aduenam atque veneficam habere. Huic Creon, Menoecei filius, rex Corinthius, filiam suam minorem Glaucen dedit vxorem. Medea cum vidit, se erga Iasonem bene merentem tanta contumelia esse affectam, coronam ex venenis fecit auream, eamque muneri iussit filios suos nouercae dare. Creusa, munere accepto, cum Iasone et Creonte conflagrauit. Medea vbi regiam ardere vidit, natos suos interfecit et profugit Corintho.* Hygin. fab. 25. Cf. Apollod. d. l. Hoc fundamentum est Eurip. et Senecae fabularum, quae Medeae nomen habent. [Conf. Heroid. XII.] *Noua nupta* ab aliis Glauce vocatur, ab aliis Creusa, et iam olim dubitabatur, vtrum verius. Schol. Eurip. ad Med. 19. Sed bene notauit Burm. Creusam non esse nomen proprium, sed filiam regis notare. *venenis*, donis venenatis. Horat. Epod. III, 13, *delibutis donis*. Miserat pallam et coronam, πέπλον καὶ στέφος χρυσήλατον. Eurip. 949. Valer. Flac. V, 449. Senec. Med. 570. Illa dona infecerat naphtha, ex multorum quidem opinione, quae inde dicta est Μηδείας φάρμακον. v. Munker. ad Hygin. d. l. Naphthae magna cognatio ignium, qui protinus in eam transiliunt. Plin. II, 105; vbi addit: *Ita ferunt a Medea pellicem crematam, postquam sacrificatura ad aras accesserat, corona igne rapta.* Vocat *Colcha* venena, quia Medea Colchis iis vsa. G. *Colcha* autem *venena* Burm. Sec. ad Propert. I, 11, 29. p. 123 per metaplasmum dicta putat pro *Colchicis*, vt *Baiae aquae* pro *Baianis*, *siluae Phaeacae* pro *Phaeaciis*, *esseda Britanna* pro *Britannicis* dicantur; coll. Brouckh. ad Propert. II, 1, 86 et III, 1, 51; Cuper Obseruat. I, 17 p. 124; Meurs. ad Lycophr. 496, et Scriuer. ad Martial. pag. 26. Monet autem Bentlei. ad Horat. II, 13, 8, adiectiuum *Colchus* esse gentile (τὸ ἐθνικὸν), *Colchicus* autem possessiuum (τὸ κτητικόν). E.

396 Interfectos filios a Corinthiis, quod dona attulissent, auctor est Pausan. Corinth. p. 118. idemque addit, cum filii innocentes essent inuenti, Corinthios in eo ipso loco, vbi interfecti essent, Pauoris imaginem dedicasse, ad eamque sacra anniuersaria fecisse. Similiter Apollod. et Aelian. V. H. V, 21. In Scholiis Eurip. ad Med. Euripides traditur quinque talentis a Corinthiis corruptus esse, vt in Medeam transferret illam caedem. Rem disquirit Barnesius in Vita Eurip. §. 17. Vid. et Boettigeri prolusiones de Medea Euripidea.

Theseus.

Hinc Titaniacis ablata draconibus, intrat
Palladias arces; quae te, iustissima Phini,
Teque, senex Peripha, pariter vidêre volantes,
Innixamque nouis neptem Polypemonis alis.
Excipit hanc Aegeus, facto damnandus in vno:
Nec satis hospitium est, thalami quoque foedere iungit.

Bothius, monens, sermonem in eo esse latinam et numeros venustissimos, cum pertineat ad bucolicum hexametri genus (cf. Terentian. Maur. p. 2430 ed. P.). Praeterea contendit, esse h. v. ad nexum necessarium, vt sequentia cum antecedentibus bene cohaereant. Inde etiam post *arma* minimam interpunctionem posuit et *Hinc* mutauit in *Ac*. Heinsio aduersatur etiam H. Voss. 402. *facto d. in illo* cor. Medenb. Wakker. in Amoen. Litter. c. 5. p. 26. E. 403. Ian. et Florent. *foedera*, quod non improbat Burm.

FAB. VI, 398—452. *Medea Athenas fugit*, vbi ab Aegeo excipitur, cuius filium veneuis interficere conatur. [Plutarch. Thes. Eustath. ad Dionys. Perieg. vs. 1017.] Excipit eam Aegeus, postquam iurauerat, se eam non eiecturum. Eurip. 709 sqq. Ipsa pollicita erat, se orbitate liberaturam Aegéa. Plutarch. Thes. 12. Filio seruato, conuiuium instituitur, quod resonat Thesei laudibus. Cf. Hygin. 26. Diod. Sic. IV, 54 s. Pausanias 2, 3. Apollod. I, 9, 28.

Titaniacis, quos a sole acceperat. Apollod. *Periphas*, rex antiquissimus Atticae ante Cecropis tempora. Eum Iupiter in aquilam mutauit, eiusque coniugem, cum separari nollet a marito, in ὄρνιθα σύννομον, i. in iisdem pascuis versantem, vna viuentem, nempe in Φήνην, falconem ossifragum. Anton. Lib. 6. Iam quoniam et nunc de duobus sermo est *pariter volantibus*, *Phineus* autem (qui in lectione vulg. occurrit) nullus apud Veteres occurrit, ad quem haec pertineant, admodum credibile est, quod Schrader. ad Anton. coniecit, pro *iustissime Phineu* legendum esse, *iustissima Phini*; nam Φίνις i. q. Φήνη. Potuit enim mulier nomen auis habere, in quam mutata est, vt Daphne arboris, Arachne araneae etc. [Sic *Ceyx*, *Coronis*, *Cygnus*, *Halcyone*, *Lycus*, *Nisus*, *Perdix*, *Picus* aliique in animalia eiusdem nominis mutati sunt.] Accedit et hoc, quod in Arguin. Lactant. vnus Ms. *Phenen* habet. [Proposuit hanc correct. Schrader. primum ad Anton. Liberal. c. 6; et repetiit eam in Obseruatt. c. 3 p. 21. Cum autem de ea dubitasset Verheykius, denuo illam defendit in Praefat. ad Emendatt. p. LIV seq. Probarunt h. lect. Pierson. Verisim lib. I, c. I, p. 7 et Both.] Coniect. igitur illam, probatam et Lenzio, recepi. *Iustissima* illa vr. ob pietatem in coniugem. *Neptem Polypemonis*, Halcyonem, Scironis filiam; quae, quod corpus vulgasset, a patre in mare deiecta in sui nominis auem mutata est. Probus ad Virgil. G. I, 399 e Theodoro. *inniti* aut *niti alis* pr. de auibus volantibus.

403 *thalami foedere*, vt *tedae iure* IV, 60.

Iamque aderat Theseus proles ignara parenti;
Qui virtute sua bimarem pacauerat Isthmon.
Huius in exitium miscet Medea, quod olim
Attulerat secum Scythicis aconiton ab oris.
Illud Echidneae memorant e dentibus ortum
Esse canis. Specus est tenebroso caecus hiatu;
Est via decliuis, per quam Tirynthius heros
Restantem, contraque diem radiosque micantes
Obliquantem oculos, nexis adamante catenis
Cerberon abstraxit; rabida qui concitus ira

410. *Est via declinis.* Heins. haec sic mutanda censebat, *In Maryandinis*, vel, *in Peryandinis*, apud quos aconiton nascebatur. Burm. si quid mutandum esset, praeferret prius. (Nihil mutandum esse censet Bothius, monens: „quod locum non expressit Noster, vnde Cerberum Hercules abstraxerit, modo in similibus id facit, velut X, 13; modo non facit, velut h. l. et IV, 432." Reuocat autem cum H. Vossio antiquam lect. *Et via*, quoniam *est* offendat.) 413. *abstraxit* restituit Heins. quia verb. sollemne in hac re. Vulg. *attraxit*. G. *abstraxit* primus Palat. multique alii, quibus accedit cod. Wittianus, vt monet Burm. Sec. ad Anth. Lat. T. I, p. 24; quem vide.

404 *ignara*, ignota, passiue, vt VIII, 188. v. Gellius N. A. IX, 12. Ignotus erat Theseus patri, quia apud Pittheum auum Troezenis natus et educatus erat, nunc vero, tamquam virgo, veste talari et decenter pexis capillis veniebat. Pausan. Attic. p. 44. Medea igitur facile impulit Aegea, propter seditionem omnia metuentem, vt Thesea, tamquam hospitem conuiuio exciperet, et veneno tolleret. Plutarch. d. l.

405 Totam illam viam, quae Troezene Athenas ducebat, latrociniis purgauerat. Pausan. Corinth. p. 122. *Pacare* sollemne in hac re. Aen. VI, 804 Hercules *Erymanthi pacauit nemora*. Senec. de Benef. I, 13, *terrarum marisque pacator*. Silius II, 483. *Nemeae pacator*. [cf. Heroid. IX, 13.] — *bimarem*. V. ad V, 407.

407 *aconiton* omnium venenorum ocyssimum, de quo Plin. XXVII, 2 et 3. Theophr. hist. plant. IX, 16. *Echnidneae*, quia Cerberus ex Echidna ortus. Hesiod. Theog. 308. Quint. Smyrn. VI, 261.

409 *Specus est*, Acherusia, in Mariandynorum finibus, ad Heracleam Ponticam, per quem specum iter est ad inferos. Plin. VI, 1. Mela I, 19, 54, ibique Schott. Per eum specum Cerberum ab Hercule extractum memorat et Plin. 27, 2. Iam quoniam magna ibi *aconiti* copia, inde fab. de eius origine orta. *caecus*, obscurus, caliginosus. *restantem*, resistentem, nec loco cedere volentem. Non male Cerberi reluctatio describitur. *obliquantem*, in obliquam partem torquentem. V. ad XII, 486. *nexis* etc. catena ferrea. *ternis latrat.* IV, 451. *virides albentibus*, vt I, 112.

Impleuit pariter ternis latratibus auras,
Et sparsit virides spumis albentibus agros.
Has concresse putant, nactasque alimenta feracis
Fecundique soli, vires cepisse nocendi.
Quae, quia nascuntur dura viuacia caute,
Agrestes aconita vocant. Ea coniugis astu
Ipse parens Aegeus nato porrexit, vt hosti.
Sumserat ignara Theseus data pocula dextra;
Cum pater in capulo gladii cognouit eburno
Signa sui generis, fa inusque excussit ab ore.
Effugit illa necem, nebulis per carmina motis.
At genitor, quamquam laetatur sospite nato,
Attonitus tantum, leti discrimine paruo,

414. Propter κακοφωνίαν in *pariter ternis* cor Both. *trinis.* vid. ad VI, 57. 417. *Fecundique* in rasura scriptum in cod. Berol. et Heidelb. Both. cor. *Foecundumque solum.* Sine causa. Certe tum vs. 416 e Palat. legendum esset, *alimenta furoris.* 426. *tantum* edidit Heinsius ex cod. Leidensi et vno suo. Vulgo legitur *tamen est.* E.

416 Cf. Plin. XXVI, 3. *concresse*, nempe in corpus plantae solidum. Est ergo metamorphosis. *Durae cautes* Graecis dcr. ἀκόναι. Nicander Alex. 42. Sed Theophr. d. l. ab Aconis, Peryandinorum vico, ei nomen impositum putat. G.

421 *Ignara* h. l. actiue, vt vulgo, dicitur, cum paullo ante vs. 404 passiua vi deprehensum sit. Sunt autem multa adiectiua, quae modo actiuam modo passiuam notionem habent. Sic *favorabilis*, (Goclen. Grammat. Controu. lib. II, p. 140.) *infensus* (Gifan. Obss. L. L. p. 338.) *incautus* (Burm. Sec. ad Propert. II, 9, 11 p. 289.) *tacitus*, *ignotus*, *nescius*, *tardus*, *inuidiosus*, *formidolosus*, *suspiciosus*. v. Gellium IX, 12; Heins. et Gierig. ad Metam. VII, 404; Burm. ad I, 154; Nolten. Lex. in Indice s. v. *Adiectiua*, aliosque. E.

422 Gladium vt ostentaret Theseus, cultrum eduxit carnes appositas dissecturus. Plutarch. Thes. 12. Gladio, ξίφει, adiunctus fere erat culter, μάχαιρα. Homer. Il. γ, 271. E signis generis sui, quae Theseus, more veterum, in capulo gestabat, agnoscit filium. Quae fuerint illa *signa*, πατρῷα σύμβολα. Plutarch. non constat. Nonnulli simpliciter gladium intell., quem Aegeus sub saxo absconditerat, vt Theseus adultus eum inde tolleret, eoque instructus Athenas veniret. v. Meursius Thes. cap. 3, et Reg. Att. III, 1. *facinus*, poculum venenatum, quod facinorosa Medea parauerat. Eo *excusso*, erepto ab ore, *facinus* prohibitum est.

424 Aufugit Medea cum Medeo filio, quem ex Aegeo pepererat, in Asiam, tandemque in patriam redit, vbi patri a fratre pulso regnum reddit. Sed Ouidius fata eius iam abrumpit.

426 Aen. IX, 143, *fossarumque morae*, *leti discrimina parva*, quo loco et ipso olim edeb.

Committi potuisse nefas, fouet ignibus aras,
Muneribusque Deos implet; feriuntque secures
Colla torosa boum, vinctorum cornua vittis.
Nullus Erechthidis fertur celebratior illo
Illuxisse dies. Agitant conuiuia patres,
Et medium vulgus; nec non et carmina, vino
Ingenium faciente, canunt Te, maxime Theseu,
Mirata est Marathon Cretaei sanguine tauri:
Quodque suis securus arat Cromyona colonus,
Munus, opusque tuum est. Tellus Epidauria per te

427. *Committi.* Duo, *Admitti*, aeque bene. (432. Bothius cor. *haec carmina*, quoniam in sequentibus haec ipsa carmina afferantur. E.) 435. *suis* cum Boessio et ex vno Gronou. Heins. restituit. Caeteri *suam*.

discrimine paruo. Muneribus D. implet, plurimas victimas offert. Proprie arae implentur, poëtice ipsi Dii. *Agitant* verb. pr. in hac re, notante Burm. *medium vulgus*, vt V, 207, *media plebs.* — *vino ing. fac.* Horat. I Ep. 5, 19, *Fecundi calices quem non fecere disertum?* Cf. idem I Ep. 19 init. Neque vinum solum, sed secundum Persium prol. 10 venter quoque *ingenium* largitur.

434 Thesei laudes commode conuertit in hymni formam, vt res non narrari, sed agi videatur. cf. Virg. Aen. VIII, 288, vbi similis in Herculem hymnus. Taurus ille a Neptuno Minoi, regi *Cretaeo*, datus, post alia fata in terram Atticam venerat, ibique *Marathonios* agros vastabat. Eum Athenas perductum Theseus immolauit, vel Apollini Delphinio, (Plutarch. Thes. 14.) vel Mineruae. (Pausan. Attic p. 66.) At Ouidius confundit tempora; nam taurum illum cepit, postquam Athenis exceptus erat a patre. v. Meursii Thes. cap. X. [Ceperat hunc taurum antea iam Hercules et ad Eurystheum duxerat, qui eum dimisit. v. Regium ad h. l. Secundum alios Hercules eum interfecit. v. Gesner, ad Claudian. III, 289.] *Cromyon* aut *Cremyon*, vicus Corinthi. Ibi *sus*, Phaea dicta, feroica et magnitudine insignis, nec agros solum vastans, sed homines etiam occidens, quam interfecit Theseus. Plutarch. Thes. 9. Tertium hoc fuit Thesei *opus. suis securus.* Notat Heins., voc. *securus* eleganter addi casum secund. [Adde Nolten. Lexic. Antib. p. 1738, et Burm. Sec. ad Anth. Lat. T. I, p. 72. V. etiam ad V, 267 et 345. *Cremyonā arat* pro agris vrbem cingentibus. Sic Heroidd. I, 52 *Pergama arare.* De sue Cromyonia v. Meurs. Thes. VI. Saluagn. ad Ibin 409. E.)

436 In *Epidaurio* agro Peripheten, *Vulcani* ex Antilia filium, interfecit, quod fuit primum eius opus. Armatus ille erat claua (κορύνῃ) ferrea, vnde *κορυνήτης* et *clauiger* dictus. Plutarch. Thes. 8. Pausan. Corinth. p. 112. Apollod. III, 16, 1. [Intpp. ad h. l. et ad Ibin. 407]. *Procrustes*, Neptuni filius, mensuram hospitum ad lectum aptans. Si longiores essent lecto, amputabat prominentes corporis partes, sin breuiores, incude sup-

Clauigeram vidit Vulcani occumbere prolem;
Vidit et immitem Cephesias ora Procrusten.
Cercyonis letum vidit Cerealis Eleusin.
Occidit ille Sinis, magnis male viribus vsus;
Qui poterat curuare trabes, et agebat ab alto
At terram late sparsuras corpora pinus.
Tutus ad Alcathoën, Lelegeïa moenia, limes
Composito Scirone patet; sparsique latronis
Terra negat sedem, sedem negat ossibus vnda:
Quae iactata diu fertur durasse vetustas
In scopulos. Scopulis nomen Scironis inhaeret.
Si titulos, annosque tuos numerare velimus;
Facta premant annos. Pro te, fortissime, vota
Publica suscipimus; Bacchi tibi sumimus haustus.
Consonat adsensu populi, precibusque fauentum
Regia; nec tota tristis locus vllus in vrbe est.

444. Regius *Deposito*, i. depulso, deiecto, quod praefert Burm. 453. Burm. malebat, *nulla est*, quod omnes tuentur praeter vnum Heinsian. et alterum Regii, vnde Heins. *nulli* recepit.

posita extundebat pedes. Plutarch. Thes. 11. Hygin. fab. 38. Habitabat ad *Cephissum*. Pausan. Attic. p. 92. Eum interfecit Theseus, idque fuit sextum eius opus. [v. Intpp. ad Ibin 409.]

439 *Cercyonem*, *Eleusine* degentem, quarta pugna vicit Theseus. Is autem praetereuntes lucta victos interficere solebat. Plutarch. Thes. 11. Pausan. Attic. pag. 94. [Intpp. ad Ibin 413.] *Sinis*, Polypemonis aut Pemonis filius, in Isthmo habitans, duabus inflexis pinubus (vnde Πιτυοκαμπτης dictus) homines alligare solebat, quibus subito dimissis illi foede lacerabantur. Eodem mortis genere affectus est a Theseo. Pausan. Corinth. pag. 111. Hygin. fab. 38. Apollod. d. l. Cf. Valken. ad Eurip. Hippol. vs. 977. Haec secunda eius pugna. [cf. notas ad Ibin 409 et 411. Gesner. ad Claudian. III, 252.]

444 *Sciron*, Scironides, Megaridis rupes, incolens, vel latrociniis viam infestabat, vel praetereuntibus pedes porrigere solebat lauandos; quod cum fecissent, calcibus eos in mare deiiciebat. Plutarch. Thes. 10. [Salvagn. ad Ibin 409. Gesner. ad Claudian. III, 253.] Eum et ipsum deiecit Theseus, idque fuit quartum eius opus. *Alcathoe*, Megaris, ab Alcathoo sic dicta. Pausan. Attic. pag. 98. *Composito*, sublato, interfecto, siue metaphora petita sit a litibus, quae cum componuntur, finiuntur, siue a mortuis, qui et ipsi drr. componi, i. sepeliri. Schirach. sensu exquisitiore sic dictum putabat, quia Theseus Scironem e saxo in mare deturbatum simul sepeliuerit.

448 *titulos*, gloriose facta. *premant*, superent.

Minos. Nec tamen (vsque adeo nulli sincera voluptas;
Sollicitique aliquid laetis interuenit) Aegeus
Gaudia percepit nato secura recepto.
Bella parat Minos; qui quamquam milite, quamquam
Classe valet; patria tamen est firmissimus ira,
Androgeïque necem iustis vlciscitur armis.
Ante tamen bello vires adquirit amicas;
Quaque potens habitus, volucri freta classe pererrat.

457. Plurimi, *fortissimus* e sollemni permutatione. 459. Plurimi *bello*, quod magis poëticum mihi videtur, quam vulg. *bellum*. (Gierigio accedit Bothius.)

FAB. VII, 453—660. Minos II. ob filium Androgeum interfectum bellum mouet Atheniensibus, quibus auxilium pollicetur Aeacus, rex Aeginae, cuius ciues, a peste absumti, miro quodam modo suppleti erant ex formicis. Nempe *Myrmidones* prisci Aeginae incolae, qui postea Peleum secuti Thessaliam incoluerunt. Iam, quoniam formicae Graecis μύρμηκες dīr., Hesiodus (fragm. p. 440. Lips.) auctor coepit, etymologiam peruerse premens, fingere eos ex formicis factos, quod multi deinceps repetierunt. Et illo quidem auctore Iupiter id effecit, cum Aeacus in Aegina, insula deserta, vbi educatus erat et adoleuerat, solus esset. Sic et Apollod. III, 12, 6, vbi v. Heyne. Sed Pausan. II, 29 in eo discrepat, quod homines illos non ex formicis, sed ex terra natos mentitur. Pestem vero et formicarum mutationem cum Nostro in hac fab. Strabo VIII, p. 576 et Hygin. fab. 52 commemorant.

[Verba *vsque adeo* etc. expressit Noster ex Apollon. Rhod. IV, 1165 sqq., vt monet Ruhnken. ad Callim. fragm. CCCCXVIII, T. I, p. 569 ed. Ern.] *Sincerum*, cui nihil alieni, vitiosi, h. l. doloris, immixtum, incorruptum. Ab hoc nunc non differt *securum*.

457 Cretenses illo tempore arte nautica excellebant omnibus gentibus. *Minos* primus imperium maris habuit, classeque instructa purgauit mare a piratis. Thucyd. 1, 4. Herod. 3, 122. Diodor. Sic. IV, 60. De bello hoc etiam Plutarch. Thes. 15. Pausan. I, 27. Apollod. III, 15, 8. Hygin. fab. 41. *firmissimus*, validissimus, saepissime de belli potentia. v. Gronou. ad Liu. 21, 25. Sed nunc et *firmissimus ira*, quem ira impellit, vt omnibus viribus suis vtatur.

460 Non admodum *volucris* illa classis fuisse videtur. Eam enim effugit Daedalus eam ipsam ob caussam, quod velis carebat, quae inuenerat et quibus vtebatur Daedalus. v. Goguet *vom Ursprunge der Gesetze* etc. To. II p. 276. Est ergo nunc nil nisi epitheton ornans s. commune. *bello* (Datiu.), quod omnes Mss. praeter tertium Medic. et quinque alios habent, reuocandum putaui; est enim magis poëticum. Aen. II, 315, *glomerare manum bello*. III, 540, *Bello armantur equi*. *Vires* saepe de copiis militaribus. *amicas*, auxiliares. *potens habitus*, habebat enim imperium maris.

Hinc Anaphen sibi iungit, et Astypaleïa regna,
Promissis Anaphen, regna Astypaleia bello.
Hinc humilem Myconon, cretosaque rura Cimoli,
Florentemque Cythnon, Scyron, planamque Seriphon,
Marmoreamque Paron, quamque impia prodidit Arne.

461. *Astypaleia* pro *Styphaleia* bene dedit Regius. Illius enim nominis insula nulla in Archipelago. Vs. seq. delendum censebat Mar. Accurs.; et deest in Berol. duobus Ciofan. multisque Heins. codd. et in versione Planud. 464. *Scyron*, Quidam cum Mss. nonnullis tuentur *Syron:* nam haec quoque vna ex Cycladibus. Reliquas varietates, quae multae sunt, non repeto.

461 Catalogus harum insularum Cretae vicinarum commode quidem hunc potuisset omitti, quandoquidem non historia Minois narratur; sed eruditionis ostentandae caussa talia inserebantur á poëtis. *Promissis* etc. Hunc vs. non damno, solet enim et alibi Ouidius superiora repetere cum additamento aliquo. [Omnino saepe veteres poëtae sic nomina propria repetunt cum additamento, quod venustatem vel acrimoniam afferre possit, vt dicit Schrader. Obseru. lib. I, c. 2, p. 17, 18, quem vide.] *humilem* — *planam*. Cum *Myconos* Virg. Aen. III, 76 *celsa* dicatur, *Seriphos* autem inter saxosas insulas referatur, varie Intt. haec epitheta et emendarunt, et explicaruut. Fatetur Burm. manere sibi nodum non soluendum. Nempe insulae illae videntur litus accliue habuisse, et sic illa *humilis*, haec *plana* fuisse. Sic certe *humilis Italia* Virg. Aen. III, 522. v. Heyn. Exc. IV ad illum libr. Pro *planamque* tamen cum Constant. Fanens. *paruumque* legendum arbitror, quia *parua Seriphos* etiam V, 242, et ap. Iuuenalem. Fuit enim, auctore Plinio, circuitus eius non nisi XII millia passuum. *Plana* contra non fuit, sed aspera. *Cythnos* Cimolo vicina. *Florentem* nude positum, tum *Scyron* sine epitheto offendebant nonnullos, vt Micyllum et Heins., quorum ille suadebat vel *Florentemque auro* (aut *viris*) *Syron*, vel *Flor. viro* (Achille, qui illo tempore apud Lycomedem seruabatur) *Scyron*. Hic malebat, *Florentemque thymo Cythnon* vel *Syron;* laudatissimum enim fuisse omne mel Cycladium. Sine caussa. *Florens ciuitas* omnino pollens opibus, opulenta. Cic. Rosc. 18, maiores *rempublicam florentissimam nobis reliquerunt*. Corn. Nep. 21, 2, *Decessit florente regno*. *Cimolus* cretam habebat, quae purgandis vestibus adhibebatur. v. Plin. XXXV, 17.

465 *quaque* etc. Fabula ignota, hinc lectio incerta. Reuocaui equidem veterem a Burm. motam, *quamque impia prodidit Arne*. Praeterea pro *Sithonis* Heins. coni. *Siphnon*, *et ac*, vt allusum sit ad aurifodinas Siphnias, de quibus plura congessit. Certe, non satis apparet, cur Ouid. insulae ipsius nomen omiserit et periphrasi obscura vsus sit. [Heinsium tamen sequutus est Bothius.] *Monedula*, quia saepenumero *monetas* aureas auferт, inde nomen accepisse credebatur. *velari* de pennis, vt XIII, 53.

Sithonis, accepto, quod auara poposcerat, auro.
Mutata est in auem, quae nunc quoque diligit aurum,
Nigra pedem, nigris velata monedula pennis.
At non Oliaros, Didymaeque, et Tenos, et Andros,
Et Gyaros, nitidaeque ferax Peparethos oliuae,
Gnosiacas iuuere rates. Latere inde sinistro
Oenopiam Minos petit, Aeacideïa regna.
Oenopiam veteres adpellauere; sed ipse
Aeacus Aeginam genetricis nomine dixit.
Turba ruit, tantaeque virum cognoscere famae
Expetit. Occurrunt illi, Telamonque, minorque,
Quam Telamon, Peleus, et proles tertia Phocus.
Ipse quoque egreditur, tardus grauitate senili,
Aeacus; et quae sit veniendi caussa requirit.
Admonitus patrii luctus suspirat, et illi
Dicta refert rector populorum talia centum:
Arma iuues oro pro gnato sumta, piaeque
Pars sis militiae; tumulo solatia posco.
Huic Asopiades, Petis irrita, dixit, et vrbi

476. *Expetit.* Multi *excipit.* Heins. varia coni. *Percupit, exigit, Rex cupit, Plebs auet.*

472 *Oenopia* et *Oenone* ante dicta illa insula. Eurip. Iph. Aul. 699, Ζεὺς Αἰακὸν δ' ἔφυσεν Οἰνώνης πρόμον. Ita et Pausan. Cor. p. 122. Stephan. de Vrb. Οἰνώνη, νῆσος μία τῶν Αἰακιδῶν. [v. Mueller. in Aegineticis.] Hinc et h. l. quidam emendarunt *Oenonen.* Sine caussa. Etenim et Pindar. Isth. 8, 43 νᾶσον Οἰνοπίαν dixit, et Noster mox *Oenopii muri.* Nomina autem eiusdem loci diuersa sic commemorantur et alibi a poëtis, vt Aen. I, 108. *Aeginam* etc. vid. Munker. ad Hygin. fab. 52. [*genetricis nomine.* Iupiter enim Aeginam rapuit (Nonn. Dionys. VI, 212), et cum ea Aeacum genuit. Pindar. Nem. VIII, 10. v. ad VI, 113 et infra ad vs. 524.]

476. *Expetit*, cupit. *Occurrunt* et ii, qui honoris caussa obuiam eunt venienti. De tribus Aeaci filiis v. ad XI, 267. *Phocum* ignorat Isocrat. Euag. 4. *Egreditur* in litus. *grauitas*, debilitas corporis, quae tardat incessum.

481 Nota est Creta ἑκατόμπολις ex Homer. Il. β, 649. v. Strabo lib. 10, p. 735. [cf. A. A. I, 297, Virg. Aen. III, 106. Sed ap. Homer. Od. τ, 174, ἐννήκοντα πόληες Cretae tribuuntur. v. ibi Intpp. et ad Iliad. l. c. Adde Meurs. de Creta I, 5. E.] *Populi* pro vrbibus; incolae enim vrbis *populum* faciunt. De *admonitus* v. ad IX, 324. *tumulo* etc. nempe occisos hostes inferias vult filio mittere. XII, 2.

484 *Asopiades*, Asopi ex Ae-

Haud facienda meae; neque enim coniunctior vlla
Cecropidis hac est tellus: ea foedera nobis.
Tristis abit, Stabuntque tibi tua foedera magno,
Dixit; et vtilius bellum putat esse minari,
Quam gerere, atque suas ibi praeconsumere vires.
Classis ab Oenopiis etiamnum Lyctia muris
Spectari poterat; cum pleno concita velo
Attica puppis adest, in portusque intrat amicos,
Quae Cephalum, patriaeque simul mandata ferebat.
Aeacidae longo iuuenes post tempore visum
Agnouere tamen Cephalum, dextrasque dedere,
Inque patris duxere domum. Spectabilis heros,
Et veteris retinens etiamnum pignora formae,
Ingreditur, ramumque tenens popularis oliuae;
Et dextra laeuaque duos aetate minores
Maior habet, Clyton et Buten, Pallante creatos.
Postquam congressus primi sua verba tulerunt;

(487. Pro *magno* vnus Vatic. vnus Ciofan. Cantabr. Iun. Berol. aliique *damno*, quod glossa esse videtur. E.) 498. *popularis.* Gronou. pr. *candentis*, pro quo Heins. *canentis* malebat. 500. Nonnulli *Bruten*, vnde Meurs. Reg. Att. II, 6 facit *Bryten*, a quo Brytadarum familia apud Athenienses descendebat, vt a *Bute* Butadarum. - *Pallante.* Heins. coni. *Teleonte.*

gina nepos. *Ea,* tam sancta. Cic. Or. II, 40, *quod eam legem tulisti*, tam perniciosam. *magno stabunt.* V. ad X, 547. *Praeconsumere*, ante bellum, quod moliebatur, minuere. VIII, 7, *praetentare vires.* Liu. 21, 29, *ante libare vires.*

490 *Lyctia* a Lycto, vrbe Cretae. *velo.* Burm. e tribus Mss. mauult *vento*, quod magis voc. *concita* conueniat. Frustra. Aen. I, 400, *Aut portum tenet, aut pleno subit ostia velo.* V, 281, *velis subit ostia plenis.* Portum intraturi solent quidem vela contrahere, sed v. ad VI, 445. *Cephalus,* Deionis aut, vt alii tradunt, Mercurii filius, qui Procrida, Erechthei filiam, in matrimonio habebat. *Longo post tempore* dixit et Virg. Ecl. I, 30. Fuisse Cephalum iuuenem ap. Aeginenses e vs. 516 apparet.

497 *Pignora* exquisitius, quam signa, vestigia. *Spectabilis,* forma conspicuus. Sic eum notat propter fab. seq. inde a vs. 661, vbi ob formam rapitur. *popularis*, quia nata apud Athenienses. *Ramus oliuae* signum supplicis. *Pallas,* filius Nelei, qui fuit pater Thesei. V. Hygin. fab. 244. Eum et filios res nouas molientes postea Theseus interfecit. Pausan. Attic. p. 51 et 70.

501 *Sua verba,* in ea re sollemnia. *congressus* dixit pro congredientibus. *tulerunt*, protulerunt. Cic. Fin. III, 2, *surrexit. Deinde prima illa, quae in congressu solemus.* Non tamen hanc nostri loci lectionem defenderim, quam Hein-

Cecropidûm Cephalus peragit mandata, rogatque
Auxilium; foedusque refert, et iura parentum,
Imperiumque peti totius Achïados addit.
Sic vbi mandatam iuuit facundia caussam;
Aeacus in capulo sceptri nitente sinistra,
Ne petite auxilium, sed sumite, dixit, Athenae.
Nec dubie vires, quas haec habet insula, vestras
Ducite, et omnis eat rerum status iste mearum.
Robora non desunt; superat mihi miles, et hosti.

509. Quidam *dicite*, quod defendit Zinzerling. Promuls. 21, G. 510. H. vs. in Heidelb. post vs. 511 legitur. Caeterum Bothius h. l. ita constituit: „*Ne petite auxilium, sed sumite*,“ *dixit*, „*Athenae; Nec dubie v., q. h. h. i. v. Ducite! Vt omnis eat*: (*rerum status iste mearum*) *Robora non desunt; s. m. miles, vt hosti.* Quae sic interpretatur: „Libere vtimini, Athenienses, hoc meo auxilio, et omnes Aeginae insulae copias ad bellum vobis adhibete tanquam vestras. Vt omnis (Aegina, h. e. omnes eius

sio debemus. Vulgo, *congressi, primi* — — *Cecropidae*. Multi veteres *congressu primo*, nonnulli bonae notae, *congressus primi*. Hinc Heins. etiam *Cecropidae* in *Cecropidûm* mutauit, cum *Cecropidarum* esse deberet. [Solent tamen scriptores vett. hos genitivos patronymicorum semper fere contracta formâ *idûm* proferre. Rarior est plena forma *idarum*.] De *auxilio* hoc caeteri scriptores silent. Diodor. IV, 61 narrat, in hoc bello cum fames orta esset, Athenienses ab Aeaco petiisse, vt opem sibi a Diis impetraret: quod Isocrat. Euag. 4 de vniuersis Graecis tradit. *Iura*, necessitudines. Plin. VII Ep. 11, 4, *Sunt mihi et cum marito eius vetera iura*, vbi v. not.

506. *Capulo*, parti inferiori sceptri, quae manu tenebatur, sedentes innitebantur. *Nec dubie — ducite*, non dubitate ducere. Et Burm. emendari volebat, *Nec dubita — ducere*. Male; tres enim legatos alloquitur, et praecessit *petite, sumite*. Sequentia *omnis — mearum* molestiam creant. Heins. coni. *communis rerum status*, Burm. *Et, vt rerum nunc est status ille mearum*. Potest tamen vulg. lectio vtcunque explicari. *Status rerum* cum omnino sit regni conditio, potest etiam de copiis militaribus intelligi, et *ire* de exercitu proficiscente recte dr. Corn. Nep. Ages. 3, 5. Neque hoc nos offendere debet, quod omnes suas copias ire vult; is enim sensus bene conuenit antecedentibus, *Ne petite — ducite*. Et poterat in tanta suorum multitudine nouos facile milites conscribere. Verba *superat — hosti* Vir doctus in Ephem. lit. Ien. a. 1793 N. 280 argute et breuiter dicta putat, superat miles *mihi*, ad me defendendum, *et hosti*, et hostem impugnandum. Etiam Lenzius *hosti* expl. aduersus hostem. Alii de loco sanando cogitarunt. Heinsius, *Superat sat militis hospes*. Burm. suadet vel *vt hosti*, vel *in hostem*. Prius minimum aberrat a vulg. scriptura; posterius melius fauet sensui. *Inexcusabile tempus*, conditio regni adeo prospera, vt excusatio de auxilio negando locum non habeat.

Gratia Dîs; felix, et inexcusabile tempus.
Immo ita sit! Cephalus, crescat tua ciuibus opto
Res, ait. Adueniens equidem modo gaudia cepi;
Cum tam pulchra mihi, tam par aetate iuuentus
Obuia processit. Multos tamen inde requiro,
Quos quondam vidi vestra prius vrbe receptus.
Aeacus ingemuit, tristique ita voce locutus:
Flebile principium melior fortuna secuta est.
Hanc vtinam possem vobis memorare sine illo!
Ordine nunc repetam. Neu longa ambage morer vos;
Ossa, cinisque iacent, memori quos mente requiris.
Et quota pars illi rerum periere mearum!
Dira lues ira populis Iunonis iniquae

incolae) vobiscum eant: tamen (qui rerum mearum status est) robora mihi non desunt, vt cui milites eodem modo superent, quo hosti, Minoi." Heinsii correct. *communis r. st.* etc. praefert H. Vossius. 512. Bothius cor. *Imo ita! sed, Cephalus, crescat tua ciuibus opto Res, ait.* 517. Pro *locutus*, vnus Moreti cod. *profatus*, quod defendit Both. coll. Virg. Aen. I, 561. 520. Idem recte praefert *repetam*, cum Schepper. maluerit *referam*. 522. Both. cor. *Hei quota pars.* Pro *illi* cod. Berol. *illic*. E.

512 *Immo ita sit* vim habet confirmandi, quod ab altero dictum est. *requiro*, sentio abesse.

518 *secuta est* reuocaui e plurimis Mss. namque Heins. ex vno Ciof. Vatic. prim. Gronou. Excerpt. Langerm. et ex Graeuian. pro diuersa lectione *sequetur* inuexerat, vt sensus esset, Gemui ego quidem, sed hoc flebile principium in narratione iam instituenda melior fortuna sequetur. Alterum melius. Mox libri omnes, *memorare! sine vllo Ordine* etc. Sed ego Schepperi coniect. [in Tan. Fabri Epist. II, 71,] recipere non dubitaui. Cur enim *sine vllo ordine* rem narrare voluisset? Et cur optet, vt fortunam narrare possit, quam et poterat narrare, et reuera ordine memorauit? Et vidi coniect. eandem tam viro docto in Biblioth. Tigur. p. 75, quam Lenzio esse probatam. Ac hic quidem haec cum seqq. *Neu longa* etc. coniungit [Vtrumque. et *secuta est* et *sine illo*, praeferunt etiam Both. et H. Voss.] Caeterum *ordine referre* formula est sollemnis de iis, qui rem diligenter per partes narrant. IX, 5. *Ossa cinisque.* V. ad VIII, 496. *Et quota* etc. illi, quos tu quondam vidisti, fuere minima pars eorum, qui perierunt. *Quotus* adhibetur et ad augendam et ad minuendam rem. *rerum mearum*, subditorum meorum. *Res*, vt πρᾶγμα et χρῆμα, de hominibus. V. Gronou. Obs. IV p. 706. Infra vs. 583, *pars meorum.*

523 Notabilis pestilentiae descriptio, in qua Noster secutus est Lucret. VI, 1136. Virg. G. III, 474 sqq. [vbi v. Heyn.] Cf. Se-

Incidit, exosae dictas a pellice terras.
Dum visum mortale malum, tantaeque latebat
Caussa nocens cladis; pugnatum est arte medendi.
Exitium superabat opem, quae victa iacebat.
Principio coelum spissa caligine terras
Pressit, et ignauos inclusit nubibus aestus.
Dumque quater iunctis impleuit cornibus orbem
Luna, quater plenum tenuata retexuit orbem,
Letiferis calidi spirarunt flatibus Austri.
Constat et in fontes vitium venisse, lacusque,

527. Heins. valde metuebat, ne hoc hemistichium, *quae victa iacebat*, sit ab aliena manu, quae vs. a Nasone mutilum relictum supplere voluerit: rescribendum certe esse, *spes victa iacebat*. Paullo ante mauult *medenti*. G. Caeterum Bothius vss. 525 — 527 collocandos esse iubet post vs. 551, *ne bis idem generatim dicat poeta hoc loco, et 561, sed haec ad mulomedicos et id genus artifices referantur, sicut vs. 561 de sola hominum curatione agitur.* Post *opem* autem maxima interpunctione incidit et sequentia ita iungit: *Quae vt victa iacebat*: *Peruenit ad miseros* etc. Pro *nocens* autem, cum tres libri afferant *recens*, suasit legendum *potens*. E.

nec. Oedip. 35 sqq. *Dira* dr. a Diis iratis immissa et praeter modum magna. Sic *dira grando* Horat. I, od. 2, 1. *iniqua*, irata. V. Heins. ad Sil. III, 2, [Virgil. Aen. I 668.] *populis*. V. ad v. 481. *incidere* pr. de morbo, calamitate, malo. Apud Thucyd. II, 47 aliquoties pestis dr. ἐμπίπτειν. *a pellice*. Aegina ex Ioue Aeacum peperit. VI, 113. v. ad vs. 474.

525 *mortale*, vsitatum inter mortales, adeoque naturale. Sic *humanum malum*, *humanae res*, *humani sensus*. Aen. XII, 797, *vulnus mortale*, a mortali illatum. Ibi quoque, vt nunc, diuinitus immisso opp. Sed Schirach. h. l. interpretatur mortiferum contra linguae vsum. *Pugnatum est* felix verb. Cic. Sen. *pugnandum est contra senectutem, tamquam morbum. Exitium — iacebat*, Lucret. 1177, *mussabat tacito medicina timore. quae victa iacebat* otiosum quidem est post antecedentia; neque tamen ab aliena manu additum cum Heinsio putem. Passim Noster sic luxuriat.

528 Aestu nimio pestem in aëre gigni putabant Veteres. *Pressit* bene conuenit voc. *spissa*. Lucret. 1117. Senec. Oed. 47, *grauis et ater incubat terris vapor. ignauos*, qui reddunt ignauos et languidos. vs. 547. Lucret. 1154. Aestus et languor saeuissima huius morbi symptomata erant.

531 Luna *tenuatur* et *retexitur*, cum decrescit. *Tenuari* omnino minui. V. Broeckh. ad Propert. III, 1, 5. In verbo *retexere* non debebat Schirach. haerere. Saepe, etiam ap. Cic. est dissoluere. V. Gronou. Obs. IV p. 706. Claudian. 28, 132. *retexere iter*, relegere. [Ad sententiam cf. Heroid. II, 5.]

533 Lucret. 1123, *Haec igitur — pestilitas Aut in aquas*

Milliaque incultos serpentum multa per agros
Errasse, atque suis fluuios temerasse venenis.
Strage canum prima, volucrumque, ouiumque, boumque,
Inque feris subiti deprensa potentia morbi.
Concidere infelix validos miratur arator
Inter opus tauros, medioque recumbere sulco.
Lanigeris gregibus, balatus dantibus aegros,
Sponte sua lanaeque cadunt, et corpora tabent.
Acer equus quondam, magnaeque in puluere famae,
Degenerat palmas, veterumque oblitus honorum,
Ad praesepe gemit, leto moriturus inerti.
Non aper irasci meminit, nec fidere cursu

536 *ouiumque.* Olim ed *auiumque.* Qui error antiquus est; sic enim legit iam Planudes, in cuius versione, πετεινῶν καὶ ὀρνίθων. 544. Vulgo, *morbo moriturus*: pro quo Burm. e vetustioribus *leto m.* dedit, vt euitaretur κακοφωνία. Idem monet, pos e et *tabo* legi. Heins. coni. *languore obiturus.* (545. *non fidere* cod. Berol. et Heidelb.; quod defendi possit ex iis, quae habet Fr. Heusinger. ad Ouid. Heroidd. I, 8, monens, solere Nostrum particulam *non* iterare.)

cadit, aut fruges persidit in ipsas. Cf. Virg. 481. *temerasse*, polluisse. V. ad II, 592. Miscuit autem Ouid. diuersa. Nempe secundum Hygin. f. 52, Iuno irata *serpentem in aquam misit, quae eam venenaret.* Ex qua qui biberat, moriebatur.

536 Homer. Il. α, 50, Οὐρῆας μὲν πρῶτον ἐπῴχετο, καὶ κύνας ἀργούς. Virg. 480. *deprensa*, animaduersa.

538 Conf. Virgil. 516 — 519. adde vs. 494 — 497. *Concidere*, vt *collabi*, de moriente. *aegri balatus*, vt vs. 319, *tener balatus.*

542 Hos versus Apolline dignos pronuntiat Tanaq. Faber. *acer*, generosus, ferox. *in puluere*, in certaminibus, in quorum descriptionibus pulueris fere fit mentio. v. Iani ad Horat. I od. 1, 3. *palmas*, victoriam. Virg. G. I, 59, *Eliadum palmas equarum.* *Degenerat palmas*, indignum se praebet victoriis, deteriorem. Sed ego cum Schirach. non dubito defendere vulg. lect. ab Heins. pulsam, *degenerat, palmae veterumque oblitus honorum.* Quamquam enim *degenerare* actiue interdum dr. vt docet Heins. ad Pont. III, 1, 45; tamen *palma* et *honores* melius sic iunguntur. Possis et cum nonnullis legere *degener ad palmas*, namque *ad* eleganter pro quoad. Hinc facile fieri potuit *degenerat*; quo facto alii et *palmas* mutarunt. *inerti*, ignauo, sine sanguine; vt est VIII, 518, inglorius, non in certamine aut bello. Sensum Graecorum tribuit equo *Ignaua mors* sic ap. Silium IX, 512. Virgil. vs. 498 seqq.

545 Virg. 537. *Irasci.* Senec. de Ira I, 3, vbi hos vs. laudat, addit, *Irasci dicit incitari, impingi. Irasci quidem* (ferae) *non magis sciunt, quam ignoscere.* *Fidere* aliqua re, ope eius salu-

Cerua; nec armentis incurrere fortibus vrsi:
Omnia languor habet, siluisque, agrisque, viisque
Corpora foeda iacent; vitiantur odoribus aurae.
Mira loquor; non illa canes, auidaeque volucres,
Non cani tetigere lupi; dilapsa liquescunt,
Adflatuque nocent, et agunt contagia late.
Peruenit ad miseros damno grauiore colonos
Pestis, et in magnae dominatur moenibus vrbis.
Viscera torrentur primo; flammaeque latentis
Indicium rubor est, et ductus anhelitus aegre.
Aspera lingua tumet, tepidisque arentia ventis
Ora patent; auraeque graues captantur hiatu.
Non stratum, non vlla pati velamina possunt;
Dura sed in terra ponunt praecordia; nec fit
Corpus humo gelidum, sed humus de corpore feruet.

550. *cani.* Vnus Medic. *auidi*, vnde Heins. faciebat *raui.* 554, Omnes Ciof. codd. Berol et Heidelb. *flammisque. fatiscunt*, quod probat Ciofan. 555. Pro *aegre* plurimi cum Berol. et Heidelb. *igne* aut *igni.* Barth. ad Stat. IV Theb. 756 legit, *et durus anhelitus: igni Aspera.* 557. Heins. mauult *graui*, vt in vno Basil. legitur.

tem quaerere. Sed haec de apro, cerua, vrsis rectius abessent. Modum seruare Ouid. nescit. — *languor*, morbus. Lucret. 1217, *Languebant pleraque morbo. foeda*, putrescentia.

549 Lucret. 1213 sqq. — Virg. 557, *turpi dilapsa cadauera tabo. liquescere*, putredine dissolui, ergo i. q. *dilabi.*

552 Conf. Lucret. 1137 sq. et 1250 sq. *Venire* iis aut ad eos drr. mala, morbi, quos inuadunt. A. A. II, 323. *grauiore*, nempe quam ferarum. *magna* commune epitheton vrbium capitalium.

554 Lucret. 1164 et 1166 sq. [In verb. *ductus* mendum latere suspicatur Wakef. ad Lucret. VI, 1148, T. III, p. 380. Sed *ducere anhelitum* eodem modo dictum esse videtur, quo alibi *ducere spiritum, ducere aerem* etc.]

556 *aspera*, inflammatione. Virg. 508. Lucret. 1147. — *Trepidis venis*, quod Burm. e priore Hamburg. inuexerat, valde displicet. Id rectius VI, 389 de eo, cui cutis detrahitur, quam h. l. de sitiente. Reuocaui ergo ex [Berol. Heidelb.] plurimisque Mss. *tepidis ventis.* Nonnulli vel *trepidis ventis*, vel *tepidis venis*, inde lectio illa composita. *Ora patent.* Lucret. 1173, *ipso venientes ore patente.* — *graues*, pestilentiales. *Dura* Burm. interpretatur, tosta et arida. Sed Schepper. corrigit *nuda.* Dr. forte *dura*, quia aestus contraxerat cutim, atque sic reddiderat duram. VIII, 803. Lucret. 1192, *frigida pellis duraque.* Melius *dura terra* hic commemorata esset.

Nec moderator adest; inque ipsos saeua medentes
Erumpit clades, obsuntque auctoribus artes.
Quo propior quisque est, seruitque fidelius aegro;
In partem leti citius venit. Vtque salutis,
Spes abiit, finemque vident in funere morbi;
Indulgent animis; et nulla, quid vtile, cura est:
Vtile enim nihil est. Passim, positoque pudore,
Fontibus, et fluuiis, puteisque capacibus haerent:
Nec prius est exstincta sitis, quam vita, bibendo.
Inde graues multi nequeunt consurgere, et ipsis
Immoriuntur aquis; aliquis tamen haurit et illas.
Tantaque sunt miseris inuisi taedia lecti,
Prosiliunt; aut, si prohibent consistere vires,
Corpora deuoluunt in humum, fugiuntque penates
Quisque suos; sua cuique domus funesta videtur.

570. Multi e vetustioribus *graues morbo.* Heins. h. et seq. vs. suspectos habet. Spernebat etiam vs. 576. G. Genuinos hos versus habet H. Vossius, cui in duobus prioribus accedit Bothius; qui tamen in vs. 569 haesit, eoque transposito totum locum ita constituit: *Passim p. p. F. et f. p. c. haerent. Inde graues m. n. c. e. ipsis Immoriuntur aquis; aliquis tamen haurit et illas; Nec prius est e. s. q. v. bibendo.* In verbis *aliquis tamen haurit et illas* statuit hyperbaton, quoniam saepe *et* vt Graecorum καὶ (coll. sua nota ad Sophocl. Antig. 187 et Hermann. de Metris Pindari p. 402) non suo loco ponatur, sed ab initio sententiae remoueatur. Dicta enim haec verba putat pro: *et* (propria verbi vi) *aliquis tamen haurit illas*, *Nec* etc. Nescio autem, quid tum sibi velit partic. *tamen.* Certe superflua est. Immo totus locus sanus

561 Virg. 549. [Lucret. 1177.] *Auctor*, qui profitetur artem.

563 Lucret. 1241. Senec. Oedip. 70.

566 Lucret. 1168 seqq. Quoniam *posito pudore* et *indulgent animis* praecessit, Burm. mirum sane sensum deprehendit in v. *haerent*; explicat enim de amplexibus, ipsoque etiam coitu, cui miseri indulserint ad extremum. Corpora tam misera, tantis cruciatibus vexata et defatigata fuerint procliuia in Venerem? Nempe *posito pudore* eo pertinet, quod nuda corpora proiiciebant in aquas, vt aestum sedarent; et sic indulgebant animis. *Passim*, sine ordine. *haerent*, nolunt inde auelli. *Haerere* etiam cum Ablat. V. Burm. ad IV, 27.

569 Lucret. 1174. [*Exstincta sitis*, vt ap. Virg. Ecl. V, 47 *restinguere sitim.*]

571 Etsi plures viderent immori noxiis aquis, tamen alii non deterriti easdem iam cadaueribus infectas bibere non reformidabant. Burm. Cf. Lucret. 1262. Male Burm cum Iuniano dedit *alius;* etenim *aliquis* saepe pro alius aliquis. V. Ernesti ad Tacit. An. I, 4.

Et quia caussa latet, locus est in crimine. Notis
Semanimes errare viis, dum stare valebant,
Adspiceres; flentes alios, terraeque iacentes,
Lassaque versantes supremo lumina motu.
Membraque pendentis tendunt ad sidera coeli,
Hîc, illic vbi mors deprenderat, exhalantes.
Quid mihi tunc animi fuit? an quod debuit esse,
Vt vitam odissem, et cuperem pars esse meorum?
Quo se cumque acies oculorum flexerat, illic
Vulgus erat stratum; veluti cum putria motis
Poma cadunt ramis, agitataque ilice glandes.

esse videtur. Dicit enim poëta, multos petiisse fontes etc., vt sitim sedarent, quae tamen non prius exstincta sit, quam vita. Multis etiam illud accidisse, vt ab his locis decedere non valerent, sed in ipsis aquis animam exhalarent. Nihilominus alios etiam has aquas (i. e. mortuorum corporibus foedatas et pollutas) hausisse. *et* est *etiam*, *vel*, vt recte iam monuit Burm. 576. *notis*. Magnopere variant in h. v. Mss. Legitur enim in codd. *notus*, *totus*, *solus*, *natus*, *paruus*, *paruo*, *prauo*, *magno*, *morbi*. Waddelus Animadu. Crit. p. 110 cor. *votis Semianimes orare piis* etc. aut: *notis Semianimes orare viis*. 580. 81. Primum versum spurium iudicauit Capoferreus. Vtrumque damnat Schrader. Emend. c. XI p. 210. Sumtos eos dicit ex Metam. VI, 246, 247. Cum Gierigio tamen vncinas delet H. Vossius. E. 581. Heins. emendabat, *Hic*, *vbi mors animam deprenderat*.

576 *In crimine*, *in noxa*, *in infamia esse* bonae locutiones. v. Burm. *Notis*, quod Heins. de suo dedit, non male se habet. V. ad I, 370. Forte tamen antiquior lectio praestat *in crimine solus*. Alii *notus*, *totus* etc. *terrae*, in terra. V, 122.

579 Conf. Lucret. 1178.

580 Hunc vs. quem cum seq. scutica dignum iudicabat Heins., defendit Burm., qui *pendentis coeli* explicat e vs. 528, vbi *coelum spissa caligine* terras premit. Lucret. 1126, *Aut etiam suspensa manet vis aëre in ipso*. Posse tamen, addit Burm., et *perdentis* legi. Certe Senec. Oed. 36 dixit, *coelum nocens*. Sed *pendere* eleganter, vt I, 268, *pendentia nubila*, et nunc nubibus spissis coelum obductum. Porro *hic illic*, quod et ipsum Heins. offendebat, frequenter dr. pro, vbique, passim. *Exhalare* denique non raro absolute ponitur.

582 Lenzius h. et seq. vs. transponi vult ante vs. 614. *Quid animi*, vt I, 358. *an* adfirmat, vt V, 626. *pars esse*, idem passum esse. *putria*. Heins. ait, se aliquando coniecisse *mitia*, i. matura, sed post se intellexisse, *putria* se bene habere; putrescentia enim facillime ex arbore defluere. Adde, quod cum putrescentibus pomis bene comparantur foeda illa corpora. Quamquam *putria* etiam esse possunt, quorum petiolus est putris s. resolutus.

Templa vides contra, gradibus sublimia longis:
Iuppiter illa tenet. Quis non altaribus illis
Irrita tura tulit? quoties pro coniuge coniux,
Pro gnato geniter, dum verba precantia dicit,
Non exoratis animam finiuit in aris;
Inque manu turis pars inconsumta reperta est!
Admoti quoties templis, dum vota sacerdos
Concipit, et fundit purum inter cornua vinum,
Haud exspectato ceciderunt vulnere tauri!
Ipse ego sacra Ioui pro me, patriaque, tribusque
Cum facerem natis, mugitus victima diros
Edidit; et subito collapsa sine ictibus vllis
Exiguo tinxit subiectos sanguine cultros.
Fibra quoque aegra notas veri monitusque Deorum
Perdiderat. Tristes penetrant ad viscera morbi.

587. *longis.* Vnus Moreti. *celsis.* *Celsi gradus* sunt II. Trist. I, 59. (*celsis* tamen damnat Both. et etiam Trist. l. c. *longis* reponi iubet.) 590. Basil. et Moreti, *genetrix*, quod probat Burm. quia matres magis in vota precesque pro filiis ardent. Pro *dicit* Ciofan. *fudit*, Cantabr. et Menardi *fundit*, quod melius τῷ *irrita* conuenire idem putat; *fundere* enim in talibus locis esse, perdere. Etiam vs. seq. ex altero Regio praestare *animam profudit*, non inuenusta repetitione. G. *Fundit* tamen ex vs. 594. ortum esse videtur. 601. *Prodiderat* secund. Palat. Noric. septem Heinsii, Berol. et Heidelb., quod probat Gruter. ad Liu. I, 13. Bothius cor. *Prodidit, vt tristes.*

587 *Templum* Ioui in monte Panhellenio Aeacus dedicauerat. Pausan. II, 30. *longi*, longam scalam efficientes. De *gradibus* ad templa v. ad II, 1. *in aris*, ad aras. *exoratae arae*, ad quas exoratae a Diis preces. *anima*, vita, quod vnus Ms. e glossa habet.

593 Virg. 486 — 493. — *Vota concipit*, formulam precum recitat, conceptis verbis precatur. Tacit. Hist. IV, 31. *iurisiurandi verba concipere*, pronuntiare formulam iurisiurandi. *Purum* commune rerum sacrarum epitheton. Sic II, 713. *pura vasa*, vbi v. not. *Vulnus*, ictus cultri, consequens pro antecedente. Mala omnia, si victima repente cadebat, mugitus edebat, exiguumque fundebat sanguinem. Largus contra cruor faustum signum. Plin. pan. 5, 3. *subiectos*, in sacris cultri subter iugulum adigi solebant.

601 Loco *prodiderat* reuocaui *perdiderat*, quod ante Heins. vulgabatur, et in plurimis Mss. exstat. Dolet Aeacus, quod ne ex ipsis quidem extis consilia Deorum in re tam tristi peti potuerint: morbida enim vis *perdiderat*, corruperat, ipsa viscera, vt *verum* inde cognosci haud posset. Lenzius *prodiderat* expl. deseruerat. De *fibra* v. ad XV, 136. (*proiecta* i. e. insepulta, inhumata; vt bene interpretatur Burm. Sec. ad Propert.

Ante sacros vidi proiecta cadauera postes;
Ante ipsas, quo mors foret inuidiosior, aras
Pars animam laqueo claudunt, mortisque timorem
Morte fugant, vltroque vocant venientia fata.
Corpora missa neci nullis de more feruntur
Funeribus; neque enim capiebant funera portae.
Aut inhumata premunt terras; aut dantur in altos
Indotata rogos. Et iam reuerentia nulla est;
Deque rogis pugnant, alienisque ignibus ardent.
Qui lacriment, desunt; indefletaeque vagantur
Natarum, matrumque animae, iuuenumque senumque.
Nec locus in tumulos, nec sufficit arbor in ignes.
Attonitus tanto miserarum turbine rerum
Iuppiter ô, dixi, si te non falsa loquuntur

604. Withof in Annotatt. crit. ad Horat. etc. Fasc. IV p. 90 cor. *laqueo elidunt.* Sine caussa. 607. *nullae capiebant f. p.* cod. Medic. et Berol. quod vere Ouidianum esse contendit Both.

I, 22, 7 p. 200. v. Heroid. II, 135 Saluagm. ad Ibin 166. Bene autem delectum h. v. hac in re. *proiici* enim dicebantur res viles v. Graeu. ad Cicer. Epist. Fam. XIV, 2.) *Ante ipsas* etc. Hoc iam dictum vs. 591. Regius igitur post *aras* delet punctum, vt haec cohaereant cum seqq. Non male. Ei ergo obsecutus sum. *inuidiosa*, odiosa, abominabilis. Conf. Lucret. 1270 sqq. — *Animam claudunt*, breviter, clausis, constrictis, laqueo faucibus impediunt s. intercludunt animam. Plenius Ib. 552. *animae laqueo sit via clausa tuae.* Et *claudere* omnino impedire, vt VI, 572. *mortisque* etc. Argute: ne diu timore mortis tam odiosae crucientur, repente sibi aliam consciscunt mortem. Plin. Ep. VI, 20, 14. de incendio Vesuuii: *Erant, qui metu mortis mortem precarentur.* Mirifice hoc acumen Schirachio placuit, qui summa sic efficacia morbi cruciatus pictos esse monet. *Vocare* quis dr. ea, quae accelerat. Huic bene conuenit *venientia*, quod Burm. illustrat. Persius III, 64. *Venienti occurrere morbo.*

607 *Funeribus*, exsequiis, pompis funebribus. Has non *cepissent* portae; hae non potuissent omnes per portas exire: *ferri* et *efferri* verba pr. in hac re. Conf. Lucret. 1276 sqq. — *indotata*, sine muneribus, quae iniici in rogos ab amicis solebant, vt recte cepit Regius. *altos* ornat.

609 Lucret. 1280 sqq. Senec. Oedip. 64 sqq. Vmbrae iustis defraudatae non poterant Styga transire, sed huc illucue *vagabantur*, errabant. *Nec locus* etc. Nimis auxit rem. (Expresserunt h. l. Senec. Oedip. 68 et Pindar. Theban. 47. *Vixque rogis superest tellus, vix ignibus aether; Deerat ager tumulis.*)

Dicta sub amplexus Aeginae Asopidos isse;
Nec te, Magne pater, nostri pudet esse parentem;
Aut mihi redde meos, aut me quoque conde sepulcro.
Ille notam fulgore dedit, tonitruque secundo.
Accipio, sintque ista precor felicia mentis
Signa tuae, dixi; quod das mihi, pigneror, omen.
Forte fuit iuxta patulis rarissima ramis
Sacra Ioui, quercus de semine Dodonaeo.
Hic nos frugilegas adspeximus agmine longo

616. Nostra lectio est in Dominic. vno Maffei, optimo Florent. Argentin. et vno Ambros. Contra in duobus Vatic. vno Ciofan. Caelest. altero Maffei aliisque: *Isse s. a. quondam Asopidos Aeginae.* Alius Vatic. et alter Ciof. *Isse s. a. Aeginae Asopidos igne*, quod etiam tuentur multi Heins., nisi quod *ignem* exhibent. Accedit et Berol., in quo tamen *ignes* legitur. Heidelberg. aliique: *I. s. a. A. A. olim.* E. 619. Cum quidam cum Berol. et Heidelberg. habeant *tonitrumque secundum*, Heins. etiam *fulgore* mutat in *fulgur*, vt sit appositio. Duo, *tonitrusque secundos*, quos Burm. capit vel de faustis et fauentibus, vel proprie de repetitis: non enim suffecisse vnum augurium, nisi confirmaretur ex simili.

616 *sub amplexus ire*, concumbere. Valde autem hic variant lectiones Mss. et emendationes Intt. Schirach. putat, Ouid. ipsum plures iuxta se posuisse locutiones, e quibus postea eligeret optimam. Maxime placet quod Marian. Accurs. e Cod. Vatic. profert, *isse sub amplexus Aeg. Asop. ignem.* Cf. VI, 113. vbi Iupiter *Asopida ludit igneus* s. in ignem conuersus. *In amplexus ire* est XI, 228. (Probat h. lect. etiam H. Voss. qui *falsa* per graecismum pro *falso* accipit.) *Si* sollemne in precibus. *Nota*, signum. *secundum*, quod audiebatur e sinistra sereni coeli parte. Tali tonitru Iupiter significabat, se esse exoratum. Homer. Od. υ, 102. Cf. omnino Virg. Aen. II, 692 s. ibique Seru. *Accipio* vox eorum, qui se indicabant bono omine oblato laetari. *pigneror*, pro pignore beneuolentiae tuae habeo.

623 Quercus *Dodonaeae* erant celeberrimae, sed in insula Aegina *rarissimae*. Sic Regius et Burm. Arborem enim *patulis ramis* minime dici posse putant *raram*. Monet porro Burm. posse et *clarissima* legi. Heins. suaserat, *latissima*. E vs. 636. colligas, poëtam quercum plurimis ramis indicare voluisse. Atque plura occurrunt loca, vbi densitatis notionem exspectasses, et tamen *rarus* vsurpatum est, vt Virg. Ecl. V, 7. VII, 46. Corn. Nep. I, 5, 3. Lenzius h. l. *rarissimum* interpr. cuius rami se non premunt, inter quos magna potius interualla, adeoque quercus altissima. (Conf. Heyn. ad Virg. Ecl. V, 7. Bothius tamen pro *rarissima* cor. *celeberrima*. Wakef. ad Lucret. II, 319. T. I, p. 251 coni. *sparsissima*, vt ap. Plin. H. N. XVI, 62. *sparsior racemus.*)

624 Locus suauis, quo res tenuis decore ornata et natura

Grande onus exiguo formicas ore gerentes,
Rugosoque suum seruantes cortice callem.
Dum numerum miror, Totidem, pater optime, dixi,
Tu mihi da ciues, et inania moenia supple.
Intremuit, ramisque sonum sine flamine motis
Alta dedit quercus. Pauido mihi membra timore
Horruerant, stabantque comae. Tamen oscula terrae,
Roboribusque dedi; nec me sperare fatebar;
Sperabam tamen, atque animo mea vota fouebam.
Nox subit, et curis exercita corpora somnus
Occupat. Ante oculos eadem mihi quercus adesse,
Et ramos totidem, totidemque animalia ramis
Ferre suis visa est; pariterque tremiscere motu,
Graniferumque agmen subiectis spargere in aruis.
Crescere quod subito, et maius maiusque videri,
Ac se tollere humo, rectoque adsistere trunco;
Et maciem numerumque pedum, nigrumque colorem
Ponere, et humanam membris inducere formam.

(625. *frugiferas* Iunian. et duo alii codd. improb. Burm. Sec. ad Anth. Lat. T. II. p. 455.) 628. Alii *reple* aut *comple.* 639. Quidam *hinc subito* aut *desubito.* Heins. mauult, *dehinc subito.* (Heinsio accedit H. Voss.

formicarum fideliter expressa. *grande exiguo.* Horat. I Sat. 1, 33. *Paruula magni formica laboris.* *Rugosus cortex*, non formicarum, vt Schirach. putabat, sed quercus. *Sectus cortex* IX, 658. *seruant*, omnes terunt eundem callem. Plin. H. N. XI; 30. *Silices itinere earum attritos vidgmus et in opere semitam factam, ne quis dubitet qualibet in re, quid possit quantulacunque assiduitas.* Mox male Heins. vulg. *supple* auctoritate septem Mss. abrogauerat, qui *reple* habent; nam *suppleri* dicr. quae exhausta sunt. De *tremore* illo v. ad IX, 781.

630 Sensus eorum, quibus signum praesentiae diuinae datum. *Oscula* figebantur non terrae modo peregrinae, quam quis sospes attingebat, sed et locis, vbi laetum signum apparuerat. *Roboribus*, robori, quercui. *nec me* etc. ex naturae humanae veritate.

634 *Exercita*, defatigata. Cf. VIII, 83. *recto trunco*, quia homini *recta* s. erecta forma. Conf. II, 822. Secundum Seru. ad Aen. II, 7. *Aeacus cum in arbore formicas vidisset, optauit, tot sibi socios euenire, et statim formicae in homines versae sunt.*

Somnus abit. Damno vigilans mea visa, querorque,
In Superis opis esse nihil. At in aedibus ingens
Murmur erat; vocesque hominum exaudire videbar,
Iam mihi desuetas. Dum suspicor has quoque somni;
Ecce venit Telamon properus, foribusque reclusis,
Speque fideque, pater, dixit, maiora videbis.
Egredere. Egredior; qualesque in imagine somni
Visus eram vidisse viros, ex ordine tales
Adspicio, agnoscoque. Adeunt, regemque salutant.
Vota Ioui soluo, populisque recentibus vrbem
Partior, et vacuos priscis cultoribus agros;
Myrmidonasque voco, nec origine nomina fraudo.
Corpora vidisti; mores, quos ante gerebant,
Nunc quoque habent; parcumque genus, patiensque laborum,
Quaesitique tenax, et qui quaesita reseruent.
Hi te ad bella, pares annis animisque, sequentur;
Cum primum, qui te feliciter attulit, Eurus
(Eurus enim attulerat) fuerit mutatus in Austros.

644. Pro *at* Berol. Heidelb. aliique *sed*, quod librariorum est, qui timebant, ne vltima in *nihil* claudicaret. Conf. tamen Pont. III, 1, 113. *Morte nihil opus est.* De hac productione syllabarum breuium v. Both. ad II, 291; et quos non? Adde not. ad I, 114. 647. Heinsius malebat ex altero Twisdenio et Louan. *Ecce meus*; quod et praefert Bothius, qui tamen non subintelligit cum Heinsio *venit*, sed *Ecce* refert ad *dixit*. E.) 649. Burm. malebat, *in imagine noctis*, quia *somni* praecessit. (656 *parcumque* Heins. e sex codd. dedit. Reliqui, *parcum genus est*, quod placet Bothio, quoniam ter illatum *que* languidi aliquid habeat.)

643 *Damno*, contemno. *Desuetas*, nempe multorum hominum voces et fremitus audire desueuerat. *Imago somni*, somnium, vt VIII, 824. Infra XI, 550. *imago noctis*; et Amor. III, 5, 31 *nocturna imago*.

654 *Myrmidonas.* V. ad vs. 453. Strabo, notante Regio, eos inde hoc nomen accepisse vult, quod formicarum more terram in petras apportauerint, vt agri colendi materiam haberent. v. Burm. ad h. l. *Fraudatur nomen origine*, cum rei imponitur nomen, quod non declarat originem, non conueniens origini.

656 Cf. Horat. Serm. I, 1, 33 sqq. *Quaes. tenax et qui quaes. res.* eodem redeunt. *Eurus* mutatur VIII, 2.

Cephalus et Procris.

Talibus atque aliis longum sermonibus illi
Impleuere diem. Lucis pars vltima mensae
Est data, nox somnis. Iubar aureus extulerat Sol;
Flabat adhuc Eurus, redituraque vela tenebat.
Ad Cephalum Pallante sati, cui grandior aetas,
Ad regem Cephalus, simul et Pallante creati
Conueniunt. Sed adhuc regem sopor altus habebat.
Excipit Aeacides illos in limine Phocus;
Nam Telamon, fraterque, viros ad bella legebant.
Phocus in interius spatium, pulchrosque recessus
Cecropidas ducit, cum quis simul ipse resedit.
Adspicit Aeoliden ignota ex arbore factum
Ferre manu iaculum, cuius fuit aurea cuspis.
Pauca prius mediis sermonibus ille locutus,

672. Quidam *ignara*, quod et actiue et passiue dici, docet ad h. l. Heins. (vid. supra ad vs. 421.) 674. Pro *ille* multi *ante*. Heins. putat *inde*.

FAB. VIII, 661—865. *Cephalus et Procis.* Cephalus cum ab Aurora impulsus coniugis, ipsum non agnoscentis, pudicitiam et tentasset et labefactasset, illa, pudore suffusa fugit in silvas; inde reuersa Cephalo donat canem et iaculum. Canis mutatur in saxum; iaculo Cephalus imprudens interficit Procrin. Cf Anton. Liber. cap. 21. Apollod. II, 4, 7. III, 15, 1. Hygin. fab. 189. 241. Seru. ad Aen. VI, 448. Pausan. Attic. p. 91. Boeot. p. 746. Narrauerat et, vt e Schol. ad Od. λ, 320. apparet, Pherecydes, quorum Ouid. fere censentit. Exstabat etiam Sophoclis Procris. Noster fabulam decore, diligentissime et suavissime narravit. Conf. A. A. III, 685—746.

664 *tenebat*, retinebat. Sopor *habet* eum, qui sopitus iacet. Vs. 800. *amor habebat.*

669 *Legere viros* phrasis in hac re propria. v. Burm. In aedibus erant *primae*, *interiores* et *intimae* partes. In *interiores* et *intimas secedebant*, qui aliquid arcani tractare vellent. Liu. 40, 8. *Secessit in partem interiorem cum amicis.* Inde *secessus* aut *recessus* I, 177. Erant *spatiosiores*. Vitruu. VI, 8. *Aedificia spatiosiora ad conuentus excipiendos.*

672 *Aeoliden.* v. ad VI, 681. *aurea*, aurata, auro ornata; nam aurea cuspis non valuisset in feras, vt etiam Burm. monet, qui mauult h. l. *aenea*. Videmus hinc, *iacula* esse gestata etiam ab iis, qui regem adirent. *Medii sermones* a rebus in medio positis, vulgaribus petiti. *nemorum studiosus.* Rode: *ich befleissige mich der Kenntniss der Baeume.* Hoc vix ille voluit; venationis potius se studiosum declarat. I, 479. et passim. *nodus.* Plin. 16, 39. *Fulua cornus in venabulis nitet, incisuris nodata propter decorem. telum iaculabile*, iaculum. Hoc quoque voc. originem Ouidio debere videtur, vt *dubitabil.* I 223. Ab Apollod. ἀκόντιον ἰθυβόλον τί,

Sum nemorum studiosus, ait, caedisque ferinae;
Qua tamen e silua teneas hastile recisum,
Iamdudum dubito: certe, si fraxinus esset,
Fulua colore foret; si cornus, nodus inesset.
Vnde sit ignoro; sed non formosius isto
Viderunt oculi telum iaculabile nostri.
Excipit Actaeis e fratribus alter, et, Vsum
Maiorem specie mirabere, dixit, in isto.
Consequitur, quodcumque petit, Fortunaque missum
Non regit; et reuolat, nullo referente, cruentum.
Tum vero iuuenis Nereïus omnia quaerit,
Cur sit et vnde datum; quis tanti muneris auctor?
Quae petit, ille refert, sed quae narrare pudori est,
Qua tulerit mercede, silet; tactusque dolore
Coniugis amissae, lacrimis ita fatur obortis:
Hoc me, nate Dea, (quis possit credere?) telum
Flere facit, facietque diu, si viuere nobis
Fata diu dederint. Hoc me cum coniuge cara
Perdidit; hoc vtinam caruissem munere semper!

682 *Vsum in isto*, vsus eius. V. ad X, 651. Marian. Accurs. putat, hoc iaculum fuisse ex aquifolia, de qua Plin. XXIV, 13. *Baculum* (ipse coni. *iaculum*) *ex ea factum, in quoduis animal emissum, etiamsi citra ceciderit defectu mittentis ipsum per sese recubitu propius adlabi; tam praecipuam naturam inesse arbori.* Hoc Procridis iaculum (*Πρόκριδος ἀκόντια*) in proverb. abiit, diciturque de iis, qui, quidquid sibi proponunt, assequuntur.

685 *Nereïus*, Phocus, quem Aeacus ex Psammathe, Nerei filia, susceperat. Burm. *Qua mercede*, cuius mercedis loco. Haeserunt hic Intt. quia Cephalus hoc quoque in seqq. narrare iis videbatur. Verum ille vs. 751 sq. refert quidem, a Procride hoc iaculum sibi datum, sed *qua mercede* silet, aut potius obscure tangit verbis *Laesum prius vlta pudorem.* Sed quaeritur, quomodo reliqua profecta sint ab Ouidii manu. Mss. nonnulli, *Quae patitur pudor, ille refert et caetera narrat*, vel *et caetera differt.* Florent. S. Marci, *caeterum narrare pudori.* Inde Heins. correxit, *sed quae narrare pudori est*, quod nos quoque, quia melius non habebamus, seruauimus. Burm. coni. *Qua patitur pudor, ille refert; et caetera narrans Qua tulerit* etc. (Waddelus in Animadu. crit. p. 111 sq. monet nihil prorsus tacuisse Cephalum, et cor. *Quae petit ille refert, nec, quae narrare pudori est, Qua tulerit mercede, silet.* H. Voss. praefert: *Quae patitur pudor, ille refert, et caetera narrat.* in Berol. Heidelb. aliisque plurimis legitur: *et caetera nota pudore.*)

Procris erat, (si forte magis peruenit ad aures
Orithyîa tuas), raptae soror Orithyîae.
Si faciem, moresque velis conferre duarum,
Dignior ipsa rapi. Pater hanc mihi iunxit Erechtheus;
Hanc mihi iunxit amor. Felix dicebar, eramque,
Non ita Dîs visum est) ac nunc quoque forsitan essem.
Alter agebatur post sacra iugalia mensis;
Cum me, cornigeris tendentem retia ceruis,
Vertice de summo semper florentis Hymetti
Lutea mane videt, pulsis Aurora tenebris,
Inuitumque rapit. Liceat mihi vera referre

700. Heins. coni. *pacta iugalia*, i. sponsalia. Immo ipsas nuptias intelligit, quae, additis sacris, celebrabantur. *sacra* tuetur etiam H. Voss.

694 Vid. VI, 681. *Orithyiae* rapina erat in Graecia res notissima, eademque veluti suo cognomine *rapta* dicebatur. Vid. Heins. *Si faciem* etc. non commode modo eam sic laudat, sed et consilio conuenienter. Inde enim *fletus* ille, de quo ante. *Pater* etc. Vult dicere, legitimum fuisse matrimonium, cui etiam Dii fauere debuerint. vid. ad VI, 681. *Erechtheus* recte a plurimis scriptoribus nominatur; male Hygin. fab. 189. *Pandiona* memorat. *Amorem* bene hic memorat, IV, 757. sine caussa igitur Heins. *Hymen* reponi voluit. *Felix* coniuge quasi formula sollemnis. Vs. 799. *Non ita Dis visum* vox eorum, qui exciderunt bono aliquo.

702 *Florens Hymettus* etiam A. A. III, 687. vbi caussa huius epitheti redditur, quia innumeris arborum et herbarum generibus tectus. Ad radicem huius montis venabatur bene mane, eumque vidit Aurora, vbi partem coeli attigerat, quae erat super *verticem* montis. *Lutea*, crocea, etiam XIII, 579. Virg. Aen. VII, 26. *Lutum* herbae genus, Nostris *Gaude*. Hygin. *Cum matutino tempore in montem exisset, Aurora, Tithoni coniux, eum adamauit petitque ab eo concubitum: cui Cephalus negauit, quod Procri fidem dederat;* quod postremum Cephalus mox copiose et suauiter persequitur, praefatus, vt fidem suam amplificaret, nonnulla de Aurorae pulchritudine. Apud Apollod. III, 14, 3. alius *Cephalus*, a Nostro diversus, Mercurii et Herses filius, *rapitur* ab Aurora.

704 Licet sit Dea et pulcherrima, et potentissima et suauissime viuens; quae singula alium mouissent. Ad multitudinem rerum lectorem aduertit repetitum *quod*. (*quod* Vossius interpretatur *quantum* coll. Terent. Eunuch. II, 1, 8 et V, 8, 34.) *Confinia lucis*. Cf. IV, 399. *Nectareae aquae*, nectar, vt II, 120. *Ambrosii succi*. (conf. H. Voss. Mythol. Briefe II, 8.) Vis est in repetito nomine *Procris*. Virg. G. IV, 465 s. *Te, dulcis coniux, te solo in litore secum, Te veniente die, te decedente canebat.*

Pace Deae, quod sit roseo spectabilis ore,
Quod teneat lucis, teneat confinia noctis,
Nectareis quod alatur aquis; ego Procrin amabam;
Pectore Procris erat, Procris mihi semper in ore.
Sacra tori, coitusque nouos, thalamosque recentes,
Primaque deserti referebam foedera lecti.
Mota Dea est; et, Siste tuas, ingrate, querelas;
Procrin habe, dixit. Quod si mea prouida mens est,
Non habuisse voles; meque illi irata remisit.
Dum redeo, mecumque Deae memorata retracto,
Esse metus coepit, ne iura iugalia coniux
Non bene seruasset. Faciesque aetasque iubebat
Credere adulterium; prohibebant credere mores.
Sed tamen abfueram; sed et haec erat, vnde redibam,
Criminis exemplum; sed cuncta timemus amantes.
Quaerere, quo doleam, studeo, donisque pudicam
Sollicitare fidem. Fauet huic Aurora timori,
Immutatque meam (videor sensisse) figuram.

705. *ore.* Quoniam seq. *in ore*, propterea Burm. mauult, *auro.* 712. Iuniap. *quae si.* Heins. malebat, *quam si.* (716. *iubebant* nonnulli codd. Berol. *mouebat.* Bothius probat *iubebant*, quod bene opponatur sequenti *prohibebant.*) 720. *quo* Heins. e tribus Mss. recepit. Aeque recte *quod* vulgo editur.

710 *Primaque* etc. Rode: *von der Treulosigkeit den frisch geknüpften Bund zu brechen.* Potius *foedera lecti* sunt concubitus. A. A. III, 593. *riualem partitaque foedera lecti.* Heroidd. V, 101. *temerati foedera lecti.* Sabin. I, 131. dies, *qui renouet foedera lecti.* Supra III, 294. *Veneris foedus inire* et A. A. II, 462. *foedus concubitus petere.* Mox non apparet, cur *ingratum* dixerit. Heins. ex Bonon. laudat *ignare*, idque explicat, morum vxoris tuae ignare. Possis et interpretari, nesciens, quid tibi prosit, aut, tibi instet, vt II, 100. Hoc bene conuenit seqq. (*ingratus* tamen inde dici poterat, quod non commouebatur amore deae, sed Procrin Aurorae praeferebat.) *habe* vox eorum, qui indicant, se nolle rem eripere alteri. Ap. Hygin. minus ambigue Aurora: *Nolo, vt fallas fidem, nisi illa prior fefellerit.*

714 *retracto*, vt IV, 568. *iura*, officia. Elegans repetitio vocis *sed*, eaque vox nunc est crimen inferentis. *Crimen* in primis de adulterio. Aurora adulterii exemplum, quia nupta Tithono. *cuncta timemus.* Cf. vs. 826. Heroidd. I, 12. *fauet*, adiuuat. Hygin. *mutat in hospitis figuram, atque dat munera speciosa, quae Procridi deferret.*

Procris erat, (si forte magis peruenit ad aures
Orithyîa tuas), raptae soror Orithyîae.
Si faciem, moresque velis conferre duarum,
Dignior ipsa rapi. Pater hanc mihi iunxit Erechtheus;
Hanc mihi iunxit amor. Felix dicebar, eramque,
Non ita Dîs visum est) ac nunc quoque forsitan essem.
Alter agebatur post sacra iugalia mensis;
Cum me, cornigeris tendentem retia ceruis,
Vertice de summo semper florentis Hymetti
Lutea mane videt, pulsis Aurora tenebris,
Inuitumque rapit. Liceat mihi vera referre

700. Heins. coni. *pacta iugalia*, i. sponsalia. Immo ipsas nuptias intelligit, quae, additis sacris, celebrabantur. *sacra* tuetur etiam H. Voss.

694 Vid. VI, 681. *Orithyiae* rapina erat in Graecia res notissima, eademque veluti suo cognomine *rapta* dicebatur. Vid. Heins. *Si faciem* etc. non commode modo eam sic laudat, sed et consilio conuenienter. Inde enim *fletus* ille, de quo ante. *Pater* etc. Vult dicere, legitimum fuisse matrimonium, cui etiam Dii fauere debuerint. vid. ad VI, 681. *Erechtheus* recte a plurimis scriptoribus nominatur; male Hygin. fab. 189. *Pandiona* memorat. *Amorem* bene hic memorat, IV, 757. sine caussa igitur Heins. *Hymen* reponi voluit. *Felix* coniuge quasi formula sollemnis. Vs. 799. *Non ita Dis visum* vox eorum, qui exciderunt bono aliquo.

702 *Florens Hymettus* etiam A. A. III, 687. vbi caussa huius epitheti redditur, quia innumeris arborum et herbarum generibus tectus. Ad radicem huius montis venabatur bene mane, eumque vidit Aurora, vbi partem coeli attigerat, quae erat super *verticem* montis. *Lutea*, crocea, etiam XIII, 579. Virg. Aen. VII, 26. *Lutum* herbae genus, Nostris *Gaude*. Hygin. *Cum matutino tempore in montem exisset, Aurora, Tithoni coniux, eum adamauit petitque ab eo concubitum: cui Cephalus negauit, quod Procri fidem dederat;* quod postremum Cephalus mox copiose et suauiter persequitur, praefatus, vt fidem suam amplificaret, nonnulla de Aurorae pulchritudine. Apud Apollod. III, 14, 3. alius *Cephalus*, a Nostro diversus, Mercurii et Herses filius, *rapitur* ab Aurora.

704 Licet sit Dea et pulcherrima, et potentissima et suauissime viuens; quae singula alium mouissent. Ad multitudinem rerum lectorem aduertit repetitum *quod*. (*quod* Vossius interpretatur *quantum* coll. Terent. Eunuch. II, 1, 8 et V, 8, 34.) *Confinia lucis*. Cf. IV, 399. *Nectareae aquae*, nectar, vt II, 120. *Ambrosii succi*. (conf. H. Voss. Mythol. Briefe II, 8.) Vis est in repetito nomine *Procris*. Virg. G. IV, 465 s. *Te, dulcis coniux, te solo in litore secum, Te veniente die, te decedente canebat.*

Pace Deae, quod sit roseo spectabilis ore,
Quod teneat lucis, teneat confinia noctis,
Nectareis quod alatur aquis; ego Procrin amabam;
Pectore Procris erat, Procris mihi semper in ore.
Sacra tori, coitusque nouos, thalamosque recentes,
Primaque deserti referebam foedera lecti.
Mota Dea est; et, Siste tuas, ingrate, querelas;
Procrin habe, dixit. Quod si mea prouida mens est,
Non habuisse voles; meque illi irata remisit.
Dum redeo, mecumque Deae memorata retracto,
Esse metus coepit, ne iura iugalia coniux
Non bene seruasset. Faciesque aetasque iubebat
Credere adulterium; prohibebant credere mores.
Sed tamen abfueram; sed et haec erat, vnde redibam,
Criminis exemplum; sed cuncta timemus amantes.
Quaerere, quo doleam, studeo, donisque pudicam
Sollicitare fidem. Fauet huic Aurora timori,
Immutatque meam (videor sensisse) figuram.

705. *ore.* Quoniam seq. *in ore*, propterea Burm. maunlt, *auro.* 712. Iunian. *quae si.* Heins. malebat, *quam si.* (716. *iubebant* nonnulli codd. Berol. *mouebat.* Bothius probat *iubebant*, quod bene opponatur sequenti *prohibebant.*) 720. *quo* Heins. e tribus Mss. recepit. Aeque recte *quod* vulgo editur.

710 *Primaque* etc. Rode: *von der Treulosigkeit den frisch geknüpften Bund zu brechen.* Potius *foedera lecti* sunt concubitus. A. A. III, 593. *riualem partitaque foedera lecti.* Heroidd. V, 101. *temerati foedera lecti.* Sabin. I, 131. dies, *qui renouet foedera lecti.* Supra III, 294. *Veneris foedus inire* et A. A. II, 462. *foedus concubitus petere.* Mox non apparet, cur *ingratum* dixerit. Heins. ex Bonon. laudat *ignare*, idque explicat, morum vxoris tuae ignare. Possis et interpretari, nesciens, quid tibi prosit, aut, tibi instet, vt II, 100. Hoc bene conuenit seqq. (*ingratus* tamen inde dici poterat, quod non commouebatur amore deae, sed Procrin Aurorae praeferebat.) *habe* vox eorum, qui indicant, se nolle rem eripere alteri. Ap. Hygin. minus ambigue Aurora: *Nolo*, *vt fallas fidem*, *nisi illa prior fefellerit.*

714 *retracto*, vt IV, 568. *iura*, officia. Elegans repetitio vocis *sed*, eaque vox nunc est crimen inferentis. *Crimen* in primis de adulterio. Aurora adulterii exemplum, quia nupta Tithono, *cuncta timemus.* Cf. vs. 826. Heroidd. I, 12. *fauet*, adiuuat. Hygin. *mutat in hospitis figuram*, *atque dat munera speciosa, quae Procridi deferret.*

Palladias ineo, non cognoscendus, Athenas;
Ingrediorque domum. Culpa domus ipsa carebat,
Castaque signa dabat, dominoque erat anxia rapto.
Vix aditu per mille dolos ad Erechthida facto,
Vt vidi, obstupui, meditataque paene reliqui
Tentamenta fide; male me, quin vera faterer,
Continui; male quin, vt oportuit, oscula ferrem.
Tristis erat; sed nulla tamen formosior illa
Esse potest tristi; desiderioque calebat
Coniugis abrepti. Tu collige, qualis in illa,
Phoce, decor fuerit; quam sic dolor ipse decebat.
Quid referam, quoties tentamina nostra pudici
Repulerint mores? quoties, Ego, dixerit, vni
Seruor, vbicumque est; vni mea gaudia seruo?
Qui non ista fide satis experientia sano
Magna foret? Non sum contentus, et in mea pugno
Vulnera, dum census dare me pro nocte paciscor.
Muneraque augendo tandem dubitare coëgi.
Exclamo: Male tectus ego en, male pactus adulter,

726. *aditu-facto* dedit idem ex tribus. Etiam vulg. *aditus factus* bene se habet. 727. Heins. coni. *vt stupui.* 731. Olim edeb. *erepti.* Quidam *arrepti.* Sed vid. Heins. et Burm. Sec. ad Propert. I, 13, 2. p. 130. G. 741. Vulgo: *Exclamo: Mala pectora detego, pactus adulter* etc. nisi quod pro *pactus* legitur

724 *Culpa carebat*, non enim ibi, vt in Vlyssis domo, proci. *anxia*, nempe domestici erant anxii. Cum *raptum* esse ignoraret Procris, Burm. ex vno praefert, *tardo.* quia cessabat anxia erat. Frustra. Alioquin et vs. 732. *abrepti* mutandum esset.

726 Secundum Anton. Lib. per seruum ignotum pretio Procrin sollicitat. Auctore Apollod. Procris in adulterio cum Pteleonte deprensa fugit ad Minoa. Melius est, quod Noster apprehendit. *Vix aditu* etc. Apud Graecos enim in interiore aedium parte mulieres sedebant. *male*, vix.

730 De *decoro* in omni habitu vid. ad IV, 230. *Calebat* exquisitius, quam aliorum *dolebat.* Adfectus eum reuoluit ad *decorem* coniugis.

736 *Gaudium* voc. venereum. Liv. I, 58. Sextus *pestiferum hinc abstulit gaudium.* (v. Burm. Sec. ad Propert. II, IV. 9. p. 308.) *pugno*, oppugno mulierem in meum ipsius dolorem. *Census*, pretium, munera. *pro nocte* sic capiendum, vt ap. Terent. Hec. II, 3, 125, *eius noctem orare.* *dubitare* modeste exprimit fidem Procridis labefactatam.

741 E magna ineptarum lectionum varietate difficile est aliquid certi eruere. Optimum mihi videtur Burm. coniect. sequi, *Male tectus ego, male fictus*

Verus eram coniux; me, perfida, teste teneris.
Illa nihil; tacito tantummodo victa pudore
Insidiosa malo cum coniuge limina fugit;
Offensaque mei genus omne perosa virorum
Montibus errabat, studiis operata Dianae.
Tum mihi deserto violentior ignis ad ossa
Peruenit; orabam veniam, et peccasse fatebar,
Et potuisse datis simili succumbere culpae
Me quoque muneribus, si munera tanta darentur.
Hoc mihi confesso laesum prius vlta pudorem,

tractus in Berol. *fictus* in uno Ciof. *tectus* in Vatic. aliisque. In Berol. et Heidelb. pro diuersa lectione *mala pacta nego, male pactus adulter.* Sic et Capran. pro var. lect. et vnus Vrsini, nisi quod *male pacta* exhibent; alii *mea pacta.* Vnus Maffei, margo Capran. et alii: *mala* (vel *male*) *pactus ego, male fictus a.* Alii: *male pacta ego sum, male pactus a.* Alter Maffei cum multis: *male fictor adest, male fictus adulter.* E.

adulter. Heinsius: *Exclamo me fassus, Ego en male pactus* (aut *fictus*) *adulter.* (vel: *Exclamo: Male tectus ego en, male pactus* adulter H. Voss. *male pactus ego, male fictus a.* vel: *male fictus ego, male pactus ad.* Both. cor. *Male pacta, sat est! ego fictus adulter, Verus etc.* Vera lectio esse videtur vulgata: *mala pectora detego; fictus adulter, Verus etc.* De correpto *o* in *detego* v. Lennep. ad Heroidd. XV, 32.). *Male*, in meum damnum. *teneris*, deprehensa conuinceris. v. Ernesti Clau. Cic. h. v.

746 *Errabat* in *montibus* more earum, quae fugiebant viros et amorem. Secundum alios fugit in Cretam, vbi *Diana*, cum eam cognouisset ab Aurora deceptam, *misericordia tacta dat ei iaculum, quod nemo euitare posset, et canem Laelapem, quem nulla fera effugere possit.* Sed ap. Anton. et Apollod. a Minoë, quod rem cum eo habuerat, iaculum et canem accipit. *Operari*, quod pr. verb. sacrorum, omnino significat operam dare. Horat. I. Ep. 2, 29. *in cute curanda plus aequo operata iuuentus.* Heins. ad Heroidd. IX, 35.

751 *laesum prius vlta pudorem.* Hoc est illud ipsum, quod vs. 688. *pudoris caussa siluisse* dr. et hic verbo tantum tangit. Nempe Procris *iuuenili habitu Dianae voluntate ad Cephalum venit, eumque prouocauit: quem in venatione superauit. Cephalus, vt vidit, tantam potentiam canis atque iaculi esse, petit ab hospite; non aestimans coniugem suam esse, vt sibi iaculum et canem venderet. Illa negare coepit. Regni quoque partem pollicetur: illa negat. Sed si vtique, ait, perstas id possidere, da mihi id, quod pueri solent dare. Ille amore iaculi et canis incensus promisit se daturum. Qui cum in thalamos venissent, Procris ostendit se feminam esse et coniugem illius: cum qua Cephalus, muneribus acceptis, rediit in gratiam.* Hygin. *exigit*, agit. Aen. I, 74. *Omnes vt tecum annos exigat.* Venusta sententia est in *tanquam se* etc.

Redditur, et dulces concorditer exigit annos.
Dat mihi praeterea, tamquam se parua dedisset
Dona, canem munus; quem cum sua traderet illi
Cynthia, Currendo superabit, dixerat, omnes.
Dat simul et iaculum, manibus quod (cernis) habemus.
Muneris alterius quae sit fortuna requiris?
Accipe. Mirandi nouitate mouebere facti.
Carmina Laïades non intellecta priorum

752. *exigit.* Plurimi, *egimus.* G. 756. Sic Gronou. Obseruatt IV. c. 18. et Heinsius locum e plurimis codd. constituerunt. Alii: *manibus quod cernis habere.* Alii: *quod nos, vt cernis habemus.*

759 Hanc fabulae partem narrant etiam Pausan. Boeot. p. 746. Anton. Lib. cp. vlt. Palaeph. cp. 8. Suid. in Τελμίσια. Hygin. P. A. II, 35. *Laiades*, Oedipus, Laii filius, *carmina*, aenigma Sphingis, quae ob ambages, aenigma obscurum et ambiguum *vates obscura* erat, *soluerat*, explicuerat; quo facto monstrum illud de monte, quem tenebat, se praecipitauerat. *Carmen*, formula quaecunque verborum. Quamquam aenigma illud Sphinx a Musis edocta credebatur, eratque carmine conceptum, vnde χρησμὸς vr. Vid. Valken. ad. Eurip. Phoen. 50. Similiter Aeschyl. Eum. 308. μοῦσαν στυγερὰν, triste *carmen*, vocat. *Ingenio* opus erat ad aenigma intel. *priores*, homines ante Oedipodis aduentum. *Ambages* de sermonibus obscuris et ambiguis. In *immemor ambagum* non est, vt Schirach. putabat, sarcasmus ineptus, sed talia solent de mortuis sine contemtu dici. Recte Sphinx *vates* dr. quia carmina canebat, eaque *obscura*, non intellecta prioribus. Monstrum illud Thebanis immiserat secundum alios Bacchus (Schol. Hesiodi pag. 261), secundum alios Iuno, Apollod. III, 5. Schol. Eurip. ad Phoen. 1748. Forte alii tradiderant, a *Themide* id factum, certe aenigma suppeditatum. Sed dubitatur, an Ouid. haec scripserit, quae Heins. nobis dedit. Nempe *Laiades* iam fac. Taurellus legit. *Soluerat* Cod. antiquior Ciof. prim. Gronou. prim. Ambrosius, Arondel. et Erford. praeferunt. Alii *soluitur*, *soluit*, et *soluunt*. *non talia* habent meliores et *immittitur* multi, *altera* Florent. S. Marci et Spirens. *pecorumque* (aut *pecorisque*) *suoque* complures, *rurigenae* castigatiores. Inde Heins. lectionem suam composuit. Nam antea edebatur, *Carmina Naiades non intellecta priorum Soluunt ingeniis — — suarum, Scilicet alma Themis: nec talia liquit inulta. Protinus Aoniis immissa est bellua Thebis. Cessit et exitio multis: pecorique sibique Ruricolae* etc. Eam lect. defendunt Parrhas. Epist. Quaest. 38. et Schirach. Intelligunt illi *Naiadas* nymphas Cithaeronidas, Apollinis nutrices, quae priscis temporibus vaticinatae erant. Pausan. Boeot. 3. p. 718. Hae igitur *soluunt*, explicant, *carmina*, oracula, nempe *Themidis*. Hinc illa non amplius colitur a Thebanis, et imago eius *praecipitata*, proruta, in templo iacet. Hunc suum contemtum non tulit aequo animo Themis, sed immisit Thebanis belluam etc. His attingitur fabula, quam ignoramus. In ver-

Soluerat ingeniis; et praecipitata iacebat,
Immemor ambagum, vates obscura, suarum.
Scilicet alma Themis non talia linquit inulta.
Protinus Aoniis immittitur altera Thebis
Pestis; et exitio multi pecorumque, suoque
Rurigenae pauere feram. Vicina iuuentus
Venimus, et latos indagine cinximus agros.
Illa leui velox superabat retia saltu,
Summaque transibat positarum lina plagarum.
Copula detrahitur canibus, quas illa sequentes

763. *altera* e Florent. et Spirens. dedit Heins. In Neapol. utroque Hamburg., Bernegg. Berol. Heidelb. aliisque *bellua*. In aliis *bestia*. 764. *Pestis* cor. Gronou. in Obss. III, 15. Codices exhibent *Cessit*. Bothius autem cor. *Pestis et exitium vulpes pecorumque virumque*. Offendebat enim id verb. *multis*, quod tamen omnes codd. tuentur, qui et consentiunt in *exitio*. *virorum* cod. Berol. Reliqui, *suique*, *suumque* vel *suoque*. E. 768. *positarum*. Basil. *pictarum*, non improbante Heins. quia plagae variis plumarum coloribus distinctae fuerint. 769. Pr. Palat. *distrahitur*, vt copulam ruptam impetu canum significet.

bis nonnulla offendunt. Non enim apparet, cur poëta tam contemtim de Themide locutus sit, nec τὸ *scilicet* ex vsu Veterum adhibitum. Id melius ponitur, vbi sententiae proferuntur, III, 135. aut eum quis indignatur irridetve aliquid, II, 471. Aliquid tamen auctoritatis lectioni illi accedit ex Lactantii Argum. vbi haec leguntur: *Thebani, Naiadibus Nymphisque futura praedicentibus, Themidis Deae obscura dantis responsa, templum euerterunt.* Nisi cum Heinsio dicere velis, auctorem illum in mendosos incidisse Codd. et inueteratum esse errorem.

764 *Pestis*, bellua terram vastans, vt *pestis Nemaea*, Heroidd. IX, 61. Descriptio seq. lupum indicare videtur; sed ex Antonin. et Apollod. vulpem fuisse scimus. Dicta est Teumesia a Teumeso, monte Boeotiae. Ea Amphitryonis (non Oedipodis) tempore molesta erat Thebanis. Ei, ne plures raperet, Thebani vnum singulis mensibus puerum deuorandum apponebant. Anton. Apollod. Hinc arcessitur Cephalus cum cane suo. *Rurigenae* nouum voc. *Vicina iuuentus*. Vid. ad VIII, 300. *Leuis saltus*, vt Phaedr. I. fab. 12, 8. *Cursus leuis*, celer, quasi corpus lene esset. cf. ibi Burm. Hygin. P. A. 35. *vulpes, cui datum dicebatur, vt omnes canes effugere posset*. Versus *Summaque* etc. redundanter adiectus superiori.

769 Seq. narratio exacta satis est et minutissima quaeque ante oculos ponit. Illa autem diligentia opus erat, cum Cephalus vellet et naturam monstri immissi et celeritatem canis sui in luce collocare. Et in rebus, quibus deuoti sumus, enarrandis tam copiosi esse solemus. *Copula*, funiculus, quo ducuntur canes venatici, vinculum, quo ligantur. *ludit* pro *eludit*, quod VIII, 687. Sic *deludere* Halieut. 25. *ludificari* Sil. Ital. VII, 646. *Laelaps* Graecis pr. est turbo.

Effugit, et volucri non segnius alite ludit.
Poscor et ipse meum consensu Laelapa magno:
Muneris hoc nomen. Iamdudum vincula pugnat
Exuere ipse sibi, colloque morantia tendit.
Vix bene missus erat, nec iam poteramus; vbi esset,
Scire; pedum calidus vestigia puluis habebat,
Ipse oculis ereptus erat. Non ocior illo
Hasta, nec excussae contorto verbere glandes,
Nec Gortyniaco calamus leuis exit ab arcu.
Collis apex medii subiectis imminet aruis:
Tollor eo, capioque noui spectacula cursus;
Quomodo deprendi, modo se subducere ab ipso
Vulnere visa fera est. Nec limite callida recto,
In spatiumue fugit; sed decipit ora sequentis,
Et redit in gyrum, ne sit suus impetus hosti.
Imminet hic, sequiturque parem; similisque tenenti
Non tenet, et vacuos exercet in aëra morsus.
Ad iaculi vertebar opem; quod dextera librat
Dum mea, dum digitos amentis indere tento,

770. Vulgo, *et coetum non segnior*. Sed *volucri* in vno Heins. pr. Gronou. et in Sixii pro diuersa lectione, Heins. malebat, *coetum non secius*, quia iidem illi *sequius*. 773. Quidam *excutere*. 786. Olim minus bene *vanos*. 788. *Indere* pro *addere* e peruetusto Cod. primus notauit et approbauit Marian. Accurs. Habent et

775 *Calidus*, in quo calida adhuc, recentia, vestigia pedum. *glandes* plumbeae. Cretenses, quorum vrbs *Gortyne*, nobilissimi erant iaculatores, praestantissimosque faciebant arcus et sagittas. Cf. II, 727. XIV, 825. *Verber*, lorum fundae. *Exit*, auolat.

780 *Tolluntur* aues in aëra, hinc et qui adscendunt in montem. *Capio spectacula*, specto, vt III, 246. *noui*, inauditi. Sequitur locus non minus ingeniose scriptus, quam I, 533 sqq. quem conferas. *Decipit* exquisite, effugit. *ne sit suus* etc. ne vti possit impetu, quo solet in praedam ferri.

785 *parem*, nempe cursu. Verba *imminet — tenet* condonabimus ingenio Ouidii, quod nimis immoratur eiusmodi rebus. Sed bene *vacuus marsus*, dum vulpes se subducit morsibus, vt canis nil nisi aëra mordeat. Exempla similia habet Heins. *morsus exercere* exquisitius, quam mordere. Paullo aliter VIII, 826. *Exercet cibo delusum guttur inani*. *Amentum*, loramentum, quod addebatur iaculo emittendo, manuque retinebatur illo emisso. XII, 321. *inserere amento digitos*. *reuocata retuleram* e copia poëtica, cum alterutrum satis fuisset.

Lumina deflexi, reuocataque rursus eodem
Retuleram: medio (mirum) duo marmora campo
Adspicio; fugere hoc, illud latrare putares.
Scilicet inuictos ambo certamine cursus
Esse Deus voluit; si quis Deus adfuit illis.'
Hactenus: et tacuit. Iaculo quod crimen in ipso?
Phocus ait. Iaculi sic crimina reddidit ille.
Gaudia principium nostri sunt, Phoce, doloris.
Illa prius referam. Iuuat ô meminisse beati
Temporis, Aeacida, quo primos rite per annos
Coniuge eram felix; felix erat illa marito.
Mutua cura duos, et amor socialis habebat.
Nec Iouis illa meo thalamos praeferret amori;
Nec me quae caperet, non si Venus ipsa veniret,
Vlla erat: aequales vrebant pectora flammae.
Sole fere radiis feriente cacumina primis,
Venatum in siluas iuueniliter ire solebam;
Nec mecum famulos, nec equos, nec naribus acres
Ire canes, nec lina sequi nodosa sinebam:

plures alii Mss. vnde praetulit Burm. cum. Heinsius alterum non sperneret. (792. *ambo* Flordnt. sec. Medic. Neap. Bernegg. et edit. Ald. prima. Reliqui Mss. *Ambos* v. ad I, 327. 804. *cacumina montis* vnus Ciof. cod. et Berol.)

792 Hygin. *Iupiter nescius, quid faceret, vt Ister ait, vtrosque in lapides conuertit.* Nihil definit Pausan. pag. 746. *Quod crimen.* Respice ad vs. 690 sqq.

796 Tertia pars fab. in qua nota adfectus animi. Heinsius e Cantabr. Noric. et duobus aliis *sint* inuexerat. Id probandum esset, si non *doloris*, sed *narrationis* sequeretur. Ad ordinem narrationis potius *illa prius referam* pertinent. Itaque *sunt* reuocaui. *rite*, vt decet *felix*. V. ad vs. 698.

800 *Cura* et de amore coniugum consanguineorumque et de studio placendi dr. (v. Barth. ad Claudian. I, in Eutrop. 362. p. 1330. et Burm. Sec. ad Anth. Lat. T. I, p. 672.) *duos*, ambos. *socialis*, coniugalis. Coniuges *socii tori*. Inde et *socius* atque *socialis amor*. De *habebat* v. ad 667. *aequales*, aequae. Cf. IV, 62.

804 Cf. A. A. III, 695—746. vbi eadem res narrata. *feriente*. V. ad III, 181. *iuueniliter*, studio iuuenili. *naribus acres*, sagaces. III, 212. *naribus vtilis*. *Tutus* omnino instructus; quo sensu alibi et *laetus*. *satiata caedis* graeca syntaxis. *halabat*, spirabat. Hoc est ab Heins. nam plurimi Mss. praeferunt *exhalat*. Vulgo, *exibat* ex interpret. (Verum esse videtur codicum *exhalat*. Praesens enim adhibetur, quoniam semper eam auram exhalant *gelidae valles*. E.).

Tutus eram iaculo. Sed cum satiata ferinae
Dextera caedis erat; repetebam frigus et vmbras,
Et, quae de gelidis halabat vallibus, auram.
Aura petebatur medio mihi lenis in aestu;
Auram exspectabam; requies erat illa labori.
Aura (recordor enim) venias, cantare solebam;
Meque iuues, intresque sinus, gratissima, nostros;
Vtque facis, releuare velis, quibus vrimur, aestus.
Forsitan addiderim (sic me mea fata trahebant)
Blanditias plures, et, Tu mihi magna voluptas,
Dicere sim solitus; tu me reficisque, fouesque;
Tu facis, vt siluas, vt amem loca sola, meoque
Spiritus iste tuus semper captatur ab ore.
Vocibus ambiguis deceptam praebuit aurem
Nescio quis, nomenque aurae tam saepe vocatum
Esse putans Nymphae, Nympham mihi credit amari.
Criminis extemplo ficti temerarius auctor
Procrin adit, linguaque refert audita susurra.
Credula res amor est. Subito collapsa dolore
Vt sibi narratur, cecidit; longoque refecta
Tempore, se miseram se fati dixit iniqui;
Deque fide questa est; et crimine concita vano,
Quod nihil est, metuit, metuit sine corpore nomen,

821. *deceptam.* Sixii Cod. *incertam.* Vt Burm.

813 In hac cantilena singula fere verba sunt ambigua, possuntque et de aura et de puella capi. Doering. in Ecl. Vett. poët. ad Ouid. A. A. III, putat, Αὖρα pronuntiatum esse Ἅβρα, quo nomine concubina notata sit. Ap. Pherecyden Cephalus non minus ambigue ὦ Νεφέλα, παραγένου clamitabat. In altero A. A. loco, *Quoque meos releues aestus — Accipienda sinu, mobilis Aura, veni.*

819 *sola*, deserta. v. Heins. ad XIV, 681. *Spiritum* aut *anhelitum* alterius cap aut etiam colloquentes. IV, 72. *Nescio quis.* cf. A. A. 699. Secundum Pherecydem fuit seruus, ex quo de marito Procris quaesiuit. *auctor*, nuntius, vt XI, 666. Quamquam hoc nomen h. l. non nisi vnus Gronouianus habet, vnde accepit Burm. Caeteri *index*, vt A. A. 719. Etiam mox vs. 836. *indicium. Susurra* alii substantiue capiunt pro *susurros*, alii cum *lingua* coniungunt.

826 A. A. 720. *Quia amans semper, quod timet, esse putat.* (cf. Heroidd. VI, 21.) — *Collapsa cecidit* plenius, quam collapsa est, quod v. de delinquentibus animo. *fati iniqui*, cui fatum irascitur, miser. *nomen* saepe de re inani et vana.

Et dolet infelix veluti de pellice vera.
Saepe tamen dubitat, speratque miserrima falli,
Indicioque fidem negat; et, nisi viderit ipsa,
Damnatura sui non est delicta mariti.
Postera depulerant Aurorae lumina noctem:
Egredior, siluasque peto; victorque per herbas
Aura veni, dixi, nostroque medere labori.
Et subito gemitus inter mea verba videbar
Nescio quos audisse. Veni, tamen, optima, dixi.
Fronde leuem rursus strepitum faciente caduca,
Sum ratus esse feram, telumque volatile misi.
Procris erat; medioque tenens in pectore vulnus,
Hei mei! conclamat. Vox est vbi cognita fidae
Coniugis, ad vocem praeceps amensque cucurri.
Semaninem, et sparsas foedantem sanguine vestes,
Et sua (me miserum) de vulnere dona trahentem
Inuenio; corpusque meo mihi carius vlnis
Sontibus attollo; scissaque a pectore veste
Vulnera saeua ligo, conorque inhibere cruorem;
Neu me morte sua sceleratum deserat, oro.

(833. *Indiciique* cod. Berol., vnde Both. refingit, *indiciisque*, quamquam vulg. praefert. 835. Gebhard Crep. III, 23 ex Mss. praetulit *deplerant*. Sed *depulerant* recte defendunt Burm, Barth. ad Stat. Achill. 1, 8; et Burm. Sec. ad Anth. Lat. T. II. p. 304. E.) 845 *vestes*. Langerm, *vultus*, vnde Heins. *cultus*.

832 Monet Heins. *sperare*, vt ἐλπίζειν, etiam in malam rem dici. At h. l. bono sensu; bona enim res est, in re mala falli. *delicta mariti*, maritum tamquam delicti reum.

836 *Victor* i. q. vs. 808, *cum satiata* etc. *labor*, aestus. *Caduca*, quae deciderat. v. ad IX, 550. Secundum Pherecydem Procris irruit in Cephalum, qui illo impetu perterrefactus eam interficit. Ap. Hygin., vbi nihil de aura, Procris timens Auroram mane secuta maritum, vt eum obseruaret, inter virgulta delituit. Auctore Apollod. vna it venatum: erat enim θηρευτική. *Vulnus*, telum vulnificum. IX, 126. [Hinc *vulnera dirigere* pro *tela dirig*, quibus vulnera infliguntur. v. Burm. ad Anth. Lat. T. I, p. 104.] Sine caussa Burm. ex Vossiano placet, *in gutture ferrum*.

845 *Foedare* de sanguine. III, 523. *Scindebat* suam ipsius vestem, vt ligamenta vulneris haberet. (*trahentem*. vs. 684 monuerat poëta, hoc iaculum per se ipsum reuolare, sed tamen nunc euellitur a Procride e vulnere. Repugnat igitur sibi ipse, vt saepe. vid. Crede Animadv. in loca quaed. vett. poëtt. p. 26 59. E.)

Viribus illa carens, et iam moribunda, coëgit
Haec se pauca loqui: Per nostri foedera lecti,
Perque Deos supplex oro, superosque, meosque;
Per si quid merui de te bene; perque manentem
Nunc quoque, cum pereo, caussam mihi mortis, amorem;
Ne thalamis Auram patiare innubere nostris.
Dixit; et errorem tum denique nominis esse
Et sensi, et docui. Sed quid docuisse iuuabat?
Labitur; et paruae fugiunt cum sanguine vires.
Dumque aliquid spectare potest, me spectat; et in me
Infelicem animam, nostroque exhalat in ore.
Sed vultu meliore mori secura videtur.
Flentibus haec lacrimans heros memorabat; et ecce
Aeacus ingreditur duplici cum prole, nouoque
Milite, quem Cephalus cum fortibus accipit armis.

(853. Pro *superosque meosque* in cod. Heidelb. *tuosque meosque* contra metrum. In Berol. *vestrasque meosque*, quam lectionem egregiam dicit Both, qui *vestros* expl. *tuos*, *Cephale, et omnium, qui viuunt*; et *meos* interpretatur, *inferos*, *qui iam sui videntur morituriae*. E.)

852 *Foedera lecti*, vt vs. 710. *meos*, quos mox adibo, inferos. *Per si quid* exquisitius, quam, per id quod. *innubere*. V. ad XII, 196. A. A. iam inter virgulta latenti *patuit miserae iucundus nominis error*.

861 Veteres animas morientium osculo excipere solebant. [Bion. Id. I, 48. Virgil. Aen. IV, 684. Theocrit. XXIII, 40. Propert. II, 10, 29 etc.] *Vultus melior*, laetior, etiam V, 501. Ceterum si Apollod. fidem habemus, Cephalus ob hanc caedem ab Areopagitis aeterno exsilio damnatus est. Hinc Thebas migrauit, et inde ad Teleboas, in eam insulam, quae ab ipsius nomine Cephalenia dicta est. Pausan. p. 91.

P. OVIDII NASONIS METAMORPHOSEON

LIBER OCTAVVS.

Iam nitidum retegente diem, noctisque fugante
Tempora Lucifero, cadit Eurus; et humida surgunt
Nubila. Dant placidi cursum redeuntibus Austri

Nisus et Scylla.

1 Olim edeb. *regente*, quod corruptum esse vidit Regius. At-

FAB. I, 1—151. *Nisus*, rex Megarensium, Pandionis filius, *in haliaeetum*, et *Scylla*, eius filia, in *Cirin*. Et haec quidem merito hanc poenam passa est. Cum enim Minos Megaram oppugnaret, Scylla, amore eius incensa, crinem patris purpureum, quo et ipsius et vrbis salus pendebat, resectum in castra hostilia pertulit, seque simul ipsam Minoi tradidit. Ille vero tam impiam proditionem auersatus, Scyllam relinquit apud Megarenses; quae cum classem persequeretur, mutatur in Cirin, pater vero in haliaeëtum. Latius hanc fabulam Megarensem tractauit Pseudo-Virgil. in Cir., quamquam is potiora narrationis capita breuiter tantum perstringit. Cf. et Pausan. Att. p. 45. et Corinth. p. 192. Apollod. III, 15, 8 sqq. Schol. Eurip. ad Hipp. vs. 35. et 1200. Propert. III. 17, 21. Hygin. fab. 198 [ibique Muncker]. Tractauerat haec etiam Parthenius, vt apparet ex Eustath. ad Dionys. Perieg. vs. 420. Minos Scyllam, impietatem eius auersatus, aut in patria reliquerat proficiscens, aut poena quadam adfecerat. His addita est fabula de purpureo Nisi capillo, quam cupide arripuerunt poëtae atque mythici scriptores. Cum enim auem nossent purpurea in vertice crista insignem, quae Ciris diceretur, (quod nomen a graeco κείρειν, tondere, deriuari posse putarunt), in eam transiisse Scyllam finxerunt, patrem vero in haliaeëtum, qui acerrimo odio insectari Cirin solet. [v. Heyn. ad Virgil. Cirin s. init.]

1 Initium fabulae respicit VII, 659 et 664. *Lucifer* et *Aurora* alibi dr. *diem reducere*, sed h. l. exquisitius, *retegere*, quemadmodum apud Virg. Aen. IV, 119 Titan *radiis retegit orbem.* Adde V, 65. Nox contra amictu suo *tegit terras*. Sed nollem additum *noctisque t. fug.* ita enim diuersae imagines iunctae. De *nitido die* ad I, 603. Venti *cadunt*, cum quiescunt, contra *surgunt*, cum inflare incipiunt. Pro austro ponit *humida nubila*, quae aguntur ab austro.

3 *cursum*, nempe secundum, prosperam nauigationem. Cic. Att. V, 8. *cursum exspectabam*, Aeacidae non *redibant*, sed sequebantur redeuntem Cephalum. Nempe *redire* ponitur et pro simplici *ire*. *ante exspectatum*, ἀπροσδοκήτως, opinione citius. V. ad IV, 790.

Aeacidis, Cephaloque; quibus feliciter acti
Ante exspectatum portus tenuere petitos.
Interea Minos Lelegeïa litora vastat;
Praetentatque sui vires Mauortis in vrbe
Alcathoi, quam Nisus habet; cui splendidus ostro
Inter honoratos medio de vertice canos
Crinis inhaerebat, magni fiducia regni.
  Sexta resurgebant orientis cornua Phoebes:
Et pendebat adhuc belli Fortuna; diuque

que *relegente* in omnibus, quibus ysus est, Mss. reperit Ciofan. 7 Primus Medic. Noric. (Berolin.) et tres alii, *in vrbem.* (Cold. Iunian. et pr. Gronou. *in arce,* unde Heins. ad A. A. II, 421 suadet; *in arce Alcathoë. Alcathoë* enim nomen arcis Megarorum. Videtur tamen hoc nomen ad totam vrbem translatum esse. Quare equidem *vrbe Alcathoë* tam h. l. quam A. A. l. c. praeferrem. E.) 8 *Alcathoi* dedit Heins. (ex uno cod.) pro *Alcathoë.* 9 Florent. S. Marci et alii *in vertice.* Neap. Vrbin. et sec. Medic. *sub vertice.* 11 *Phoebes* habent vnus Medic. et vnus Ambros. pro vulg. *Lunae.* Heins. etiam coni. *orienti Phoebae,* quia alter Twisden. *orienti.*

6 Docte *Lelegeïa litora;* etenim *Leleges* e stirpe Pelasgica tum temporis illa loca tenebant. *Vires Mauortis sui* et vs. 61, *Mauors suus* ornate, copias suas. *vrbs Alcathoi,* Megara, cuius arcem *Alcathous,* Pelopis filius, muris cinxerat. Eam nunc *habebat,* regebat, *Nisus,* vnde Νίσου πόλις dicta Eurip. Herc. Fur. 954. Strabo lib. IX. Τῆς Ἀττικῆς εἰς τέτταρα μέρη διαιρεθείσης, ὁ Νῖσος τὴν Μεγαρίδα λάχοι. *Praetentat* etc. copiarum suarum vires expetitur in hac vrbe ante bellum iustum. Supra VII, 489, *praeconsumere vires.* Claudian. VIII, 534, *praetentare tela.* (v. ad V, 10. Burm. ad XIV, 189 et V. D. in Misc. Obss. Vol. II T. II p. 169. Omnino *prae* in verbis compositis indicat, eam rem, quam simplex verbum denotat, iam *antea* factam esse. v. Burm. ad Amorr. I, 1, 7, et quos citat Wolf. ad Sueton. August. c. 90 et 93. E.) Caeso Niso, vrbs a Megareo, qui Niso venerat auxilio, dicta est Megara.

8 De purpureo hoc crine vid. [A. A. I, 331.] Virg. Cir. vs. 119 sqq. Schol. Eurip. ad Hipp. 1200 habet χρυσοῦν πλόκαμον. Responsum autem erat, tamdiu eum salvum fore et regnaturum, quam crinem illum custodisset, hinc *magni fiducia regni.* Virg. Cir. 380, *Tanta est in paruo fiducia crine cauendi.* [Vt autem a Nisi purpureo hoc crine pendebat fatum vrbis, sic a Simsonis crinibus, quos simili modo Delila hostibus tradidit, pendebat ipsius robur. v. Bauer. Hebraeische Mythologie T. II p. 186.] Non *magnum* quidem illud *regnum,* quippe non nisi quarta Atticae pars, sed dignitatis caussa, pro consilio poëtae, etiam minora regna *magna* drr. *honor. canos.* Claudian. I, 30, *sancta canities.* [*Canos* Nisi *capillos* commemorat poëta etiam Amorr. III, 12, 21.]

12 Aequum Martem duplici imagine exornat. *Pendere* eleganter drr., qui dubitant, in vtram partem inclinent. Nostrum expressit Claudian. I, 21, *His*

Inter vtrumque volat dubiis Victoria pennis.
Regia turris erat vocalibus addita muris:
In quibus auratam proles Letoïa fertur
Deposuisse lyram: saxo sonus eius inhaesit.
Saepe illuc solita est adscendere filia Nisi;
Et petere exiguo resonantia saxa lapillo,
Tum cum pax esset. Bello quoque saepe solebat
Spectare ex illa rigidi certamina Martis.

(13 Pro *volat* in Florent. vno Medic. et vno Bon. codd. *vagat;* vnde Heinsius cor. *vacat* vel *vaga est.* Dixerunt veteres *vagare* et *vagari* (v. Heins. ad h. l. et Burm. Sec. ad Propert. II, 16 31, p. 361.) sed prius non nisi ab antiquissimis scriptoribus adhibitum esse videtur. Recte retinuit Burm. *volat;* cum saepe Victoria *volatilis* et alata vocetur. v. notas. E.) 19 Medic. et Neap. *bellum quoque turre solebat.* Et *bellum* etiam Vrbinas et Berneg. a m. pr. tum ille mox, *eque illa.* Hae varietates Heins. probantur. Sed *turre* otiosum est, cum *saepe* sequentia postulare videantur. Tum *bello* et *cum pax esset* bene sibi respondent. Burm. praeterea putat, numeros fore minus languidos, si cum Leid. legas; *cum pax tuta foret.* (Accedit Burmanno Bothius, qui etiam *turre* probat, cum *saepe* ea fieri, quae *solet* quis agere, per se intelligatur. conf. tamen I, 639. Pro *solebat* autem cor. *sedebat*, vt sit graeca structura *sedebat spectare*, de qua v. Heins. ad V, 660. Barth. et Burm. ad Claud. Rutil. 210. E.)

neque per dubium pendet Fortuna fauorem etc. *Victoria* Dea, quae virginis alatae habitu pingebatur, nunc volabat *dubiis pennis*, exquisite, quia ipsa erat dubia, quo inclinaret. Compares e lib. I *trepidantes pennas.* Tibul. 2, 5, 45, *super fessas volitat Victoria puppes.* [vid. ibi Heyn. et Burm. Sec. ad. Propert. II, 9, 14 p. 289.]

14 Memorabilis huius saxi et alii mentionem faciunt, et commode h. l. intexta est. Heynius ad Virg. Cir. 105 putat, ex Ouidii mente *turrim* edidisse illum sonum; quod non est. Diserte enim a vocalibus muris *regia*, a rege exstructa. *turris* distinguitur. *Vocalis*, sonum edens, resonans. Apollo enim cum Alcathoo, muros exstruenti, operam nauaret, lyram deposuit, sonus autem eius in lapides subiectos transiit, vt, si quis lapide eos percuteret, eundem illi, quem fides pulsae, sonum ederent. Theog. 771. Pausan. Att. p. 100. Virg. Cir. 105. Epigr. in Anthol. IV. p. 351.

16 *Saxum* vnum etiam ap. Pausan. quamquam h. l. Singul. esse poteat pro Plural. Bentlei. ad Horat. III od. 11, 18 monet, non nisi bis a Nostro, h. l. et Trist. III, 4, vsurpatum esse pronomen *eius*, idque epicos poëtas perpetuo multasse exsilio. Etiam Burm. poëtastros ob frequentem huius pron. vsum vituperat. [vid. ad IV, 745.] *Exiguo* vel quia virgo regia ludebat, vel quia tali lapillo opus erat.

19 *Bello*, tempore belli, vt passim *ludis*, *sacrificiis* etc. i. tempore ludorum, sacrificiorum. Ablatiui ponuntur sic absolute, vt tempus significent, quo quid factum sit. vid. Burm. ad h. l. et Ernesti ad Sueton. Caes. 11.

Iamque mora belli procerum quoque nomina norat,
Armaque, equosque, habitusque, Cydoneasque pharetras.
Nouerat ante alios faciem ducis Europaei;
Plus etiam, quam nosse sat est. Hac iudice, Minos,
Seu caput abdiderat cristata casside pennis,
In galea formosus erat: seu sumserat aere
Fulgentem clypeum, clypeum sumsisse decebat.
Torserat adductis hastilia lenta lacertis:

21. Neap. et prior Erf *moras belli*, vt proceres *belli morae* dicantur, quod illustrat Heins. 22. Olim edeb. *Cydoneasque*, quod Ciofan. ex antiquiore suo Cod. in *Cydoniasque* mutauit. At alterum Burm. reuocauit, quia et A. I, 293 *Cydoneae iuuencae*. Etiam Virg. Ecl. X, 59 variant Codd. in h. nomine. Berkelius ad Stephan. in Κυδωνία vult *Cydonaeasque* esse scribendum.

21 *mora*, diuturnitate, vt I, 402. Spectabat castra hostilia, vt Antigone apud Eurip. Phoen. 110 sqq. et Helena apud Homer. Il. γ, 124 sqq. cf. et Virg. Cir. 172 sqq. *Cydonia* vna ex tribus celeberrimis Cretae vrbibus. Creta abundabat materia, vnde sagittae, arcus, pharetrae conficerentur, et Cretenses excellentes habebantur sagittarii.

23 *Europaei.* vid. ad vs. 120. Amor ille Scyllae iniectus traditur vel a Venere (Hygin. d. l.) vel a Iunone, Virg. Cir. 133. Apud Nostrum originem habet satis naturalem. *Sat est*, conducit. *Faciem* et habitum Minois apte ad propositum describit in seqq. *Hac iudice* bene additum; nam amori omnia videntur eximia. Ita *me iudice* II, 428. Iam seq. locus pulcher, expressus e Tibul. IV, 2, 7 — 12, *Illam, quidquid agit, quoque vestigia mouit, Componit furtim subsequiturque Decor. Seu soluit crines, fusis decet esse capillis, Seu comsit, comtis est veneranda comis. Vrit, seu Tyria voluit procedere palla: Vrit, seu niuea candida veste venit.* Cf. II Amorr. 5, 43. [Adde Heroidd. IV, 79 sq. A. A. II, 297 sqq. Both. ad Senec. Herc. Fur. 577.] Etiam h. l. quot modis variatum illud, formosus erat. Et totus orationis color notandus. *Cristae* praecipuum galeae ornamentum. Hinc *superbum cristarum decus* Sil. X, 399. Erat non solum e setis equinis (XII, 88.), sed etiam ex *pennis*, quae pulchrum Minoa magis decebant.

26 *Aere* rescripsi auctoritate Mss, qui fere omnes in h. v. conspirant. Et mox vs. 52. non nisi *aenea* galea Minoi tribuitur, vt Homer. Il. ν, 30. Menelao. Primus Vatic. et duo alii *ore*, quod aperte ex *aere* ortum. Vnus Regius pr. *auro*, quod receptum ab Heins. propagauit Burm. Constat sane ex Hom. et Virg. etiam *auro* exornatos interdum fuisse clypeos; sed ego Mss. auctoritatem sequi malui. Atque etiam *aes* in splendorem datum satis potuit spectantium oculos ferire atque decus addere Minoi. *decebat*, cum decore sumebat, aut, clypeus sumtus ei decus addebat. Eurip. Phoen. 171, ὡς ὅπλοισιν χρυσέοισιν εὐπρεπής. *adductis lacertis* pingit actum iaculantis. Expressit autem Virg. XI, 361, *adducto contortum hastile lacerto Immittit.*

Laudabat virgo iunctam cum viribus artem.
Imposito patulos calamo sinuauerat arcus:
Sic Phoebum sumtis iurabat stare sagittis.
Cum vero faciem demto nudauerat aere,
Purpureusque albi stratis insignia pictis
Terga premebat equi, spumantiaque ora regebat:
Vix sua, vix sanae virgo Niseïa compos
Mentis erat. Felix iaculum, quod tangeret ille,
Quaeque manu premeret, felicia frena vocabat.
Impetus est illi, (liceat modo) ferre per agmen
Virgineos hostile gradus: est impetus illi
Turribus e summis in Gnosia mittere corpus
Castra; vel aeratas hosti recludere portas,
Vel si quid Minos aliud velit. Vtque sedebat,
Candida Dictaei spectans tentoria regis;
Laeter, ait, doleamne geri lacrimabile bellum,

(30. Plurimi codd. cum Berol. et Heidelb. *Impositis calamis.*) 33. Graeuianus pro diuersa lectione *phaleris pictis*, quod arride- Heins.; sed recte reiicitur a Burm. Hic pro *albi* malebat *alti*, sine caussa. (40. Alii scribunt *Cnosia*, quam scripturam vnice veram esse ex numis antiquis euincere studet Burm. Sec. ad Propert. I, 3, 2 p. 31. cf. Nolten. Lexic. Antib. s. h. v. p. 66. In Graecis quoque Κνώσιος et Γνώσιος. E.) 42. Septem veteres, tum Neap. sec. tert. Medic. pro diuersa lect. *Vtque solebat*, quod non damnat Heins. At hoc iam dictum supra 19.

Infra IX, 52 sunt *brachia adducta.* Sic et *reduci* adhiberi, monet Burm. *Lentum* sollemne hastilium, pilorum, thyrsorum epitheton ap. poëtas. *Iuncta cum viribus arte* opus erat in eiusmodi exercitationibus. X, 181.

31 *stare* de gestu vel pugnantium, vt IX, 43, vel sagittas mittentium, vt h. l. Et sic *status* passim. *stratis pictis.* cf. VI, 222. *Purpureus* grauius, quam, purpurea veste, A. A. I, 214. *Quatuor in niueis aureus ibis equis.* *Albo* equo se Minoa in obsidione vrbis hostibus notabilem dedisse et conspicuum, non credit Burm., qui eam ob caussam emendat *alti.* Ergone *altus* equus eum minus notabilem reddebat? Nec dubitarunt alii duces, Alexander, Hannibal, armis et equis se insignire. Amabant autem plerumque *albos* equos; et in *albo* in primis lucebat purpura. *spumantia ora* generosi equi signum. *Vix sua,* V. ad III, 689. *Felix* etc. Ridicula, sollemnis tamen perditе amantium praedicatio.

38 Potentia amoris bene notatur. *Impetus,* vehemens cupido. *mittere corpus* de desiliente. [cf. Heroidd. II, 133.] *Candida,* quippe lintea. Aen. I, 469, *Rhesi niueis tentoria velis.* Illis tamen temporibus lintea tentoria nondum in vsu.

44 Placet sibi Noster in eiusmodi soliloquiis, quibus naturae humanae indolem describit. Etiam h. l. grauis animi lucta;

In dubio est. Doleo, quod Minos hostis amanti est.
Sed nisi bella forent, numquid mihi cognitus esset?
Me tamen accepta poterat deponere bellum
Obside: me comitem, me pacis pignus haberet.
Si, quae te genuit, talis, pulcherrime rerum,
Qualis es ipse, fuit; merito Deus arsit in illa.
O ego ter felix, si pennis lapsa per auras
Gnosiaci possim castris insistere regis.
Fassaque me flammasque meas, qua dote, rogarem,
Vellet emi! tantum patrias ne posceret arces.
Nam pereant potius sperata cubilia, quam sim
Proditione potens: quamuis saepe vtile vinci

46. *numquid* pro *nunquam* e primo Medic. et Norico recte receptum; acriorem enim reddit orationem. 47. Cod. Dominic. et quinque Heins. Mss. *dimittere bellum*, et sic infra XIII, 217. (v. Heins. et Burm.) 48. Heins. *haberet* mutauit in *habere*, quamquam hoc Burm. deinde in Francof. reperit. Nos reuocauimus alterum, vt melius. G. 49. Berol. et Heidelb. aliique *peperit*. *rerum* e decem codd. dedit Heins.; reliqui, *regum*. 50. *ipsa fuit* Heidelb. et meliores, vt Heins. notat, codd. *arsit in ipsa* cod. Berol. prob. Bothio. 52. Idem ex Berol. praefert *possem*, cum sermo sit de re, quae prorsus fieri non posse videatur. E.

hinc enim amor pugnat insanus, illinc pietas, sed, vt fit, ad extremum vincit amor, Scyllaque patrem prodit cum patria. Cf. similis luctatio Medeae, VII, init. *lacrimabile*. Homer. δακρυόεις πόλεμος. Horat. *bellum lacrymosum*. *Deponere*, vt alibi *ponere*. Broeckh. ad Propert. II, 1, 36. *Obsides* fere regum liberi accipiebantur. V. Ciof. Obsidem mox vlterius declarat, reique gratae immoratur; nam et *pignora pacis* sunt obsides, quia *pignus* omne id, quod fidem facit. *Poterat* melius, quam cod. Vatic. et decem aliorum *poterit*. V. ad I, 679.

49 *pulcherrime rerum* est etiam A. A. I, 213, et Heroid. IV, 125. *Dulcissime rerum* Horat. I Sat. 9, 4. *maxima rerum* Claudian. I, 130. *quae te genuit*, Europa. *Deus*. Iupiter. II, 833 sqq. *gignere* etiam de femina. V. Burman.

51 Cf. Eurip. Phoen. 166. *Insistere* de volantibus, quando delabuntur in terram. I, 307. *fassaque me*, vt III, 2, *se confessus erat*. Heroica aetate mariti *emebant* coniuges; sed postea *dos* postulabatur, quae spectabatur vt pretium, quo maritus *emeretur*. Hinc ap. Eurip. Med. 232 Medea queritur, mulierem cogi χρημάτων ὑπερβολῇ πόσιν πρίασθαι. Sponderi solebant liberi et generi emi a parentibus. Virg. G. I, 31, *Teque sibi generum Thetys emat omnibus vndis*. [v. ibi Heyn.] Sed Scylla amore ardens vult ipsa rogare, *qua dote* (e form. sollemni) velit *emi*. *patriae arces*, patria vrbs. Aen. I, 20, *Tyriae arces*, Carthago. III, 553, *Caulonis arces*, vrbs Caulon. — *cubilia*, thalami, coniugium. *potens*, beata. V. ad IV, 325.

Victoris placidi fecit clementia multis.
Iusta fecit certe pro nato bella peremto;
In caussaque valet! caussamque tuentibus armis,
Vt puto, vincemur. Qui si manet exitus vrbem,
Cur suus haec illi reserabit moenia Mauors,
Et non noster amor? melius sine caede, moraque,
Impensaque sui poterit superare cruoris.
Nam metuo certe, ne quis tua pectora, Minos,
Vulneret imprudens. Quis enim tam dirus, vt in te
Dirigere immitem, nisi nescius, audeat hastam?
Coepta placent, et stat sententia tradere mecum
Dotalem patriam, finemque imponere bello.
Verum velle parum est. Aditus custodia seruat;

58. *facit* non nisi vnus Louan., vnde cupide accepit Burm. Caeteri *gerit.* 59. Vulg. *Et caussaque*, quod iam Constant. Fanens. mutauit in, *in caussaque.* idemque deinde in multis repertum est. Alter Ciofan. et alter Caelest. *in caussamque*, quod et ipsum defendi posse Burm. monet. Alii aliter. Pro *tuentibus* multi, iique praestantiores, *tenentibus*, non improbante Heins. (60. Cod. Berol. et quinque Ciofan. *Quis enim manet.* 61. *reserabit* prim. Gronou. cod. Reliqui, *reseret mea.* Heins. cor. *reserarit.*) 64. *Nam.* Heins. de suo dedit *Quam.* Nonnulli Mss. *Iam* aut *non.* 65. *dirus*, vt efficacius, e praestantioribus multis recepit Heins. pro *durus*; quamquam hoc et crudelem significat.

57 Exemplum Iul. Caesaris comprobat hanc sententiam. *Caussa valet* is, qui habet caussam iustam, vt Minos, qui pro Androgeo filio interemto arma mouebat. Verbo autem *valere* saepe additur praepos. *in*, vt *in dicendo*, *in ira valere.* V. Heins. *bellum facere*, quod et alii dixerunt, de eo, qui bellum vltro infert; *gerere* autem etiam de eo, qui bellum illatum repellit. Burm. *caussam*, nempe iustam. G.

60 *Vt puto.* Tradunt veteres Grammatici (Charisius p. 5. Diomedes p. 430. Mar. Victorinus p. 2472. aliique), Latinos omnia verba, in o desinentia, vltima syllaba producta protulisse. Quam quidem legem, paucis locis verbisque (quae sunt, *volo*, *scio*, *nescio*,) exceptis, poëtae, qui ante Ouidium floruerunt, seruarunt omnes. v. Hermann. ad Plaut. Trinum. praef. p. XV. Lennep. ad Ouid. Heroid. XV, 32. Ouidius tamen haud raro hanc legem migrauit. Semper enim corripit, *puto*, *nescio*; interdum etiam *amo*, *tollo*, *odero*, *peto*, *cerno*, *cano*, *rependo*, *desino* etc. v. Lennep. l. c. E.

61 Propert. d. l. vs. 24, *Nisa, tuas portas fraude reclusit Amor. Reserantur* pr. portae, h. l. *moenia*, vrbs ipsa. *Superare*, absolute vincere.

64 Commode hanc sollicitudinem animi sic declarat. Sed ex mente Virg. Cir. 270 Minos vulnerari haud poterat.

Claustraque portarum genitor tenet: hunc ego solum
Infelix timeo; solus mea vota moratur.
Dî facerent, sine patre forem! sibi quisque profecto
Fit Deus: ignauis precibus Fortuna repugnat.
Altera iamdudum succensa Cupidine tanto
Perdere gauderet, quodcumque obstaret amori.
Et cur vlla foret me fortior? ire per ignes,
Per gladios ausim. Neque in hoc tamen ignibus vllis,
Aut gladiis opus est; opus est mihi crine paterno.
Ille mihi est auro pretiosior; illa beatam
Purpura me, votique mei factura potentem.
  Talia dicenti, curarum maxima nutrix
Nox interuenit; tenebrisque audacia creuit.
Prima quies aderat, qua curis fessa diurnis
Pectora somnus habet. Thalamos taciturna paternos

73. *Fit* Heins. ex primo Gronou. induxit. Caeteri omnes *Est*; aeque bene.

70 *Claustra portarum*, portae clausae, vt IV, 86, *vrbis claustra.* [*vota moratur* cf. Heroidd. XVIII, 5. XIX, 95.] *sibi quisque* etc. multa ipsi nostris viribus efficere possumus, quae a Diis petimus. Non est, quod Di faciant sine patre sim; ipsa me eo liberare possum prodens eum. Sententia sumta ex Aen. IX, 184 s. *Dine hunc ardorem mentibus addunt — an sua cuique Deus fit dira Cupido? ignauae preces*, quibus non adduntur facta. Contra *armatae preces* ap. Cic. ad Diu. IX, 3. Iam hinc augetur impetus animi. *Altera*, alia. *Perdere* grauius, quam aliorum *prodere.* Singula verba hic habent pondus. *Iam dudum* potes et nunc interpretari, continuo. *Illa* reuocaui, quia sic omnes Codices praeter Iunian. (et Berolin.) vnde Burm. *illa* recepit, vt ad *purpuram* referretur.

81 Nouo momento opus erat, quo coepta tam audacia confirmarentur in animo. *Nox curas* quidem *diurnas* i. labores et negotia per diem suscepta finit, sed eadem silentio suo et solitudine aliud *curarum* genus, nempe quas amor habet, nutrit, tum *tenebris*, quibus facinora occultat, hominum *audaciam* auget. Non bene autem *curae* sic bis positae. *habet somnus*, vt VII, 329.

84 *Taciturnum* illum ingressum praeclare describit Virg. Cir. 209. *Auribus arrectis nocturna silentia tentat* etc. *In fatali nata parentem* singula verba vim habent. Hinc praemissum *heu facinus! fatali*, quo fatum ipsius et patriae pendebat. In seqq. sane est redundantia quaedam; non tamen propterea vs. 87 cum Heins. deleam, cum Ouid. saepe in hanc partem pec-

Intrat, et (heu facinus!) fatali nata parentem
Crine suum spoliat; praedâque potita nefandâ
Fert secum spolium celeris, progressaque portâ
Per medios hostes (meritis fiducia tanta est),
Peruenit ad regem; quem sic adfata pauentem est:
Suasit amor facinus: proles ego regia Nisi
Scylla, tibi trado patriosque, meosque Penates.
Praemia nulla peto, nisi te. Cape pignus amoris
Purpureum crinem: nec me nunc tradere crinem,
Sed patrium tibi crede caput. Scelerataque dextra
Munera porrexit. Minos porrecta refugit;
Turbatusque noui, respondit, imagine facti:
Dî te submoueant, o nostri infamia secli,
Orbe suo, tellusque tibi pontusque negentur.
Certe ego non patiar Iouis incunabula Creten,
Quae meus est orbis, tantum contingere monstrum.

87. Vulgo *sceleris*. Cod. antiquus Iac. a Cruce, Medic. prior, Erford. Calandr. pluresque alii *celeris*. Sic etiam Priscian. (V, 3, 16 Kr. p. 647. P.) loc. laudat, vt doceat, *celer* femininum facere *celeris*. Heins. vero totum vs. delendum censet, quia in Florent. S. Marci margini adscriptus est manu recentiore. (Reposui *celeris*. Ex eo enim, quod *celeri cursu* a patre ad hostes discedit, summa amoris insania animique confidentia (cf. vs. seq.) apparet. Languet etiam *sceleris* post vv. *praeda nefanda*. E.) 88. Plurimi, *meriti*. Vnus Leid. *menti*, quod non displicet Heins. (duo codd. *meritis*. 89. *pauentem est* Berol. et Heidelb.; recte: nam omissum *est* ob antec. *quem* orationem duriorem reddit. E.) 98. Heins. suadebat, *Orbe pio*. Male. *Orbe suo* et mox *meus orbis* bene sibi opp.

cet. Si *sceleris*, quoniam *nefanda* praecessit, displicet, possis eum Prisciano *celeris* praeferre. Non temere monetur, *porta* eam esse *progressam*, egressam; eam enim pater clausam tenuerat. *Pauebat* Minos adspiciens crinem ab ipsa Nisi filia allatam.

91 *patriosque* etc. et patriam et domum meam. *Patrium caput*, vitam et salutem patris. Vs. 115 s. *patris ora* dr. domasse. Impie commendat munus suum.

96 *imagine facti*, cogitatione facti, vt alibi iam obseruatum. *noui*, inauditi. *Di te submoueant* fuit in imprecationibus, vt *Di te eradicent*, *perdant* etc. (v. Ciofan.) *orbe suo*, toto terrarum orbe, in quem Deorum potestas.

99 Iupiter a multis in *Creta*, ab aliis in Arcadia natus esse credebatur. v. Callim. h. Iou. 4 sqq. ibique Spanhem. Noster supra II, 405 hos sequebatur, nunc [vt etiam Amorr. III, 10, 19.] illos. Bene hoc mytho vtitur, vt sanctitatem insulae suae addat. *Contactu* hominum nefariorum polluebantur sancta.

Dixit; et, vt leges captis iustissimus auctor
Hostibus imposuit, classis retinacula solui
Iussit; et aeratas impelli remige puppes.
Scylla, freto postquam deductas nare carinas,
Nec praestare ducem sceleris sibi praemia vidit;
Consumtis precibus violentam transit in iram:
Intendensque manus, sparsis furibunda capillis,
Quo fugis, exclamat, meritorum auctore relicta,
O patriae praelate meae, praelate parenti?
Quo fugis, immitis? cuius victoria nostrum
Et scelus et meritum est. Nec te data munera, nec te
Noster mouit amor, nec quod spes omnis in vnum
Te mea congesta est? nam quo deserta reuertar?

103. Olim *impleri*. Alterum restituit ex vno Ciofan. et repertum postea in pluribus. (104. *deductis nare carinis*, cod. Jun. quod non displicet Burm. vt *nare* sit *nauigare*. v. eundem ad Heroidd. XIX, 185. Sed recte cum codd. praetulit vulgatam. *nare* et *natare* eleganter dicuntur naues. v. Burm. Sec. ad Propert. II, 7, 68. p. 274. E.)

101 Festinat et omittit expugnationem vrbis, quae nil ad rem. *auctor*, scil. legum, legislator. Plane sic XV, 833. de Augusto, *legesque feret iustissimus auctor.* Ab *iustitia* et aequitate passim laudatur Minos. Propert. d. l. *Victor erat quamvis, aequus in hoste fuit.* (vid. Ciofan. et Heins.) Tragici tamen graeci eum, tamquam ferum tyrannum notarunt, propter tributum Atheniensibus imperatum. Plutarch. Thes. cap. 16. *Retinacula*, πείσματα, funes, quibus naues alligabantur in litore, ne a ventis fluctibusue auferrentur. (v. Burm. Sec. ad Propert. II, 18, 41. p. 372. et in Addendis p. 944.) Ea *soluit*, qui proficiscitur. *Impellere remos*, *naues* aut *mare remis* phrases sollemnes. v. Heins.

104. E naue suspensam Scyllam per mare tractam esse a Minoë alii narrant. v. Heyn. ad Virg. Cir. vs. 389. Ex alia rursus traditione vxorem eam duxit Minos ductamque in mare abiici iussit. Pausan. Cor. p. 192. Sed aequitati Minois magis conuenit, quod eam in patria relinquit. *freto*, in fretum, si coniungis cum *deductas*; sin cum *nare*, deest *in*.

108 Cf. lamenta Scyllae apud Virg. Cir. 404. sqq. [similes querelas v. Heroidd. VII. X, 59 sqq. Virg. Aen. IV, 304 — 330. 363 — 387. Catull. Epith. Pel. et Thet. 32. sqq.]. Odium in ingratum Minoa et impietatis miseriaeque suae sensus tumultuantur in animo Scyllae. Conuicia, quae ei ingrati et immitis Minois cogitatio suppeditat, ex mythis repetita sunt, tanguntque in primis matrem et coniugem. Sic efficitur, vt totum genus abominabile videatur.

113 *Congesta*. cum vi. Cum alii multa et varia sperent, mea vota omnia in te conspirant. *Congeri* enim drr. quae in vnum

In patriam? superata iacet. Sed finge manere:
Proditione mea clausa est mihi. Patris ad ora?
Quae tibi donaui. Ciues odere merentem;
Finitimi exemplum metuunt. Obstruximus orbem
Terrarum, nobis vt Crete sola pateret.
Hac quoque si prohibes, et nos, ingrate, relinquis,
Non genetrix Europa tibi, sed inhospita Syrtis,
Armeniaeue tigres, Austroue agitata Charybdis.
Nec Ioue tu natus, nec mater imagine tauri
Ducta tua est; (generis falsa est ea fabula vestri).
Et ferus, et captus nullius amore iuuencae,

115. Plurimi (cum Berol.), *ob ora*, quod et Heins. et Burm. placet. (Hinc Bothius legendum esse censet: *Patris ob ora*, *quae tibi donaui*, *c. o. merentem*, *Fin. e. metuunt*. E.) 117. Cum in nonnullis legatur, *exponimus vrbem*, in aliis *exponimur orbem* aut *orbe*, Heins. sic legit et interpungit, *exponimur orbe*; *Terrarum nobis* etc. Esse autem *exponi orbe*, excludi toto orbe, arceri ac repelli. Burm. vero aut *obstruximus* defendit, aut cum Medic. *occlusimus*, vt sit opp. inter *occludere* et *patere*. Ea vero et est in *obstruere*. G. 122 — 124. Sic loc. constituerunt Heins. et

aceruum cumulantur. *Superata iacet*, vt I, 149, *victa iacet*. *manere*, statum pristinum seruare. *Quae tibi donaui* paullo durius, cuius salutem cum crine tibi prodidi. *exemplum*, similem proditionem, cuius iam exemplum dedi. *Obstruximus*, veniam vllius loci adeundi ademimus nobis. Sic et vs. 186.

120 Confundunt et Noster et alii Minoëm I cum Minoë II. Ille fuit Iouis et *Europae* filius, cuius nepos Minos II imperium maritimum (de quo v. Heyn. in Comment. societ. Gotting. To. I. P. II. p. 71. sqq.) habuit, atque Niso bellum intulit. *Syrtes*, loca in litore Africae periculosissima, ob vada arenosa, erant duae, quas describit Sallust. Iug. 78. Sed h. l. intel. regio Syrtica, aut omnino solitudo Libyae arenosa. *inhospita*, vbi nemo habitat, iterque facientibus hospitium praebet. Lucan. I, 367, *Per inhospita Syrtis litora*. De *Armeniae tigribus* v. ad XV, 86. De *Charybdi* vid. ad VII, 63. *Auster* maxime saeuit in mari Siculo. Respexit autem his Aen. IV, 365 sqq. *Nec tibi diva parens, generis nec Dardanus auctor, Perfide; sed duris genuit te cautibus horrens Caucasus, Hyrcanaeque admorunt vbera tigres*. [Saepe autem sic homines duri describuntur. v. Burm. Sec. ad Anth. Lat. T. I. p. 145 et 695. Fons est Homer. Il. π, 33. cf. Heroidd. VII, 37 sqq. X, 131.]

123 Fabulam hanc ipse supra narrauit II. extr. *fabula*, vt μῦθος, omnino narratio, hinc additur *falsa*. *Imago*, forma tauri, quam Iupiter assumserat. *Duci* varie capi potest, trahi, induci, seduci, vt Heins. monet, aut, vt ego malim, decipi. [v. Burm. ad VII, 301. et Burm. Sec. ad Propert. II, 13, 57 p. 336. *Poena* de ultione. v. Ernesti Clau. Cic. s. h. v. *exigere* autem proprium hac in re verbum. Metam. VIII, 531. Heroidd. VII, 97. Burm. Sec. ad Propert. I, 13, 2 p. 130. E.]

Qui te progenuit, taurus fuit. Exige poenas,
Nise pater: gaudete malis modo prodita nostris
Moenia: nam fateor, merui; et sum digna perire.
Sed tamen ex illis aliquis, quos impia laesi,
Me perimat. Cur, qui vicisti crimine nostro,
Insequeris crimen? scelus hoc patriaeque, patrique,
Officium tibi sit. Te vere coniuge digna est,
Quae toruum ligno decepit adultera taurum;
Discordemque vtero foetum tulit. Ecquid ad aures

Burm. Vulgo: *nec mater i. t. Lusa t. est: g. f. e. ea fabula: Verum et ferus* etc. Cod. Heidelb. *Lusa tua est: genitrix falsa est et fabula.* Cod. Dominic. *Falsa nec imagine tauri Lusa tua est genitrix: falsa est ea fabula.* Sic etiam Cantabr. vnus Ciof. et multi alii, nisi quod in nonnullis *Falsi nec imagine.* Cod. Neap. *Capta tua est.* Florent S. Marci *Ducta.* Pro *verum* Heidelberg. *verum est*, alter Ciof. et multi Heins. *verus*, et vnus Heins. cod. *vestri*, vt etiam cor. Capoferreus. Varie locum tentauit Barth. Aduers. III, 21. Burm. cor. *Sed ferus.* Cod. Berol. *falsa est fabula vester est.* Contra metrum Gierig. edid. *Et verus et captus.* Legendum esse videtur. *fabula: Verus et ferus et captus* etc. *Verus* enim *taurus* opponitur *imagini tauri.* 128. *Me tamen* ex vno Gronou. cod. reposuit Heins. Reliqui libb. *Sed tamen*, quod praefert Bothius, qui monet, frustra repeti pronomen. Recte. Sententiae enim vis non est in *me*, vt Virgil. Aen. IX, 274, sed in verbis *ex illis — laesi.* E.

130 *Insequeris*, insectaris, non obuia verbi significatione, notante Burm. V. nos ad Plin. VII Ep. 13, 6. *Officium*, quia *sceleri* opp. est beneficium. Cic. Her. II, 27, *plura officia, quam maleficia.*

132 Acerbissima exprobratio de horrendo et nefando Pasiphaës flagitio. Pasiphaë enim, Minois coniux, cum tauro vreretur, qui vaccam mulieri praeferret, Daedalus fecit vaccam *ligneam*, eoque concubitu Minotaurum peperit, capite bubulo, parte inferiore humana; hinc *discors foetus.* Apollod. III, 1, 4. Hygin. fab, 40. [Ouid. A. A. I, 295—326.] Palaeph. cap. 2. fabulam examinat, putatque, hunc *Taurum* fuisse formosum adolescentulum, qui, cum Minos genitalibus aliquando laboraret, officiosum se praestiterit eius coniugi. Heynius vero ad Virg. Aen. VI, 26 suspicatur, fabulam ex noto Cretae, Siciliae et Italiae emblemate ductam, quod figuram tauri cum capite viri barbati, exhibuerit, siue id patrii fluuii signum fuerit, siue Solis. *Discors* ad duplicem Minotauri naturam referendum, pro quo vs. 156, *monstrum biforme*, et 169. *geminus figura.* *Discordem* autem, quod Heins. nulla auctoritate in *dissortem* mutauerat, iure restituisse mihi videor. Lucret. V, 892 Centauris et Scyllae *discordia membra* tribuuntur. Senec. Med. 773, *Typhoeus discors*, quia corpori humano anguinei pedes additi. Etiam Sabin. I, 35 Ms. omnes, *in vno corpore discors Parthenope.* Contra *dissors* foret, alius sortis, naturae non humanae. (Heinsii tamen correctionem probat Bothius.)

Perueniunt mea dicta tuas? an inania venti
Verba ferunt; idemque tuas, ingrate, carinas?
Iam iam Pasiphaën non est mirabile taurum
Praeposuisse tibi: tu plus feritatis habebas.
Me miseram! properare iuuat; diuulsaque remis
Vnda sonat; mecum simul ah! mea terra recedit.
Nil agis, o frustra meritorum oblite meorum.
Insequar inuitum, puppimque amplexa recuruam,
Per freta longa trahar. Vix dixerat; insilit vndas;
Consequiturque rates, faciente Cupidine vires,
Gnosiacaeque haeret comes inuidiosa carinae.
Quam pater vt vidit, (nam iam pendebat in auras,
Et modo factus erat fuluis Haliaeëtos alis)
Ibat, vt haerentem rostro laniaret adunco.
Illa metu puppim dimittit: at aura cadentem
Sustinuisse leuis, ne tangeret aequora, visa est.
Pluma fuit: plumis in auem mutata vocatur
Ciris; et a tonso est hoc nomen adepta capillo.

138. Plurimi *diuisaque*. Heins. coni. *diffisaque*. 139. *ah* est e Florent. S. Marci, priore Hamb. primo Medic. Norico et duobus aliis. Plerique *mecumque sim. mea*, Alii aliter. Heins. rescribit, *mecum sine me mea terra*, vt acumen insit, vt XI, 701, *sine me me pontus habet*. Sed caueamus, ne Nostro acumina obtrudamus adeo, vbi sanior est. 142. *Vndas* habent quidem non nisi tertius Medic. et tres alii; sed *insilire*, *incidere* etc. passim cum quarto casu. V. Heins. (Reliqui codd. *undis*.)

134 *Inania*, quae non audiuntur, *verba*, item vota irrita drr. *ferri a ventis* et *tradi ventis*. Tibul. I, 5, 35. III, 4, 96. Et h. l. tanto aptius, quia loquitur ad naues, quae agebantur a ventis. [cf. Heroidd. II, 25.] — *mea terra recedit*. Suauiter ex illusione optica, qua terra recedere nobis videtur, a qua naues abeunt celeri cursu. Cf. XI, 466. Aen. III, 72.

140 *Nil agit*, qui propositum suum non assequitur. *Per freta* etc. v. ad VII, 67. *faciente* etc. IV, 528.

145 Nimis festinat; non enim ostendit, cur Nisus sit mutatus. Nempe Iupiter, commotus eius pietate, necatum in vitam reuocauit, mutatoque corpore auem esse iussit, nempe *haliaeëton*, i. aquilam marinam. Aristot. H. A. IX. Plin. X, 3. *pendebat in auras*, auis erat. VI, 667. XI, 341. *in auras* exquisitius, quam *in auris* [quod in uno Regio exhibetur]; deest enim *sublatus* in auras, quod additur VII, 354. *Ire* saepe de hostili impetu et incursu. [VIII, 403. XI, 510. Heroidd. I, 13.]

151 *Ciris* quae sit, disputatur. Hygino *Ciris* est piscis. Etymol. M. Κίῤῥις ὁ ἰχθύς. v. Munker. ad Hygin. Sed Virg. Cir. vs. 489. vbi illa metamorphosis eleganter satis describitur, est auis versico-

Ariadnes corona.

Vota Ioui Minos taurorum corpora centum
Soluit, vt egressus ratibus Curetida terram
Contigit; et spoliis decorata est regia fixis.
Creuerat opprobrium generis; foedumque patebat
Matris adulterium monstri nouitate biformis.
Destinat hunc Minos thalamis remouere pudorem,

152. *Corpora* habent praestantiores. Caeteri *sanguine*, quod olim edebatur. (157. *thalamis*, ex vno Ciof. primo Regio, Vrbin. prim. Vatic. prim. Medic. et Berol. edidit Heinsius. Neapol. Cant. Sec. Medic. prim. Basil. et tres alii *thalamo*. Reliqui *tha-*

lor, crista purpurea in capite, et cruribus rubentibus insignis, vitamque solitariam in locis desertis agens. *a tonso capillo*, ἀπὸ τοῦ κείρειν dicta est *Ciris*. [v. Hadrian. Iunius de Coma p. 311. (p. 438. ed. Arckel.)] Quae autem auis intelligenda sit, non liquet. [v. Heyn. ad Cir. init.] Alius intellexit genus accipitris, alius circum, alius rursus perdicem, alaudam etc. Noster descriptionem eius nullam dedit, nec mutationem ipsam more suo diligenter designauit, haud dubie propterea, quia Auctor carminis Ciris illa egregie occupauerat. *aura sustinuit*. V. ad XI, 341. *Pluma*, auis plumis velata.

FAB. II, 152 — 182. *Ariadnes corona inter sidera*. Athenienses Minoi quotannis septenos pueros totidemque virgines tributi loco mittere cogebantur deuorandos *Minotauro*, qui seruabatur in *labyrintho*, a Daedalo exstructo. Tertia sors cum mitteretur, comitem se obtulit ipse *Theseus*. Interfecto Minotauro, ope fili, quod ab *Ariadna*, Minois filia, acceperat, se ex labyrinthi ambagibus euoluit, Ariadnen autem in insula *Dia* reliquit. Casus, quos ibi passa sit, varie narrantur. v. Homer. Od. λ, 320. Plutarch. Thes. cap. 15. Hygin. fab. 42 et 43. Apollod. III, 1, 4. [De Ariadne in insula Dia relictâ vid. Heroidd. X, 13 sqq. IV, 116. Diodor. Sic. V, 5. Abduxit eam Thesus ex Creta simul cum Phaedrà sorore. cf. Plutarch. Thes. 21. Hygin. fab. 41. Diodor. Sic. IV, 63. Pitture d' Ercol. Tom. I tab. 5. E.]

152 Hecatomben Ioui offert, cui ob victoriam et felicem reditum sacra fieri solebant. *Vota* potest vt adiectiuum accipi et cum *corpora* coniungi. Ita vs. 265, *votus sanguis*. VII, 162, *victima vota*. (v. Heins.) Sic *vota corpora soluit* βραχυλόγως dictum, corpora vota mactat, vt votum soluat. Possis autem et aliter interpretari, vota soluit, quae quidem erant centum *corpora taurorum*, i. tauri e sollemni periphrasi. *Curetis terra* antiquitus dicta est Creta a Curetibus. Plin. IV, 12. Aen. III, 131. (v. Heins.) *Spolia*, h. e. vestes et arma hostibus occisis detracta, in templis, *regiis* aut aliis locis conspicuis affigi solebant. v. Perizon. Animadu. histor. cap. 7.

155 *Opprobrium*, Minotaurus, qui opprobrio erat (Heroid. IV, 57, *crimen matris*) illi generi, iam adoleuerat, et, dum *monstrum* illud *biforme* in regia versans, *nouitate*, inusitata sua forma et natura, omnibus spectaculo erat, *patebat* quotidie matris *adulterium foedum*, i. a natura humana abhorrens. Minos igitur *destinat*, constituit, vult hunc *pudorem*, hoc monstrum, quod ei pudori erat (sic *pudor* et IX, 577.), *remouere* ab aula sua.

Multiplicique domo, caecisque includere tectis.
Daedalus, ingenio fabrae celeberrimus artis,
Ponit opus; turbatque notas, et lumina flexum
Ducit in errorem variarum ambage viarum.
Non secus ac liquidus Phrygiis Maeandros in arnis
Ludit; et ambiguo lapsu refluitque fluitque;
Occurrensque sibi venturas adspicit vndas;

lami, quod retineri jussit H. Voss. 160. *lumina* codd. Palatini, prior Hamburg. vnus Medic. aliique. Reliqui *limina*.) *flexum* pro vulgari *flexu* e Florent S. Marci, Neap. Spirensi (Berol. et Heidelberg.) et 3 aliis dedit Heins. Duo vett. *flexa*, nempe *ambage*. 162. Prior Twisden. *liquidos Phrygius M. in arcus*, i. arcuata curuamina, quod placet Heinsio. 164. Arondel. *prospicit*, non improbante Heins.

158 Ingeniosissima descriptio labyrinthi Cretensis, in qua ante oculos habuit Aen. V, 588 sqq. [vbi vid. Heyn.] VI, 27 sqq. Cf. et Catul. 61, 112. Plin. XXXVI, 13. Diodor. I, 61. Struxisse Daedalum hoc aedificium ad exemplar Aegyptiaci illius, sed centesimam tantum eius partem imitatum esse, quae itinerum ambages, occursusque et recursus inexplicabiles contineret, crebris foribus inditis ad fallendos occursus, redeundumque in errores eosdem, auctor est Plin. d. l. Sed cum nemo Veterum hoc monumentum ipse viderit, neque Homerus, qui saepe Cretam laudat, eius mentionem fecerit, cum denique parum credibile sit, iam antiquissimis temporibus tale tantumque aedificium esse exstructum, non dubito accedere sententiae Cedreni et Eustathii, quae confirmata etiam est a Tournefort in Voyage du Leuant To. I, p. 65, fuisse nempe labyrinthum illum nihil aliud, nisi speluncam subterraneam cum multis ambagibus, in qua ars adiuuerit naturam. Cf. Goguet vom Urspr. d. Gesezze To. II p. 185. *domus multiplex*. Apollod. d. l. οἴκημα καμπαῖς πολυπλόκοις πλανῶν τὴν ἔξοδον. *caecis*, in quibus nullus prospectus. Virgil. d. l. *caecis parietibus*. *fabra ars*, architectura. *ingenio artis*, iis, quae ingeniose inuenit in ea arte. Similiter prope Plin. pan. 49, 7, *ingenia coenarum*, vbi v. not. *Turbat notas*, scil. viarum, confundit eas, non suas cuique dat notas, sed omnibus easdem. Hinc dignosci non poterant. Virg. d. l. *qua signa sequendi Falleret indeprensus et irremeabilis error*. *flexum* poëtice, quia ipsi anfractus (*ambages*) flexi. Virg. *ipse dolos tecti ambagesque resoluit*.

162 De *Maeandri* lusibus v. ad II, 246. Cf. Senec. Herc. fur. 683. Phoen. 605. Silius VII, 139. [quae loca iam Heins. attulit. v. Heins. et Burm. ad Heroidd. IX, 55.] *refluitque fluitque* pro, *fluitque refluitque*, vt vs. 536, *refouentque fouentque*. II, 409, *redit itque*. Illud *ambiguum* explicat Senec. *dubium, litus an fontem petat*. Mox *incertae aquae*. Iam ingeniosius etiam quod seq. *occurrensque* etc. *exercet*, fatigat, vt Virg. G. III, 529, *exercita cursu flumina*. Supra I, 582, *fessae erroribus vndae*. H. l. tanto aptius, quia per tot ambages decurrunt. *implet* etc. ita format vias, vt eas ingressi vbique errare cogantur. Verbo *implere* inest notio mul-

Et nunc ad fontes, nunc in mare versus apertum,
Incertas exercet aquas: ita Daedalus implet
Innumeras errore vias; vixque ipse reuerti
Ad limen potuit; tanta est fallacia tecti!
Quo postquam tauri geminam iuuenisque figuram
Clausit, et Actaeo bis pastum sanguine monstrum
Tertia sors annis domuit repetita nouenis;
Vtque ope virginea, nullis iterata priorum,
Ianua difficilis filo est inuenta relecto;
Protinus Aegides, rapta Minoïde, Dian

168. *tecti.* Gronou. coni. *texti.* (170. *semine* pro *sanguine* cod. Berol.) 172. *iterata.* Neap. et sec. Medic. *superata.* Spirens. *nulli superata*, quod verum indicat Heins. (Heinsio accedit H. Voss. Sed vulgatam recte defendit Bentlei. ad Horat. I od. 34, 5. A multis enim iam *superata* erat *ianua* tunc, cum ad Minotaurum intromittebantur: sed *iterare ianuam* et inde reuerti, hic labor, hoc opus erat. 173. *relecto* vnus Palatin. et pro divers. lect. Arondel. quod cum Heins. praeferunt Bentlei. l. c. et Gebhard. Crepund. LiI, 23. Reliqui libb. *relicto.* E.) 174. *Dian* pro *Diam* est e sec. Palat. et duobus aliis,

titudinis. Tibul. I, 4, 69, *ter centenas erroribus expleat vrbes.*

166 Noster A. A. II, 23, *Daedalus vt clausit conceptum crimine matris Semibouemque virum, semiuirumque bouem.* Philochorus scripserat, labyrinthum fuisse custodiam, in qua seruarentur pueri Athenienses, vt praemii loco tribuerentur iis, qui victoriam deportassent in ludis gymnicis. Eorum victorum principem fuisse Taurum quendam, hominem crudelem, qui duriter satis habuerit pueros illos. v. Plutarch. d. l. [Conf. Palaeph. II ibiq. Fischer.]

169 *geminam*, vt II, 630. *sors*, sorte electi pueri puellaeque. Plutarch. Thes. 17. Virg. Aen. VI, 22, *stat ductis sortibus vrna*, vbi haec ipsa res in valuis templi expressa describitur. Ea *domuit*, ex iis vnus interfecit, quo sensu *domare* et I, 312. IX, 98. *nouenis annis repetita* Glareanus interpretatur de vigesimo septimo anno, Regius post nouem annos, quia poëtae distributiuis vtuntur pro cardinalibus. Quotannis talem sortem esse missam in Cretam, Plurimi auctores tradunt. V. Plutarch. 15, qui e consensu scriptorum tradit, foedus iniisse Atticos, vt δι' ἐννέα ἐτῶν, per nouem annos, tributum mitterent; et cap. 17 hanc tertiam sortem vocat τρίτον δασμόν. *difficilis*, nempe inuentu. *iterata*, ad quam nemo rediit. Ib. 375, *Vt qui tecta, noui formam celantia monstri, Intrarunt caecae non redeunda domus.* *filo relecto.* Hygin. 42, *licium reuoluendo foras est egressus.* Plin. 36, 14, *glomus lini* vr.

174 De *Dia* v. ad III, [illegible] Apud Homer. d. l. Diana [illegible]net Ariadnen in insula Dia, Baccho sic volente, qui eam duxit vxorem. Cf. Hesiod. Theog. 947. [Q. Smyrnaeus IV, [illegible] Noster Heroid. II, 79. IV, [illegible] Plutarch. Thes. cap. 20. [illegible] rursus festinat, omittitque. [illegible]

Vela dedit; comitemque suam crudelis in illo
Litore deseruit. Desertae, et multa querenti,
Amplexus et opem Liber tulit; vtque perenni
Sidere clara foret, sumtam de fronte coronam
Immisit coelo. Tenues volat illa per auras;
Dumque volat, gemmae subitos vertuntur in ignes;
Consistuntque loco, specie remanente Coronae,
Qui medius nixique genu est, anguemque tenentis.
Daedalus interea Creten, longumque perosus
Exsilium, tractusque soli natalis amore;

Daedalus

176. *deseruit* pro *destituit* Heins. e quinque Mss. assumsit, vt sit Ouidiana repetitio. (v. Gierig. ad I, 32 et 206. Heins. ad I, 158.) — 180. *subitos* ex primo et sec. Palat. aliisque dedit Heins. Lovan. et vnus Med. *rutilos.* Vulgo *nitidos.* 182. *nixique.* Argent. et Moreti, *flexique.* 184. *tractus* Heins. ex Medic. accepit, et *soli* ex Leid. nam pro illo vulg. *tactus*, Briant. *captus*, pro hoc caeteri *loci.*

indice, non omittenda. Par enim erat, Ariadnen, vt partem fabulae praecipuam, pluribus notare.

178 De Ariadnae corona v. Hygin. Poët. Astron. II, 5. [Ouid. Fast. III, 515. Heyn. ad Virg. G. I, 222.] *Corona* est sidus nouem stellarum in orbe dispositarum inter Engonasin et Ophiuchum, qui *anguem tenet* ambabus manibus. *Dotalem* illam *corónam* vocat Claudian. 10, 272; i. a Baccho illi in dotem datam. Secundum alios ipsa Ariadne in coelum relata. Propert. III, 15, 8, *Lyncibus in coelum vecta Ariadne.* Ita et Noster III Fast. 507 sqq. V. Brouckh. ad Propert. d. l.

FAB. III, 183 - 259 *Daedalus, Icarus* et *Perdix.* *Daedalus* Athenis ex regia stirpe ortus, occiso *Perdice*, sororis filio, in Cretam fugit ad Minoa. Sed et ibi capitis damnatus, e custodia aufugit cum *Icaro* filio, seque ad Cocalum, Siciliae regem, contulit, cui eam ob caussam bellum fecit Minos, Pausan. Ach. p. 531. Sed Seru. ad Virg. Aen. VI, 14 e Sallustii lib. II, Histor. memorat, eum primum Sardiniam, post Cumas petiisse, ibique Apollini templum condidisse, sacratis ei alis. In foribus templi istius omnia ista argumenta, quae hic legimus, expressa erant, quae describit Virg. d. l. quocum cf. Silius XII, 89 — 103. Totam fabulam Noster narrat etiam A. A. II, 21 sqq. Cf. et Hygin. 40. Apollod. III, 15, 8. 9. et prae caeteris Diodor. IV, 76 — 79. [v. Heyn. ad Virg. d. l. et Fischer. ad Palaeph. 13 et 22.] Quod de *alis* Daedali traditur, id de velis intelligendum est, quae primus inuenit, et quibus adiutus secure per mediam Minois classem aufugit. *Velorum alas* dixit Virg. Aen. III, 520.

184 *Exsilium*, nempe damnatus erat ab Areopagitis propter caedem commissam. *Trahebatur* non a solo natali, vt Lenzius putabat, sed *amore*, quae formula obuia. Neque tamen Daed. in patriam rediit, sed in Siciliam se contulit. *terras — Minos.* Similiter A. A. 55 s.

Clausus erat pelago. Terras licet, inquit, et vndas
Obstruat; at coelum certe patet: ibimus illac.
Omnia possideat, non possidet aëra Minos.
Dixit: et ignotas animum dimittit in artes;
Naturamque nouat. Nam ponit in ordine pennas,
A minima coeptas, longam breuiore sequenti;
Vt cliuo creuisse putes. Sic rustica quondam
Fistula disparibus paullatim surgit auenis.
Tum lino medias, et ceris adligat imas.
Atque ita compositas paruo curuamine flectit;
Vt veras imitentur aues. Puer Icarus vna
Stabat; et, ignarus sua se tractare pericla,

188. Argent. *animum conuertit.* Quatuor *diuertit.* (*demittit* Berol. aliique. *demisit* Heidelb.) Heins. coni. *animo deuertit.* Louan. *curam dimittit.* Mox Heins. malebat, *nouans disponit*, quia in Bonon. *nouam.* (195. *imitentur* Heins. ex prim. Moret. Cantabr. quart. Medic. et sex aliis edidit. Vulgo *imitetur.*)

188 *animum dimittit*, varia consilia agitat, vt ignotam effugiendi artem inueniat. Supra III, 381, *aciem partes dimisit in omnes.* Aen. IV, 285, *animum nunc huc celerem, nunc diuidit illuc, In partesque rapit varias.* Senec. Ep. 24, *In quamcunque partem rerum memoriam miseris.* Heroid. IV, 37, *ignotas nitor in artes.* — *Naturam nouat*, nouas naturae leges praescribit. Fugam enim parabat *pennis non homini datis* Horat. I od. 3, 35. Supra IV, 279, *naturae iure nouato.* A. A. 42: *sint mihi naturae iura nouanda meae.* Commode hoc de miraculorum auctoribus dici potest.

189 Rem tenuem ornate expressit. Quoniam a *minima* incepit, sequi debebat *breuiorem longa sequente*, sed inuertit hunc ordinem. Verbis *vt cliuo* etc. frustra offendebatur Ciofan. Nempe in iis, quae in cliuo crescunt, sequentia eminent superioribus. De *rustica fistula* cf. II, 711. Tibul. II, 5, 31, *Fistula, cui semper decrescit arundinis ordo; Nam calamus cera iungitur vsque minor.* In similitudinibus *quondam* i. q. *fere.* *surgit*, fit altior. *mediae et imae* sunt mediae et imae partes earundem pennarum. Sic enim illa vocc. frequentantur (Phaedr. II fab. 4, feles in *media* quercu parit, sus ad *imam* foetum ponit) et Noster A. A. 46 s. *leue per lini vincula nectit opus: imaque pars ceris adstringitur igne solutis.* — *Vt veras* etc. vt similes sint aliis verarum auium. *Imitentur* exquisitius, quam quod olim edebatur, *imitetur.*

195 Lusus pueriles Icari iucunde notantur. *tractare*, manibus contingere, *sua pericula*, pennas et ceras, vnde pater alas faciebat mox filio perniciem allaturas. Similiter *pericula* vs. 333. *vaga*, mobilis aut mota. *mollire ceram*, vt *mollire lanam*, eam reddere tenuem. A. A. 49 s. *tractabat ceramque puer pennasque renidens, nescius, haec humeris arma parata suis.*

Ore renidenti, modo quas vaga mouerat aura,
Captabat plumas; flauam modo pollice ceram
Mollibat, lusuque suo mirabile patris
Impediebat opus. Postquam manus vltima coeptis
Imposita est; geminas opifex librauit in alas
Ipse suum corpus: motaque pependit in aura.
Instruit et natum; Medioque vt limite curras,
Icare, ait, moneo; ne, si demissior ibis,
Vnda grauet pennas, si celsior, ignis adurat:
Inter vtrumque vola. Nec te spectare Booten,
Aut Helicen iubeo, strictumue Orionis ensem:
Me duce carpe viam. Pariter praecepta volandi
Tradit; et ignotas humeris adcommodat alas.
Inter opus monitusque genae maduere seniles;

197. Heins. suadebat *mouerit*, et mox alium lusum Icaro tribuebat, cum *captabat* in *adflabat* vel *tractabat* mutari vellet. (201. Regius vnus aliique *vibrauit*, quod recte reiicit Heins. Bene autem H. Vossius ex Argent. praetulisse videtur *geminis in alis.* Dubitari enim licet, an non latinum sit, *librauit corpus in alas* pro, *alis librauit corpus.* cf. Fast. I, 429. E.)

201 *librauit*, suspendit ita, vt aequilibrium seruaretur. Vid. ad I, 13. Quamquam *librare* et eleganter de volantibus dr., qui corpus ita vel in aëre tollunt, vel in alto sustinent. Virg. G. IV, 196 de apibus, *sese per inania nubila librant.* Noster A. A. 68, *Inque nouum timide corpora librat iter.* Amorr. II, 6, 11 de auibus, *quae liquido libratis in aëre cursus.* [v. ibi Heins.] Silius XII, 194 ex imitatione Nostri de Daedalo, *Suspensum hic librans media inter nubila corpus.*

203 *Currere* cum pr. dr. nauis, bene ad volatum translatum est. Volatus enim et nauigatio solent a poëtis inter se comparari. Virg. d. l. *enauit* de Daedalo volante. Mox *remigium*, de quo supra ad V, 568. A. A. II, 64 Daedalus filio suadet, *vela dare secunda.* Vid. et ad V, 558. — *Instruit.* A. A. d. l. *Erudit infirmas vt sua mater aues.* Instruit autem fere, vt Phaëthontem Phoebus II, 126 sqq. vbi nonnulla his similia.

206 Fugiebat versus septemtriones, et spectabat sidera, tamquam nautae. [Perperam. vid. vss. 220, 21.] *Bootes*, *Helice* et *Orion* iam antiquissimis temporibus nota erant sidera, et diligenter obseruabantur a nautis. Non hoc vrgendum in poëta, quod Bootae apposuit, tamquam vicinum, *Oriona.* Etiam A. A. 55, *Sed tibi nec virgo Tegeaea, comesque Bootae, ensiger Orion adspiciendus erit.* — *Accommodat*, vt *accommodare lateri ensem.* A. A. 63, *aptat opus puero.*

210 Praeclare ad commiserationem faciendam et *seni* et *patri.* Sic praemonet rursus lectorem de exitu rei. Expressit autem Virg. Aen. VI, 32, *Bis conatus erat casus effingere in auro, Bis patriae cecidere manus.* *Opus*, accommodatio alarum. — *Velut ales* etc. Prae-

Et patriae tremuere manus. Dedit oscula nato
Non iterum repetenda suo; pennisqne leuatus
Ante volat, comitique timet; velut ales, ab alto
Quae teneram prolem produxit in aëra nido;
Hortaturque sequi, damnosasque erudit artes;
Et mouet ipse suas, et nati respicit alas.
Hos aliquis, tremula dum captat arundine pisces,
Aut pastor baculo, stiuaue innixus arator,
Vidit; et obstupuit; quique aethera carpere possent,
Credidit esse Deos. Et iam Iunouia laeuâ
Parte Samos; fuerant Delosque Parosque relictae;
Dextra Lebynthos erant fecundaque melle Calymne:
Cum puer audaci coepit gaudere volatu,
Deseruitque ducem, coelique cupidine tractus
Altius egit iter. Rapidi vicinia Solis

211. Alter Hamburg. *cecidere manus*, quod e Virg. fluxit. (v. Burm. Sec. ad Propert. II, 25, 10 p. 463.) 214. Burm. e Leid. Sprotii et duobus aliis, *producit*. 218. Vulg. *stiuae*. Sed *stiua* e suis Codd, dedit Heins. quia *innixus* et alibi cum Ablat. vt XV, 726. (v. Burm.) G. 220, 221. Hanc interpunctionem dedi, ne locus rationibus geographicis repugnet. Vulgo: *Et iam Iunonia laeua Parte Samos fuerant, Delosque, Parosque relictae: Dextra* etc. Verum si Delos, Paros et Samos a Daedalo ex Creta veniente iam relictae erant ad laeuam partem, profecto in Asiam Minorem peruenerat, neque adhuc Lebynthos et Calymne ad dextram erant. Potius poëta cursum ita describit, vt Daedalus, postquam Naxon, Paron et Delon praeteriit, versus occidentem vergat et eam fere Asiae Minoris regionem, quae inter Prienen et Miletum est, petat. Ita vero utique *Samos* ad *laeuam et Lebynthus Calymneque* ad *dextram* ei erant. Eadem ratio et A. A. II, 79 seqq., vbi interpungas: *Iam Samos a laeuâ, fuerant Naxosque relictae Et Paros et Clario Delos amata Deo: Dextra Lebynthos erant* etc. Inde autem facile intelligiter, quomodo in Icaron insulam, quae ei simul cum Samo ad laeuam sita erat, peruenire potuerit. cf. vs. 235. E.

clara similitudo.' Expressit Nostrum Valer. Flac. VII, 374. *Producere* verb. delectum; sumtum ab iis, qui suos e domo ducunt in publicum.

219 *obstupuit* fere, vt apud Attium pastor, qui primam navem videt. Cic. N. D. II, 35. Versus sunt praeclari, sed apparet, eos studio esse arcessitos et tamquam peculiarem sententiam interpositos. *stiua*, lignum illud, quo arator apud Veteres aratrum flectebat. [cf. A. A. II, 77, vbi totus vs. 217 legitur.]

220 Eaedem fere insulae A. A. 79 — 82. *Samos* in litore Asiae Minoris non potuit ei ad *laeuam* esse. [vide tamen Var. Lect.] Ibi *Iunonis* templum summa religione colebatur. Herod. 3, 60. *Calymnium mel* laudatur a Strabone X p. 749. [v. Heins. ad A. A. II, 81.] *coeli*, volatus

Mollit odoratas, pennarum vincula, ceras.
Tabuerant cerae; nudos quatit ille lacertos,
Remigioque carens non vllas percipit auras;
Oraque caerulea, patrium clamantia nomen,
Excipiuntur aqua; quae nomen traxit ab illo.
At pater infelix, nec iam pater, Icare, dixit,
Icare, dixit, vbi es? qua te regione requiram?
Icare, dicebat: pennas conspexit in vndis,
Deuouitque suas artes, corpusque sepulcro
Condidit, et tellus a nomine dicta sepulti.
Hunc miseri tumulo ponentem corpora nati
Garrula ramosa prospexit ab ilice perdix;
Et plausit pennis, testataque gaudia cantu est;
Vnica tunc volucris, nec visa prioribus annis,
Factaque nuper auis, longum tibi, Daedale, crimen.

226. Heins. malebat *adornatas*. Neque Burm.' *odoratas* satis placet, cui verbo non satis τὸ *vincula* conueniat. Suadet ergo *molliit aptatas*. (vide tamen Heins. ad Prud. Cathem. Hym. V, 22.)

per latum et profundum coelum.

226 *odoratas* ornat tantum, neque adeo Burm. offendere debebat. In *nudos quatit lac.* Nasonismus est; iocatur enim rursus in re seria. Aurae et *percipi* drr. et *concipi*. Vid. ad XII, 569.

236 Quae inde a vs. 183. praecedunt, nullam habent metamorphosin, sed quia aliam ob caussam memorabilia reperiuntur, tamquam nexus caussa intexta sunt. Metamorphosin, quae Icari casum antecessit, nunc commode subiicit. Cf. Diodor. IV, 76. Apollod. III, 15, 9. Hygin. fabb. 39. 274. Seruius ad Virg. G. I, 143. Aen. V, 14. *Ponentem*, cineres condentem [Burm. ad III, ex Ponto 1, 112] quibus postea *tumulus* impositus. Reprehendit Burm. poëtam, quod perdicem ex arbore prospicientem fingat, cum haec auis semper humi versetur, et in terra faciat cubilia. Neque hoc latuit Ouidium, qui vs. 256 hanc auis indolem e Perdicis casu explicat. *Plausus* signum laetitiae et approbationis, et bene h. l. perdici tribuitur; nam etiam aues *plaudere* drr., cum strepitum volando faciunt. XIV, 507. Perdicis *cantus* similis fere sono serrae lignum secantis. Hinc mythici scriptores serrae inuentorem non temere in hanc auem mutasse videntur Buffono in Hist. Auium To. VI n. 25. Potius Perdicis nomen fabulae originem dedisse videtur. V. vs. 255.

240 *longum crimen*, quae semper tibi caedem perpetratam obiicit. *Germana* ab Apollod. *Perdix* et *progenies Talus* vr. Sic et Diodor. Sed e vs. 255 apparet, Nostrum cum Hygino, Fulgentio et Seruio secutum esse eos, qui Perdicis nomen filio tribuerent. V. Munker. ad Hygin. f. 39. Eum Daedali μα-

Namque huic tradiderat, fatorum ignara, docendam
Progeniem germana suam, natalibus actis
Bis puerum senis, animi ad praecepta capacis.
Ille etiam medio spinas in pisce notatas
Traxit in exemplum; ferroque incidit acuto
Perpetuos dentes, et serrae reperit vsum.
Primus et ex vno duo ferrea brachia nodo
Vinxit, vt, aequali spatio distantibus illis,
Altera pars staret; pars altera duceret orbem.
Daedalus inuidit, sacraque ex arce Mineruae
Praecipitem mittit, lapsum mentitus. At illum,
Quae fauet ingeniis, excepit Pallas; auemque
Reddidit, et medio velauit in aëre pennis.
Sed vigor ingenii quondam velocis in alas,
Inque pedes abiit; nomen, quod et ante, remansit.
Non tamen haec alte volucris sua corpora tollit,
Nec facit in ramis, altoque cacumine, nidos;
Propter humum volitat, ponitque in sepibus oua:
Antiquique memor metuit sublimia casus.

Iamque fatigatum tellus Aetnaea tenebat

243. Multi *rapacis*, quod adblanditur Heinsio, quia mox *ingenium velox* ei tribuitur. Dubitat Burm. an *rapax ad* recte dicatur, cum *capax* saepe ita construi soleat. Male. *ad* tunc est, quoad. 252. Pro *fauet* Arondel. *facit*, quod Heins. illustrat. (260. *Hetnaea* vterque Hamburg., quae est falsa scriptura pro *Aetnaea*. v. ad I, 117. *Hennaea* vnus Medic.)

Ζητὴν vocat etiam Apollod. eique dat εὐφυΐαν praeclarum ingenium. *ad praecepta.* Etiam Cic. Tusc. III, 5, *mentis ad omnia capacitas.*

244 *spinas in pisce.* Sic et Hygin. Sed secundum Diodor. mandibula serpentis dentibus aspera ei caussa fuit serram inueniendi. Herbam serratam originem serrae dedisse, alii tradebant. Plin. XXIV, 15. Eodem auctore illa laus debetur ipsi Daedalo. VII, 56 s. 57. p. 414. *Traxit in exemplum*, imitatus est Claudian. 22, 117, corruptum aeuum te non *traxit ad exemplum.* *Serrae vsus*, ipsa serra. V. ad I, 408. *ferrea brachia* etc. circini descriptio egregia. *nodus*, id; quo cohaerent res scissae. *perpetuos*, vna serie procurrentes.

250 *Inuidit.* Hygin. *propter artificii inuidiam, quod is primum serram inuenerat.* Apollod. δείσας, μὴ διὰ τὴν εὐφυΐαν αὐτὸν ὑπερβάλῃ. *ex arce*, ἀπὸ τῆς ἀκροπόλεως.

258 Plin. X, 32, *Perdices spina et frutice sic muniunt receptaculum, vt contra feras abunde vallentur.* Seqq. *antiquique* etc. Similis sententia II, 378.

FAB. IV, 260–545. *Oeneus*, Parthaonis filius, Aetoliae rex,

Aper Calydon.

Daedalon: et sumtis pro supplice Cocalus armis
Mitis habebatur. Iam lamentabile Athenae
Pendere desierant Theseâ laude tributum.
Templa coronantur; bellatricemque Mineruam
Cum Ioue Dîsque vocant aliis; quos sanguine voto,
Muneribusque datis, et acerris turis honorant.

(264. Pro *pendere*, quod defendit Burm. Sec. ad Anth. Lat. T. II, p. 221, in quatuor Mss. libl. *soluere* ex glossa. *reddere* cod. Sprotii.) 266. *honorant.* Heins. e pluribus Mss. *adorant. acervis* Brodaeus Miscell. V, 8 mutauit in *acerris*, quod in Thysii cod. repertum recepit Heins. (*acerris* etiam in Heidelb. aliisque exstare videtur. *acerra* vnus Ambros.)

cuius vrbs *Calydon*, cum Dianae cultum neglexisset, illa terris eius vastum *aprum* immisit, qui segetes vastaret, pecudesque trucidaret. Ad eum interficiendum concurrerunt ex multis Graeciae ciuitatibus viri fortissimi, in quibus erat etiam *Atalanta*, virgo Arcadica, cuius amore arsit *Meleager*, Oenei filius. Post acerrimam pugnam aper interficitur a Meleagro, qui *exuuias* et *dentes* Atalantae donat, quae prima aprum violauerat. *Althaea*, mater Meleagri, duos habebat fratres, *Plexippum* et *Toxea*, qui venationi interfuerant. Ii cum inuidia tacti Atalantae eriperent victoriae signa, Meleager eos interficit. At mater, vt fratrum caedem accipit, *stipitem* fatalem, in quo vita Meleagri continebatur, flammis comburit, quo consumto Meleager exstinguitur, *sorores* autem, eius interitum flentes, in aues *meleagrides* mutantur. Fabula satis celebrata a scriptoribus antiquis. Cf. Homer. Il. ι, 529. Callim. h. Dian. 216. Diodor. IV p. 240. Apollod. I, 8, 2. III, 9, 2. Hygin. fab. 171 — 174. Pausan. Arcad. p. 692. Antonin. 2, ex Nicandro. Etiam Pherecydes et Euphorion narraverant fabulam, tum Euripides in Meleagro tractauerat, vnde non nisi pauca fragmenta supersunt, quae habes in Valkenar. Diatr. p. 137 sqq. Eam fab. latinam fecerat Attius.

260 In prima mythi parte vsque ad vs. 300 Homerum sequitur, et singula, quae ille breuiter memorat, suo modo exornat. Transit autem ad seqq. per *Thesei laudes. Iamque — habebatur.* Vid. ad vs. 183. *fatigatum* vel volatu, vel luctu et aerumnis, vt IV, 563, Cadmus *luctu serieque malorum victus. mitis habebatur*, commiseratione Daedali tactus eum in tutelam receperat. *habebatur* pro vulgari, erat. [*haberi* enim, vt *vocari*, *dici*, *ferri*, *nominari* saepe pro simplici *esse* leguntur. v. Markland. ad Stat. p. 241. Ouwens Noctt. Hag. I, 12 p. 74.] *armis* contra Minoa, qui Daedalum sibi deposcebat.

263 *laude*, virtute Thesei gloriosa. In antiquissimis donariis, laetitiae et grati animi signis, erant *coronae*, quibus super postibus suspensis *templa* ornabantur. Aen. II, 249, *delubra festa velare fronde. Vocant*, inuocant, inuitant ad sacra, e ritu et formula sollemni, de qua Burm. ad X, 3. Infra vs. 580, plenius *ad sacra vocare. quos* etc. De triplici hoc honorum genere cf. VII, 159 sqq. *munera*, donaria, ἀναθήματα, quae titulo aliquo insignita in templis vel suspen-

Sparserat Argolicas nomen vaga Fama per vrbes
Theseos; et populi, quos diues Achaïa cepit,
Huius opem magnis implorauere periclis:
Huius opem Calydon, quamuis Meleagron haberet,
Sollicita supplex petiit prece. Caussa petendi
Sus erat, infestae famulus vindexque Dianae.
Oenea namque ferunt, pleni successibus anni,
Primitias, frugem Cereri, sua vina Lyaeo,
Palladios flauae latices libasse Mineruae.
Coeptus ab agricolis Superos peruenit ad omnes.

272. *infestae.* Langerm. *incultae*, neglectae. (274. *frugem* ex vno Medieeo et vno Voss. edidit Heins. propter seq. *vina.* Dedit *frugem* et *vina, primitias.* Equidem tamen cum reliquis codd. praeferrem *frugum*, coll. X, 433; maxime cum dixerit *sua vina*, neque simpliciter *vina.* E.)

debantur, vel reponebantur. [v. Tomasin. de Donariis c. 21, 22.] *acerra turis*, tus, continens pro contento. Forte alicui e Berol. et Mss. tribus et viginti magis placeat *aceruis*, vt multitudo turis accensi indicetur. IV, 759, *largis satiantur odoribus ignes.* VII, 160, *congestaque flamma Tura liquefiunt.* Sed et Aen. V, 745, *plena supplex veneratur acerra.* Caeterum *ture* illis temporibus nondum venerabantur Deos. [v. Heyn. et Cerda ad Virg. Aen. l. c.] Pro *adorant* reuocaui *honorant*. Etenim *honorare Deos templis*, *aris*, *victimis* formulae sollemnes ap. Graecos et Latinos. Ipsa sacra eleganter *honores* drr. Mox vs. 280 Diana se *inhonoratam* vocat. [v. Burm. Sec. ad Anth. Lat. T. I, p. 37.]

267 *Spargere nomen*, vt *sp. rumores.* *vaga* eam ipsam ob caussam, quod late spargit rumores et nomina. *diues*, scil. populorum. Multi illi, quos *Achaïa*, Graecia, *cepit*, habet, populi eum implorauere. Id verum est. Inde prouerbium, οὐκ ἄνευ γε Θησέως, quo omnium rerum societas indicabatur. Zenob. V, 33. *Calydon*, Olenos, Pleuron, vrbes Aetoliae celeberrimae. *quamuis Mel.* Sic satis et Thesea et Meleagron laudat simul.

271 Sequitur perspicua, accurata, multisque luminibus exornata narratio. *Famulus*, per quem Diana vindictam exercebat. Etiam Dii minores, quorum ministeriis superiores vtebantur, horum *famuli* drr. *Successus anni*, fertilitas. *plenus*, frugibus abundans. Vulgo editur *plenis*, quod dictum, vt Pont. IV, 7, 17, *pleni fructus*, plurimi. V. ad X, 290. *Palladios latices*, oleum. Eurip. Οὔτις ποτ', ἐκ γῆς πολύμετρον λαβὼν χύσιν Θύων ἀπαρχὰς οὐκ ἔθυσε παρθένῳ Ἀρτέμιδι. Ea sacra vocat Homer. vs. 530 θαλύσια, vbi v. Schol. Lips. in not. Ern.

276 *Agricolae*, Dii rustici, in quibus Minerua propter oleum etiam a Virg. Georg. I, 18 numeratur. [cf. Auct. Nuc. 12.] Tibul. I, 1, 14, *quodcunque mihi pomum nouus educat annus, Libatum agricolae ponitur ante Deo.* *Inuidiosus*, qui inuidiam creat, aut qui cum inuidia expetitur a pluribus. IV, 794, *spes inuidiosa procorum.* VI Fast. 36, *inuidiosus honor.* Sed longe

Inuidiosus honos: solas sine ture relictas
Praeteritae cessasse ferunt Letoïdos aras.
Tangit et ira Deos. At non impune feremus;
Quaeque inhonoratae, non et dicemur inultae;
Inquit: et Oeneos vltorem spreta per agros
Misit aprum, quanto maiores herbida tauros
Non habet Epiros; sed habent Sicula arua minores.
Sanguine et igne micant oculi, riget ardua ceruix;

277. *inuidiosus* ex Neap. et sec. Med. Heins. dedit, improbante Schirachio, (Reliqui libb. *ambitiosus*.) 281. Prior Erford. *Olenios* pro diuersa lect. *Olenos* vrbs Aetoliae. 283. *sed*. Lovan. *et*, non male. 284. *ardua* e Francof. dedit Burm. quia *ardua ceruix* obuia apud poëtas.

plurimi scripti *ambitiosus*, non minus eleganter. *Ambitiosa* enim quae studiose affectantur, vt gratia et auctoritate valere videaris. *solas – aras*. Homer. vs. 531, οἴῃ δ' οὐκ ἔρρεξε Διὸς κούρῃ. Hoc Noster verbis nimium fere cumulatis expressit. *Cessare*, otiosum stare. Sic *ager cessans* Virg. G. I, 71. *Praeteritur*, cui denegatur aliquid. Ergo *praeterita* eadem quae *inhonorata*. Ap. Apollod. caussa cessationis fuit obliuio, μόνης Ἀρτέμιδος ἐξελάθετο. Dubiam relinquit Homer. — Postea, forte hoc malo inducti, Calydonii Dianam cognom. Laphrian fecere patronam suam. Paussan. Messen. p. 357.

279 *At* sic ponitur in principio minarum, increpationis, admirationis. v. XII, 367. [Heroidd. III, 114, et Lennep. ad eiusd. ep. vs. 149.] Adiectiu. *Oeneus* habent et alii, quos Heins. et Burm. laudant. Hom. Οἰνῆος ἀλωήν. *Inquit* in fine orationis.

282 Excellentissima horrendi monstri descriptio hinc incipit. Atqui talis tantusque esse debebat aper, ad quem tollendum totius Graeciae principes concurrebant. Homer. breuiter, σῦν ἄγριον, ἀργιόδοντα, Ὃς κακὰ πόλλ' ἔρδεσκεν. Apollod. Κάπρον ἔξοχον μεγέθει τε καὶ ῥώμῃ vocat. Cf. cum h. l. lupi descriptio XI, 366 sqq. 'Non habet etc.' Debebat dicere, neque Epiros, neque Sicula arua habent; sed variauit orationem. Plin. VIII, 45, *In nostro orbe Epiroticis* (*bubus*) *laus maxima, a Pyrrhi, vt ferunt, iam inde regis cura. Id consecutus est, non ante quadrimatum ad partus vocando. Praegrandes itaque fuere, et hodieque reliquae stirpium durant.* — *sed* Glarean. pro *et* positum accipit. Vid. Varr. lect.

284 *Sanguine*, scil. suffusi, quia oculi igne rubescunt. XI, 368, *rubra suffusus lumina flamma*. Aen. II, 210, *Ardentesque oculos suffecti sanguine et igni*. *Riget*, recta eminet, vt XI, 150, *riget arduus Tmolus*. At apri non habent ceruicem erectam, sed pronam. Itaque praetulerim, quod praeter vnum Mss. omnes habent, *riget horrida*, vt dura, immobilis ceruix indicetur, setis eminentibus. Aut *rigere* naturam setarum exprimit. Vs. 428, *rigidis horrentia setis*. Hoc sumto, vers. proximus delendus. Si seq. tuemur, *vallum* e coniect. Gronouii in *valli* mutandum. Forte ambo versus delendi. *Spuma* saepe feris iratis tribuitur. Sed Noster eam facit *feruidam*, et *rauco stridore* defluentem.

Et setae densis similes hastilibus horrent;
[Stantque velut vallum, velut alta hastilia, setae.]
Feruida cum rauco latos stridore per armos
Spuma fluit; dentes aequantur dentibus Indis.
Fulmen ab ore venit; frondes adflatibus ardent.
Is modo crescentes segetes proculcat in herba:

285. 6. Alterutrum vs. delendum esse, apparet. Priorem improbat Heins. posteriorem Burm. (Cum Heinsio faciunt Gronou. l. c. Naugerius, Capoferr. et H. Vossius. Burmanno accedit Schrader. Emendatt. c. X. p. 189. Vtrumque versum defendit Withof, in Annot. ad Laudat. Fun. Pagenstecheri p. 57 — 59 (vid. eiusdem kritische Anmerk. z. Horaz etc. Fasc. III, p. 86, 87.) et cor. *Stantque velut vallum, velut edita in histrice tela.* Si codices sequaris, eiiciendus est vs. 286, quem multi libri omittunt; quamquam etiam vs. 285 in nonnullis desideratur. E.) Gronou. Obs. III, 18. coni. *vallus* vel *valli.* 289. Heins. coni. *arent*; (quam correct. probat Wakef. ad Lucret. IV, 139. T. II, p. 230.) 290. Olim, *crescentes.* Heins. de suo *crescenti*; posse tamen etiam legi, *crescentes segetem p. in herbas;*, nam *herbas* esse in nonnullis. (Reposui codd. lectionem *crescentes.* Etenim *crescentes segetes* oppositae sunt *maturis votis*, et *in herba* verb. *in spicis.* E.)

Satis terribiliter. *aequantur*, non candore (quamquam Homer. *candidos* eius dentes memorat), sed magnitudine; non enim laudare vult ferum, sed horribilem describere. Infra vs. 429, *magnis insignia dentibus ora. Indus*, Indicus, vt *Maurus*, Mauricus etc. [v. Heins. ad Fast. V, 580. Burm. Sec. ad Propert. III, 5, 55 p. 518 et notata ad VII, 394 et XII, 172.] De *fulmine* apri v. ad I, 305. *fulmineum os* est II Fast. 232. Nunc possis flammam e pectore spirantem intelligere e vs. 356. Ea *ardebant frondes.* Ante oculos nostrum loc. Apulei. Met. 8 in descriptione apri habuisse videtur.

290 Homer. non nisi arbores altas cum radicibus et floribus excisas, hominesque multos trucidatos breuiter memorat. Cf. Apollod. vbi τὴν γῆν ἄσπορον ἐπί-θει etc. *Crescenti in herba*, teneram segetem. Sic *tenera in herba* Virg. G. I, 112; et *primis in herbis* V, 482. *Matura metit*, quod verb. cum delectu positum et bene conuenit alteri *intercipit. Metere* autem etiam pro amputare ponitur. V, 104. Male Burm. *premit* praefert. Ei enim verbo, cum amputare significat, *falce* addi solet, neque de messoribus vsurpatur, sed de vinitoribus et hortulanis. *Vt coloni*, vt I, 272. Non bene Heins. praeferebat, *Non* vel *nec matura*, eam quidem ob caussam, quod leue fuerit damnum, si matura. Rectius multo Burm. „*Nunc matura* retinui, quia maior et praesentior dolor, si iam matura, quae tempestates et calamitates euasisse videntur, frumenta vastet et metat aper, et ita longi labor irritus anni pereat. Praeterea bis idem diceret; nam vs. praeced. agit de crescentibus et adhuc immaturis, nunc de segetibus maturis, et iam spicas plenas ostendentibus, vt fere *Cererem* i. panem ferant. Nam hoc volunt illa, *Et Cererem in spicis intercipit. Intercipit* eleganter; quae scil. debebantur areae, et horreo et pistori, qui in fari-

Nunc matura metit fleturi vota coloni;
Et Cererem in spicis intercipit. Area frustra,
Et frustra exspectant promissas horrea messes.
Sternuntur grauidi longo cum palmite foetus,
Baccaque cum ramis semper frondentis oliuae.
Saeuit et in pecudes; non has pastorue canesue,
Non armenta truces possunt defendere tauri.
Diffugiunt populi, nec se, nisi moenibus vrbis
Esse putant tutos; donec Meleagros, et vna
Lecta manus iuuenum coïere cupidine laudis.

291. Leidens. *matura premit*, quod Burm. minime ab indocto librario profectum esse credit, sed *metit* glossam esse, qua reconditae significationis verb. aliquis explicuerit. *Premere* enim in re rustica verb. pr. pro amputare, abscindere. G. *Non matura* quinque codd. *Nec* Arondel. vnus Vossian. et pro var. lect. Francof. quod defendit Wakef. ad Lucret. II, 467. T. I, p. 279. vt sensus sit: *Et metit vota non matura.* Vulgo *Nunc.* 298. *Nec se nisi moenibus* primum Ciofanus ex vno suo, vno Maffei et Caelest. reposuit. Sic etiam in multis Heins. codd. Antea edeb. *Nec sese in moenibus.* Oxon. et quinque alii, *Nec sese moenibus.* Neapol. *Nec magnis moenibus*, vnde Heins. cor. *magnae moenibus vrbis.* Basil. *Nec se sub moenibus.* 300. *coiere* ex plurimis, optimisque codd. probauit Ciofan. et recepit Heins. Vulgo *caluere.*

nam redigeret, sua sibi vindicat.„ [*Nunc* verum esse, docet etiam antecedens *modo*, cui *nunc* respondet. E.] *Intercipere* verb. elegans, ante capere, quam ad dominum, locum, vsum destinatum veniat. Terent. Eun. I, 1, 35, *Nam quod nos capere oportet, haec intercipit.* Hic quoque modum seruare nesciit; itaque subiecit illa, *area* etc., quamquam suaui metaphora areae *exspectatio* et agris *promissio* tribuitur. In tanta calamitate non curat lector scire, qui sensus horreorum fuerint. Plin. pan. 81, hanc ipsam forte venationem respiciens, *submotam campis irruptionem ferarum et obsidione liberatum agrestium laborem* memorat.

294 *Sternuntur* succulentae vuae cum vitibus. *pecudes*, greges; nam opp. *armentis.*

300 *Lecta manus.* Callim. ἐπίλεκτοι ἀγρευτῆρες. Apollod. τοὺς ἀρίστους ἐκ τῆς Ἑλλάδος πάντας. Homer. vs. 539, Μελέαγρος, Πολλέων ἐκ πολίων θηρήτορας ἄνδρας ἀγείρας καὶ κύνας. Cf. Callim. vs. 218. Plerique fere omnes interfuerant nauigationi Colchicae; nam tempore posterior fuit haec venatio, vt intel. e Pausan. Arcad. p. 606. Antiquissimis illis temporibus, quibus fortitudo vna esset virtus, qua excellere laudi duceretur, tali occasione confluere vndique solebant, qui fortitudinis gloriam appeterent. Nomina horum *lectorum iuuenum* habent etiam Hygin. fab. 173, et Apollod. quamquam hic plura omittit, ille alia nonnulla substituit. Principes eorum spectabantur depicti in tabula apud Tegeatas. Pausan. Arcad. p. 693. Apud Euripidem nuntius inducebatur describens, quo quisque habitu ex istis ducibus fuerit. Macrob. Saturn.

Tyndaridae gemini, spectatus caestibus alter,
Alter equo; primaeque ratis molitor Iäson,
Et cum Pirithoo, felix concordia, Theseus,
Et duo Thestiadae, prolesque Aphareïa Lynceus,
Et velox Idas, et iam non femina Caeneus,
Leucippusque ferox, iaculoque insignis Acastus,
Hippothoosque, Dryasque, et cretus Amyntore Phoenix,
Actoridaeque pares, et missus ab Elide Phyleus.
Nec Telamon aberat, magniue creator Achillis.
Cumque Pheretiade, et Hyanteo Iolao
Impiger Eurytion, et cursu inuictus Echion,

305. vs. 304 et 305 Const. Fanens, ex antiquo cod. post vs. 306 collocat. Sic in codd. Berol. et Heid. vs. 305 legitur post vs. 306. Pro *Leucippusque* in cod. Menard. aliisque *Plexippusque*, qui tamen erat *Thestiades* Bothius autem cor. *Leucippusque fero* i. e. leone s. pelle leonina insignis; quoniam *ferox* vs. 312 repetitur. v. ad I, 93 et 711 et ad IV, 768. Adde Burm. Sec. ad Propert. I, 7, 23, p. 79. 308. Cod. Berol. *et Phyleus Elide missus.* In Heidelb. hic vs. sequenti postponitur. 309. *magniue* est correct. Heinsii. Codd. *magnique.* E.

V, 18, vbi versus quosdam ex illa scena seruauit.

301 *spect. caest. alter*, Pollux πὺξ ἀγαθὸς, *Alter equo*, Castor ἱππόδαμος. Homer. Il. γ, 237. [Conf. Theocrit. XXII. Ciofan. ad h. l. Neap. ad Fast. V, 699.] De *prima* Iasonis *rate* v. ad VI. fin. *molitor*, suasor et auctor.

303 *Thesei* cum *Pirithoo*, Ixionis filio; Larissaeo, amicitia celebrata a multis. Horat. IV od. 7, 25. Nost. Trist. I, 8. Hygin. fab. 79. et infra XII, 229. *concordia.* Virtutes pro ipsis hominibus poni solent. XII, 178, Nestor *prudentia.* [Sic *cura* Heroidd. I, 104. *custodia* Met. XII, 148. cf. Heins. ad Vellei. Pat. II, 99. Nolten. Lexic. Antibarb. p. 618 et 1046.] *duo Thestiadae,* Plexippus et Toxeus, Thesti filii, Althaeae fratres. A Pausan. p. 693 vrr. Prothous et Cometes. A Lactant. in argum. additur tertius Agenor. Aliter rursus Apollod. et Hygin. fab. 173, vbi v. Munker. *Lynceus* et *Idas*, Messenii, Apharei filii. Pausan. Messen. p. 283 s. Apollon. Rh. I, 151, vbi ὑπέρβιος Ἴδας. *Caeneus*, Elati filius, Magnesius; quem ab initio feminam fuisse nonnulli dicebant, sed a Neptuno impetrauerat, vt et vir esset, et nullo ictu vulnerari posset. Hygin. fab. 14. [*Phoenix* Amyntoris filius, postea a patre, cum rem cum pellice illius habuisset, vel imprecatus, vel obcoecatus, ad Peleum fugit, et a Chirone sanatus Achillis educandi instituendique curam suscepit. v. Regius ad h. l. et Salvagn. ad Ibid. 261.]

308 *Actoridae*, Eurytus et Cteatus, Actoris filii, Phthii. *Pheretiades*, Admetus, Pheretis filius, Pheris oriundus. *Iolaus*, notus Herculis socius. *Hyanteus*, Boeotius.

Naryciusque Lelex, Panopeusque, Hyleusque, feroxque
Hippasus, et primis etiamnum Nestor in annis,
Et quos Hippocoon antiquis misit Amyclis;
Penelopesque socer, cum Parrhasio Ancaeo,
Ampycidesque sagax, et adhuc a coniuge tutus
Oeclides, nemorisque decus Tegeaea Lycei.

313. *armis* e Mss. dedit Heins. pro *annis*. G. *armis* legitur in prim. Vatic. Cantabr. prim. Basil. et vtroque Hamburg. Sed reliquorum *annis* recte defendit Withof. krit. Anmerk. z. Horaz etc. Fasc. IV, p. 90, idque multo melius Nestoris iuuentutem designat. Sic etiam XII, 183 et XIII, 596 *annis* praeferendum est. 317. Perperam Bothius cor. *nemorique Lyceo*, vt duo genitiui euitentur. Post hunc versum autem in nonnullis codd. et edd. adduntur haec: *Venit Atalanta* (vel *Atalante*, vel *Atalantis*) *Schoenei* (vel *Caenei*) *pulcherrima virgo.* Cuius quidem versus, quem ex optimorum lib. auctoritate recte damnauerant Nauger. Micyll. Ciofan. et Capoferreus, et omiserant editores, patrocinium suscepit Bothius, corrigens: *Iasii, Atalanta, venit pulcherrima virgo.* Aliam correct. adfert Micyllus: *Venatrix Atalanta, Iasi pulcherrima virgo.* De hiatu, qui ex Bothii correct. infertur, adfert ille ipse vs. 309 et 314 et G. J. Voss. Prosod. lat. p. 145. vide ad IV, 336. E.

312 *Naryx*, vrbs Locrorum, qui a Lelege Leleges olim appellati. Plin. IV, 7. — *primis in armis.* Vid. ad XII, 183. *Amyclae*, vrbs antiqua Laconiae. *Hippocoon* miserat filios suos, Eraesimum, Alconem et Dexippum.

315 *Penelopes socer*, Laërtes, Vlyssis pater. *Ancaeus*, Lycurgi filius, *Parrhasius*, Arcas. *Ampycides*, Mopsus, Ampyci filius, augur et vates. XII, 455. *Oeclides*, Amphiaraus, Oeclei filius, vaticinandi et ipse peritissimus, quem Eriphyla vxor prodidit Adrasto, bellum Thebanis moventi. Hygin. fab. 128. Cf. Eurip. Phoen. 175 sqq. *sagax.* V, 146.

317 Atalanta intel. a *Tegaea*, oppido Arcadiae, *Tegeaea* dicta, sed infra vs. 426, [et A. A. II, 185,] *Nonacrina*, et Heroidd. IV, 99, *Maenalia.* Iuuenes, ne nudum nominum catalogum apponeret, notauit quidem et ipsos, sed breuiter. Atalantam vero, vt nobilem in mythis, et felicem iactu, et spolia deportantem merito copiosius descripsit. Duas autem huius nominis virgines antiquitas habuit, Arcadicam hanc, Boeoticam alteram, quae fere confunduntur a scriptoribus antiquis, vt iam monuit Apollod. III, 9. 2. [Vide Micyll. ad h. l. Barth. ad Stat. Theb. VI, 563. Perizon. et Kuhn. ad Aelian. XIII, 1, init.] Arcadica fuit Iasi, Iasionis aut Iasonis filia, Boeotica Schoenei. Fata huius Atalantae, Iasi filiae, formam, antrum, studium venandi etc. copiose describit Aelian. V. H. XIII, 1. [v. Burm. Sec. ad Propert. I, 1, 9 et 15 p. 10 et 13.] In Marmore quodam apud Sponium in Miscel. p. 312, comparet inter reliquos huius apri venatores, et quidem eo habitu, quo eam describit aprum cum Meleagro venantem Philostrat. Icon. p. 868, vnde eam exprimendam curauit Spanhem. ad Callim. h. Dian. vs. 216. *nemo*-

Rasilis huic summam mordebat fibula vestem;
Crinis erat simplex, nodum collectus in vnum:
Ex humero pendens resonabat eburnea laeuo
Telorum custos; arcum quoque laeua tenebat.
Talis erat cultus; facies, quam dicere vere
Virgineam in puero, puerilem in virgine possis.
Hanc pariter vidit, pariter Calydonius heros
Optauit, renuente Deo, flammasque latentes
Hausit: et, O felix, si quem dignabitur, inquit,
Ista virum! nec plura sinunt tempusque, pudorque
Dicere: maius opus magni certaminis vrguet.

318. *summam.* Vrbin. Neap. sec. Medic. *primam*, quod arrideret Heins. nisi praecessisset (vs. 313.) *primis.* Sed haec respuendi lectionem caussa nulla est. G. 322. *cultús* ex Thuan. et aliis nonnullis codd. edidit Heinsius. Sed ita *facies* nimis abrupte positum est. Vera est Berol. Heidelb. et reliquorum libb. lectio: *Talis erat cultu facies* etc. *cultu* i. ex cultu, propter cultum. v. Dauis. ad Caesar. B. G. VII, 34. Burm. Sec. ad Propert. III, 4, 6. p. 523. 334. *qua* Berol. et quindecim Heins. codd. Reliqui *quo.* Multi etiam *dimittere.* E.

tis decus, quia et forma erat insignis, et venatrix praestantissima. *Rasilia* opera, quae in laminas diducta et laeuigata sunt, id quod faciebant *rasores*, de quibus v. Salmas. Exercit. Plin. p. 736. [Adde Burm. ad h. l. et ad A. A. I, 437.] *Fibula mordebat* vestem, eleganter, collectam continebat. Aculeus enim fibulae est quasi dens. Fibulis vestis vel in humeris, vel circa pectus constringebatur. Illae dicebantur *περόναι*, hae, *πόρπαι.* Aelian. d. l. ei tribuit *ςολὴν ἀπράγμονα καὶ τοιαύτην, οἵαν μὴ ἀποδεῖν τῆς Ἀρτέμιδος.* *Summam vestem* Lenzius intel. altius, more venantium, subtractam, quam fibulam tenuerit. *Crinis simplex*, cultus capillorum simplex. Ope fasciae colligebantur in *nodum* atque *nodari* dicebantur. Auctore Apollod. *θηρεύουσα ἐν ἐρημίᾳ καθωπλισμένη διετέλει.* Hinc *ex humero* etc. *Custodes* rerum drr. vasa, quae illas continent. XIII, 703, acerra *custos turis.*

322 Facies media erat inter puerilem et virgineam, qualis decebat virginem venatricem. cf. IX, 712. Aelian. ei tribuit insignem pulchritudinem et fulgorem oculorum, qui perstringeret intuentes, et perturbaret ignauos homines.

324 Praeclare notat herois mores, cui gloria e monstro interfecto potior esse debebat. Neque plane omittendus erat hic amor, propter ea, quae inde a vs. 426 sequuntur. Simul haec valent ad commendandam Atalantae vel pulchritudinem vel dignitatem. *Opus certaminis* fere dictum, vt *certamen pugnae* XII, 180.

329 — 37. Locus, vbi aper commorabatur, et vnde primus impetus. *quam nulla cec. aetas* alibi sanctitatem nemoris indicat, h. l. densitatem. Post *incipit a plano* sequi debebat, surgit in monte aut cliuo moliter adscendente, sed exquisite pro eo, *deuexa prospicit arua.* *Deuexa*, loca supina, paullatim descen-

Silua frequens trabibus, quam nulla ceciderat aetas,
Incipit a plano, deuexaque prospicit arua.
Quo postquam venere viri, pars retia tendunt;
Vincula pars adimunt canibus; pars pressa sequuntur
Signa pedum, cupiuntque suum reperire periclum.
Concaua vallis erat, qua se demittere riui
Adsuerant pluuialis aquae: tenet ima lacunae
Lenta salix, vluaeque leues, iuncique palustres,
Viminaque, et longa paruae sub arundine cannae.
Hinc aper excitus medios violentus in hostes
Fertur, vt excussis elisi nubibus ignes.
Sternitur incursu nemus, et propulsa fragorem
Silua dat. Exclamant iuuenes, praetentaque forti
Tela tenent dextra, lato vibrantia ferro.

336. Heins. ad XIV, 103 legit, *iuncique leues, vluaeque palustres.* 339. Olim *excussis elisus n. ignis*, quod praefert Schirach. quia *aper excitus* non bene comparetur cum pluribus ignibus. Alterum sumsit Heins. e vetustioribus.

dentia ad planum. *Prospiciunt* loca, vnde prospectus in inferiora.

332 *Vincula*, funiculi, quibus ducebantur canes ad venationem. *adimunt* verb. in hac re proprium. Cf. VII, 769. *pressa*, impressa. XI, 31, *presso vomere.*

334 Tam diligenter singula describit, vt ipse interesse huic venationi tibi videaris. *Concaua*, vndique cincta montibus. *ima*, margo. *Cannae* breuiores sunt *arundine*. Colum IV, 32, *gracilis et cannae similis arundo.*

338 Venatio ipsa, in qua maxima varietas in describendis iactibus singulis venantium, atque motibus apri obseruata; in qua phantasiam poëtae admirari licet, quamquam non ipse omnes illos iactus finxisse videtur; nonnullos enim et Apollodor. commemorat. Notandum etiam est, venantes veluti in acie constitisse (vs. 360) atque singulos ordine tela misisse, qui ordo interrumpitur, vbi inuidia Atalantae reliquos tangit vs. 389. *Fertur*, vt fulgor. Sed hoc docte et ex opinione veterum physicorum expressit, de qua ad XI, 436. *elisi ignes*, fulgor. Miror, pluralem displicuisse Schirach., qui putat, aprum non bene cum pluribus ignibus comparari. At nulla fere in poëtarum carminibus pagina est, in qua non pluralis positus sit pro singulari. *excussae*, concussae, concurrentes cum ventis. VI, 696, *exsiliunt cauis elisi nubibus ignes.* *incursus*, impetus feri. Virg. Aen. VII, 676, *dat euntibus ingens Silua locum, et magno cedunt virgulta fragore.* Cf. infra XI, 365. *Praetendi* drr. venabula, cum iis excipitur irruens fera. *praetenta tenent*, praetendunt. *vibrantia ferro* exquisitius, quam, habentia ferrum, quia venabula, dum mouentur, *vibrare* drr.

Ille ruit, spargitque canes, vt quisque ruenti
Obstat, et obliquo latrantes dissipat ictu.
Cuspis Echionio primum contorta lacerto
Vana fuit, truncoque dedit leue vulnus acerno.
Proxima, si nimiis mittentis viribus vsa
Non foret, in tergo visa est haesura petito:
Longius it: auctor teli Pagasaeus Iason.
Phoebe, ait Ampycides, Si te coluique, coloque;
Da mihi, quod petitur, certo contingere telo.
Quâ potuit precibus Deus adnuit. Ictus ab illo,
Sed sine vulnere, aper; ferrum Diana volanti
Abstulerat iaculo: lignum sine acumine venit.
Ira feri mota est; nec fulmine lenius arsit:
Lux micat et oculis, spiratque e pectore flamma.

343. *ruenti* pro *furenti* ex Bonon. dedit Heins., vt sit concinna repetitio. Eidem mox ex Gronouiano placet, *occupat ictu.* (349. *auctor telo* Vrbin. *actor* exhibent Berol. aliique. Multi, *jactor*, *ductor*, *lator.* Plures, *telique auctor*, quod est librariorum, de verbo *it* metuentium. v. Heins.) 350. *Ampycides.* Palat. Cantabr. Oxon. Arundel. aliique plurimi, *Oeclides*, aeque bene; nam etiam Amphiaraus sacerdos Phoebi. 355. *lenius.* Heins. scribendum censet *secius*, vt II, 809. 356. Olim, *Emicat ex oculis, spirat quoque p. Flammas.* Sed octo, *Lux micat*, quinque *spiratque e p.* et Florent. S. Marci *flamma.* Inde Heins. lect. suam composuit, qui tamen non negat, posse et *flammas* seruari. G. Heinsium sequitur Bothius. Schepperus autem ap. Tan. Fabr. lib. II, Ep. 71 cor. *Fax micat.* Capoferreus vero, quem sequitur Schrader. Emendatt. c. XI, p. 210, versum spurium iudicat, cum non satis grauis sit post verba, *nec fulmine lenius arsit*, et *Emicat ex oculis* sensu destituantur. Tuentur tamen eum codd. omnes, et legendum esse videtur: *nec fulmine lenius arsit; Et micat ex oculis spiratque e pectore flammas.* Pertinet enim *flammas* non solum ad *spirat* sed etiam ad *micat.* Sensus: Flammae cum ex

344 *obliquo ictu*, apri enim in obliquum solent ferire.

349 *auctor teli*, qui mittit telum, vt Virg. IX, 420. [v. Heins.] *Ampycides* s. Mopsus, Phoebum inuocat, quia Phoebi sacerdos et vates erat. Eurip. apud Hermog. p. 564, ὦ Ζεῦ, γένοιτο καταβαλεῖν τὴν σὺν ἐμέ. Et passim occurrunt tales preces inter pugnandum, vt Aen. XI, 785. *Si te colui* sollemne in sacerdotum precibus. Homer. Il. α, 39 s. In his *colere* est, sacra adolere. *Da mihi.* Vid. ad I, 486. *certum*, quod ferit scopum. *Qua*, quatenus, quantum. *ferrum Diana* etc. quemadmodum ap. Homer. et Virg. saepe Deus aliquis detorquet hastam missam. [Quae autem de primâ syllabâ in *Diana* apud Statium aliosque saepe productâ Heinsius disputat; ea nescio, an ad nostrum loc. pertineant. Certe Ouidius vbique primam hui. voc. syllabam corripit, et hoc quoque in loco multi codd. tuentur *ferrumque Diana.*]

Vtque volat moles, adducto concita neruo,
Cum petit aut muros, aut plenas milite turres;
In iuuenes vasto sic impete vulnificus sus
Fertur, et Eupalamon, Pelagonaque, dextra tuentes
Cornua, posternit. Socii rapuere iacentes.
At non letiferos effugit Enaesimus ictus,
Hippocoonte satus. Trepidantem, et terga parantem
Vertere, succiso liquerunt poplite nerui.
Forsitan et Pylius citra Troiana perisset
Tempora: sed sumto posita conamine ab hasta,
Arboris insiluit, quae stabat proxima, ramis;
Despexitque, loco tutus, quem fugerat, hostem.
Dentibus ille ferox in querno stipite tritis

oculis tum e pectore erumpunt. *micare flammas* eodem modo dictum, quo alibi *micare ignem.* v. Burm. Sec. ad Auth. Lat. T. I p. 10, et notata ad Metam. VI, 312. Forsitan etiam *Emicat* seruari potest, vt dixerit poëta, *Emicat flammas.* Et sic quidem haud dissentiam, si quis praeferat vulgatam: *Emicat ex oculis, spirat quoque pectore flammas;* vt *quoque* post *spirat* additum sit, quoniam *spirare flammas e pectore* grauius est, quam *emicare eas ex oculis;* quamuis *quoque* ad *pectore* pertineat. v. ad XI, 700. E. 359. *vasto* pro *certo* ex Leidensi vno et Sixiano recepit Burm., quia *certo* praecessit modo. 364. Sixii et Gronouianus tert. *succiduo,* quod olim Heins. probauerat. (366. Pro *tempora* cod. Iunian. *moenia.*)

357 *moles,* lapides molares eiecti e ballistis, quae non minus, quam arcus, *neruum* habebant, qui *adducebatur.* Aen. XI, 616, Aconteus ruit in morem *tormento ponderis acti. impete* antique pro, *impetu,* vt III, 79, vbi etiam *vasto* additur. In *vulnificus sus* Schirach. obseruat esse pingentem numerum. Compares ex Horat. *ridiculus mus.* Similia Virg. in Georgicis habet. *Eupalamos* et *Pelagon* supra in catalogo non nominati, nec aliunde noti. *nerui,* qui in *poplite* sunt plurimi, vnde *neruosus poples* VI, 256. Pro *succiso* Silius IV, 343, *caeso poplite.* Sed *succiduus* poples est eorum, quibus animus linquitur. Vid. Burm. *liquerunt,* defecerunt.

365 *Pylius,* Nestor. *Citra,* ante, *Troiana tempora,* Troiae excidium, 'vt recte interpr. Regius. *Tempora* enim passim,' etiam apud Cic. de calamitoso statu hominis aut ciuitatis. v. Ernest. Clau. Cic. h. v. [et Burm. ad h. l.] *sumere conamen,* vim addere salienti corpori. *posita ab hasta,* hasta telluri impressa. Cf. II, 786. IV, 712. *fugerat,* effugerat.

369 *tritis.* Laudat Burm. Senec. I. de Orat. 1, *dentes acuuntur attritu.* Idem nescit, annon iure poëtae luxurianti obiici possit, hoc longioris morae fuisse, neque vacasse apro, tot circumstantibus venatoribus, in arbore acuere dentes. In quo nimis seuerus est vir doctus. Quidni vacauerit apro dentes a-

Imminet exitio, frendensque recentibus armis
Actoridae magni rostro femur hausit adunco.
At gemini, nondum coelestia sidera, fratres,
Ambo conspicui, niue candidioribus ambo
Vectabantur equis, ambo vibrata per auras
Hastarum tremulo quatiebant spicula motu.
Vulnera fecissent; nisi setiger inter opacas
Nec iaculis isset nec equo loca peruia siluas.
Persequitur Telamon, studioque incautus eundi,
Pronus ab arborea cecidit radice retentus.
Dum leuat hunc Peleus, celerem Tegeaea sagittam
Imposuit neruo, sinuatoque expulit arcu.
Fixa sub aure feri summum destringit arundo
Corpus, et exiguo rubefecit sanguine setas.
Nec tamen illa sui successu laetior ictus,
Quam Meleagros erat. Primus vidisse putatur,
Et primus sociis visum ostendisse cruorem,

370. *frendensque* ex vno Heins. dedit Burm. Caeteri *fidensque*. (372. *coelestia corpora* Neapol. Vrbin. et secund. Medic. Perperam. *nondum coelestia corpora* essent Tyndaridae, nondum dii facti; sed de iis inter sidera relatis agitur. E.) 375. Vnus Medic. et prior Twisden. *quatientes*, quod placet Heins. (382. Plurimi codd. *distrinxit*. Septem, *distringit*. Sed *destringit* Heins. e melioribus praetulit. 386. *primum soc. v. monstrasse* cod. Heidelb. ex glossa.)

nuere, cum venatores longius remoti essent, et plurimorum tela aberrarent? *recentia arma*, dentes, quos acuerat. *femur hausit*: v. ad V, 126. *Actoridae* vel Euryti vel Cteati, vs. 308. Recepi hanc lectionem, quam [cod. Berol. et] quatuor Mss. suppeditant, quia reliquae *Orithyae* aut *Orithiae*, *Orichiae*, *Orchiadae*, *Othriadae* etc. explicari nequeunt.

372 Tyndaridae prae caeteris memorabiles, quippe qui postea inter sidera sint relati. In iis describendis pondere numeroque verborum vtitur. Hinc *hastarum spicula*, pro hastis, *vibrata quatiebant tremulo motu* pro vna vibrabant, verb. sonantius *vectabantur* et repetitio τοῦ *ambo*, in qua tamen eximiam venustatem cum Burm. reperire nequeo. *Candidi equi* Tyndaridis dari solebant, vnde a Pindar. P. I, 127, λευκόπωλοι vtr. [v. Heins.] Horum quoque iactus inanis excusationem merebatur.

380 *Peleus* secundum Apollod. inuitus Eurytiona interficit, *Atalanta* vero prima aprum ἐπ' τὰ νῶτα ἐτόξευσε· δεύτερος δὲ Ἀμφιάραος εἰς τὸν ὀφθαλμόν.

385 Conuenienter amori, quem ardebat Meleager. *honorem*, praemium. [Sic τιμή. v. Burm. Sec. ad Anth. Lat. T. I p. 224.] τὸ ἀριστεῖον promiserat Oeneus. Apollod.

Et, Meritum, dixisse, feres virtutis honorem.
Erubuere viri, seque exhortantur, et addunt
Cum clamore animos, iaciuntque sine ordine tela.
Turba nocet iactis, et, quos petit, impedit ictus.
Ecce furens contra sua fata bipennifer Arcas,
Discite, femineis quid tela virilia praestent,
O iuuenes, operique meo concedite, dixit.
Ipsa suis licet hunc Latonia protegat armis;
Hunc tamen inuitâ perimet mea dextra Dianâ.
Talia magniloquo tumidus memorauerat ore;
Ancipitemque manu tollens vtraque securim,
Institerat digitis, primos suspensus in artus:
Occupat audacem, quaque est via proxima leto,
Summa ferus geminos direxit in inguina dentes.
Concidit Ancaeus: glomerataque sanguine multo

392. *quid* non satis latinum iudicat Heins., qui mauult cum tribus Mss. *quam*, i. quantum. Sed v. Burm. (395. *Inuita tamen hunc* Berol. et Heidelb., quod praefert Bothius, quia sic oratio fortior sit, et ὁμοιοτέλευτον evitetur.) 398, Heins. olim volebat, *inst. primis digitis*, *susp. in artus*, improbante Burm.

391 Eurip. ex emend. Schraderi, πελέκεως δὲ δίστομον Γένυν γ' ἔπαλλ' Ἀγκαῖος. Etiam in monumento Tegeat. expressus erat cum *bipenni* demissa iam saucius. [De Ancaeo *bipennifero* vid. Gronou. Obss. IV, 12 p. 197 ed Dauentr.] Eum ab apro percussum esse, Pherecydes quoque narrauerat. Schol. Apollon. I, 188. Apollod. addit Hyleum. H. l. proponitur vt impietatis et arrogantiae ridiculum exemplum, ad quod spectandum lector iam in principio voce *Ecce* aduertitur. *Furit contra sua fata*, qui temeritate sua ante diem mortem oppetit. *Concedite* pro simplici cedite, *quid*, quantum.

397 *Securis* et *bipennis* promiscue ponuntur a poëtis, cum pr. huius vsus esset in bellis, illius in victimis. V. Drakenb. ad Sil. XV, 264. Burm. monet, *primos artus* esse primas iuncturas digitorum in pedibus; hoc enim nomine significari ea, quibus membra committantur. Verum iuncturis illis solis non insistimus. Omnino extremae digitorum partes intelliguntur. Qui ita stat, *suspensus* dr. Aliter Aen. IX, 749, *sublatum alte consurgit in ensem*. Burm. ad A. A. I, 608 discrimen obseruat, quod est inter *audacem* et *audentem*. *Audax* est temerarius, qualis fuit Ancaeus, vs. 407; sed *audens*, fortis, animosus, constans, qui intrepido animo omnia adgreditur. Male igitur h. l. vulg. *audentem*. [*Audacem* ex primo Gronou. Heidelb. Arondel. et tribus aliis recte reposuit Heinsius.] *Occupat*, prior inuadit. *qua via prox. l.* Aen. XII, 507, *qua fata celerrima*, nempe quia anterior abdominis pars ossibus defenditur nullis. Etiam Pausan. p. 606 de Ancaeo, ἀπέθανεν ὑπὸ τοῦ ὑός. Femur eius

Viscera lapsa fluunt, madefactaque terra cruore est.
Ibat in aduersum, proles Ixionis, hostem
Pirithous, valida quatiens venabula dextra.
Cui, Procul, Aegides, o me mihi carior, inquit,
Pars animae consiste meae: licet eminus esse
Fortibus: Ancaeo nocuit temeraria virtus.
Dixit; et aerata torsit graue cuspide cornum;
Quo bene librato, votique potente futuro,
Obstitit esculea frondosus ab arbore ramus.
Misit et Aesonides iaculum, quod casus ab illo
Vertit in immeriti fatum latrantis, et, inter
Ilia coniectum, tellure per ilia fixum est.
At manus Oenidae variat; missisque duabus,

(402. Vnus Ciof. vn. Maff. et Dominic. *madefacta est terra cruore*, quod Ciofan. praefert. Vnus Vatic. vn. Ciof. Briant. alter Maff. Caelest. et Berol. *madefactaque sanguine terra est*, quam lect. ex διττογραφίᾳ ortam esse putat Bothius.) 408 *cornum* e Florent. S. Marci, primo Medic. Berneg. et alio dedit Heins. pro *cornu*. Sed Burm. dubitat, an neutro genere hoc sensu ponatur, itaque *graue* a glossatoris manu fluxisse putat, et legit, *aerata contorsit cuspide curnum*, et seq. vs. *qua bene librata — futura*. [Burmanni correctionem improbat Bothius, ipse corrigens: *aeratam torsit graue cuspide cornum*, *qua bene librata — futura*; vt *graue* dictum sit pro *graui*, vt alibi *coeleste* (Metam. XV, 742, Heroid. XVI, 277.) *mare* (A. A. III, 94, ibiq. Heins.) et sim.] 412. *latrantis*. Nonnulli *Geladantem*, sub quo Heins. latera nomen aut canis, aut alicuius hominis e plebe venatorum putat. G.

haustum esse dixerat Pherec. Verba *madefactaque* etc. melius abessent; hoc enim sponte intelligitur.

404 *Pirithous* in monum. Tegeat. postremus collocatus erat. *Procul* coniunge cum *consiste*. *Pars animae meae*, vox tenerrimi affectus. Horat. od. I, 3, 8 *animae dimidium meae*. [v. Ciofan. ad h. l.] *cornus* lignum telis conficiendis aptum, vnde pro iaculo et sagitta subinde ponitur. [v. Heins. et Burm.] De forma *cornum* v. Varr. lect. *voti potens*, qui assequitur quod cupit.

411 Recte Tan. Fabrum offendit hoc, quod hic iterum *Aesonides* s. Iason memoratur, cum idem iam vs. 349 telum misisse dicatur: nam caeteri omnes semel tantum misisse leguntur, quod et postulabat ordo, quo collocati erant. Sed quod nomen restituendum sit, sine Mss. ope vix constitui potest. *latrantis*, canis. [v. Heins.]

414 *Variat*, vario successu mittit duas hastas. [Malim tamen *variat* explicare, *vibrat manus hastas*, quamquam huius significationis aliud exemplum non habeo.] Duas autem mittit vt princeps sociorum, a quo caeteri conuocati, et in cuius agris collecti. *versat in orbem*. IV, 123. *aduersa*, quae quis sibi opposita petit. Ap. Apollod. vulnerat latera εἰς τὸν κενεῶνα, in ilia.

Hasta prior terra, medio stetit altera tergo.
Nec mora, dum saeuit, dum corpora versat in orbem,
Stridentemque nouo spumam cum sanguine fundit;
Vulneris auctor adest, hostemque irritat ad iram,
Splendidaque aduersos venabula condit in armos.
Gaudia testantur socii clamore secundo;
Victricemque petunt dextrae coniungere dextram:
Immanemque ferum, multa tellure iacentem,
Mirantes spectant, neque adhuc contingere tutum
Esse putant; sed tela tamen sua quisque cruentant.
Ipse pede imposito, caput exitiabile pressit:
Atque ita, Sume mei spolium, Nonacria, iuris,
Dixit, et in partem veniat mihi gloria tecum.
Protinus exuuias, rigidis horrentia setis
Terga, dat, et magnis insignia dentibus ora.
Illi laetitiae est cum munere muneris auctor:
Inuidere alii, totoque erat agmine murmur.
E quibus, ingenti tendentes brachia voce,

422. *ferum* ex Florent. S. Marci et Louan. praetulit Heins. ad h. l. et ad Heroidd. IX, 114. Reliqui libb. *feram*. 424. *cruentant* prim. Basil. et quinque alii; prob. Heinsio. Reliqui *cruentat*.

421 *coniungere*, vt coniungant. *tela cruentant*, telis pungunt, vel insultandi caussa, vel vt, si viuat adhuc, penitus interficiant. *Ipse* Meleager *pedem imponit*, more veterum heroum, qui caeso hosti dictis et factis insultare, eumque pede imposito premere solebant. Aen. X, 495. XII, 356.

426 *spolium*, pellis detracta, *mei iuris*, quae mihi debetur. Eiusmodi exuuias appetebant non minus, quam arma hostibus occisis detracta, isque fortitudinem suam ostentabant. Sic Hercules leonis Nemaei spolio vtebatur pro tegmine. Atque etiam nunc pugnauerant de apri κεφαλῇ καὶ δέρματι λαχνήεντι, Homer. vs. 544. *veniat*, elegantius, quam, contingat. v. ad II, 862. Attius in Meleagro, *Remanet gloria apud me, exuuias dignaui Atalantae dare.* Sed apud Nostrum multo est vrbanior, et partem tantum sibi gloriae expetit. Nec scio, an non praestet ex vno Ms. *tui iuris*, quod et Heins. placebat, vt apri interfecti gloriam illi cedat, quae prima feram vulnerauerat. Certe a Callim. Atalanta vr. *συοκτόνος*, apricida. — Illi *dentes* apud Tegeatas seruati ab Augusto Romam sunt delati. Pausan. Arcad. p. 694. Apud eosdem Tegeatas pellis huius apri prae senio iam putrescens Pausaniae adhuc aetate ostendebatur. p. 695. In nummis adeo hi dentes cum venabulo Meleagri repraesentati sunt. v. Spanhem. ad Callim. d. l.

432 *Thestiadae*, de quibus ad vs. 304. *tendere brachia* gestus

Pone age, nec titulos intercipe, femina, nostros,
Thestiadae clamant; nec te fiducia formae
Decipiat; longeque tuo sit captus amore
Auctor. Et huic adimunt munus, ius muneris illi.
Non tulit, et tumida frendens Mauortius ira,
Discite, raptores alieni, dixit, honoris,
Facta minis quantum distent: hausitque nefando
Pectora Plexippi, nil tale timentia, ferro.
Toxea, quid faciat, dubium, pariterque volentem
Vlcisci fratrem, fraternaque fata timentem,
Haud patitur dubitare diu; calidumque priori
Caede recalfecit consorti sanguine telum.
Dona Deûm templis, nato victore, ferebat,

435. Ita edidit Heins. ex vno Palat. et fragm. Moreti; nisi quod pro *tuo* etiam cor. *tui.* Sed quemnam sensum verbis, *longeque tuo sit captus amore Auctor*, inesse voluerit, equidem ignoro. Nisi fallor, vnice vera est lect. vulgata: *Nec te fiducia formae Decipiat, ne sit longe tibi captus amore Auctor*; in qua codd. conspirant nisi quod in multis *longo tibi* aut *tibi longo* ex aberratione librariorum legitur. E. 440. *timentia.* Vnus Medic. *trementia,* quod Heinsio arridebat, quia seq. *timentem.*

indignabunde imperantis. *Tituli* gloriosum praemium, aut signum facinoris egregii. De v. *intercipere* ad vs. 292. *nostros*, qui nobis debentur tum genere proxime attingentibus Meleagrum, tum sexu potioribus et *feminae* praeferendis. Priorem caussam Diodor. memorat, posteriorem Schol. Aristoph. ad Ranas vs. 1269. vtramque Apollod. ἀδοξοῦντες, εἰ παρόντων ἀνδρῶν γυνὴ τὰ ἀριστεῖα λήψεται, κατὰ γένος αὐτοῖς προσήκειν λέγοντες. *longe sit.* Vid. ad IV, 649. (Adde Heins. ad h. l. et Burm. Sec. ad Propert. I, 7, 17, p. 77.]

437 Ὀργισθεὶς δὲ Μελέαγρος τοὺς Θεστίου παῖδας ἀπέκτεινε. *Mauortius.* Martis eum fuisse filium Eurip. in Meleag. tradiderat, auctore Plutarch. Paral. p. 212. Cf. et Apollod. p. 33. *consors*, frater. XI, 347. XIII, 663. Nunc adiectiue, fraternus.

445 Sequitur loc. praestantissimus, qui fluctuantem Althaeae animum, et pugnam materni affectus cum sororio amore egregie describit; quam ob caussam etiam laudatur ab Homio in Element. Crit. To. I p. 189. Caeterum Meleagri mors dupliciter narratur, vt diserte Apollod. I, 8, 3 monet. Prior ratio, eaque antiquissima, auctorem habet Homer. d. l. Secundum eam Thestii filii, inuidia tacti, cum Curetibus bellum faciunt Aetolis, in quo Meleager, interfectis Thestiadis, cadit et ipse. Sed ex eodem auctore et Apollod. etiam constat, odium intercessisse Meleagro cum Althaea matre, atque hanc filio imprecatam esse mortem: id quod sine dubio originem dedit alteri rationi s. fabulae de stipite fatali, quam primus Phrynichus tragicus in fabula Pleuron tractauit, Pausan. Phoc. p. 874, quamque non

Cum videt exstinctos fratres, Althaea, referri.
Quae plangore dato, moestis vlulatibus vrbem
Implet, et auratas mutauit vestibus atris.
At simul est auctor necis editus; excidit omnis
Luctus, et a lacrimis in poenae versus amorem est.
Stipes erat, quem, cum partus enixa iaceret
Thestias, in flammam triplices posuere sorores;
Staminaque impresso fatalia pollice nentes,
Tempora, dixerunt, eadem lignoque tibique,
O modo nate, damus. Quo postquam carmine dicto
Excessere Deae; flagrantem mater ab igne
Eripuit torrem, sparsitque liquentibus vndis.
Ille diu fuerat penetralibus abditus imis;
Seruatusque tuos, iuuenis, seruauerat annos.
Protulit hunc genetrix, taedasque in fragmina poni
Imperat, et positis inimicos admouet ignes.
Tum conata quater flammis imponere ramum;

(447. *vlulatibus* ex primo Moreti et octo aliis dedit Heinsius. Reliqui codd. *clamoribus.*) 352. Duo Medic. et tres alii, *in flamma.* [Berol. et alii] vndecim, *in flammas.* (457. *torrem* exhibent Vatic. vnus Basil. vnus Leidens. Berol. et excerpta Iureti. Reliqui cum editt. vett. *ramum*, vt vs. 462, quamquam et ibi Vatic. et Louan. *torrem* tuentur.) 460. *in fragmina* i. taedas fractas dedit Heins. e tribus Mss.; coni. tamen *taedae fragmina.* Vulg. *taedasque et fragmina.*

mirum est Nostrum praetulisse, cum aptior multo esset ad commiserationem faciendam. Sic et Hygin. fab. 174. Nicander ap. Anton. Lib. cp. 2 vtramque rationem coniunxerat; Meleagrum enim tradiderat in pugna cum Curetibus, post taedam illam igni immissam, periisse.

Dona, donaria, vs. 266. *nato victore*, ob nati victoriam. *templis*, in templa Diis. IX, 790. Inter pium ergo officium et laetum non fando cognoscit caedem, sed *videt* exst. fratres. Melius forte erat, quod ante Burm. edebatur, *auratis — atras;* namque etsi proprie mutamus, quae abiicimus, cum iis, quae assumimus, tamen poëtae solent inuertere structuram communem. v. ad VII, 60. *auratas*, auro ornatas. v. ad VI, init. *Editus*, indicatus. II, 43. *Excidit*, scil. e mente. II, 602. IV, 176.

451 *iaceret*, decumberet. Puerpera describitur. Venerunt autem Parcae septimo post partum die, nunc quoque, vt semper, *nentes stamina* hominum. Ap. Apollod. stipes iacet in ara. Hygin. *In regia dicitur titio ardens apparuisse.*

455 *carmine*, vaticinio. Hygin. *Meleagro fata cecinerunt. Torris*, lignum praeustum. Graeci auctores δαλός. *Seruatus* ab incendio *seruauerat*, prorogauerat, annos. Idem verbum bis positum bene exprimit coniunctionem vitae et stipitis.

Coepta quater tenuit: pugnant materque sororque;
In diuersa trahunt vnum duo nomina pectus.
Saepe metu sceleris pallebant ora futuri:
Saepe suum feruens oculis dabat ira ruborem.
Et modo nescio quid similis crudele minanti
Vultus erat; modo quem misereri credere posses.
Cumque ferus lacrimas animi siccauerat ardor;
Inueniebantur lacrimae tamen. Vtque carina,
Quam ventus, ventoque rapit contrarius aestus,
Vim geminam sentit, paretque incerta duobus:
Thestias haud aliter dubiis adfectibus errat,
Inque vicem ponit, positamque resuscitat iram.
Incipit esse tamen melior germana parente;
Et, consanguineas vt sanguine leniat vmbras,
Impietate pia est. Nam postquam pestifer ignis
Conualuit; Rogus iste cremet mea viscera, dixit.
Vtque manu dira lignum fatale tenebat;
Ante sepulcrales infelix adstitit aras;

(464. *in diuersa* Heins. ex vno Moreti cod. praetulit. Caeteri omnes, *et diuersa.*) 478. Tres, *inualuit.* Plurimi, *concaluit.* (480. *Constitit* Iunian. Voss. et sex alii. Vnus, *institit.*)

463 *coepta tenere* alibi est persequi, non dimittere, (II, 101.) h. l. inhibere, non perficere. *mater sororque*, adfectus maternus et sororius, qui adfectus iam *nomina* vrr. et vs. 508. X, 346. *Sororem* adiuuit odium in filium conceptum contra *matrem*, adfectum illum naturalem, quo feruntur matres in liberos. *In diuersa*, nempe consilia. Pugna primum non nisi vultu se prodit. *suum*, irae proprium. Iratorum enim oculi solent ardere et prae ardore *rubescere.* Burm.

471 *Aestus*, fluctus commoti maris. III Trist. 2, 15, *ventis dubius iactabar et vndis.* Sic *dubia nauis* A. A. II, 514. Sed h. l. *dubii adfectus* sunt contrarii, inter quos ipsa dubia fluctuabat. Etiam *errare* a nauigatione petitum, vbi nauis *errat*, quae huc illuc agitatur.

476 *Impietate pia est.* Hoc oxymoro delectatur Noster. III, 5. VII, 339. *Sanguine* noxiorum parentari interfectorum vmbris credebatur. Si autem verbis *consanguineas* et *sanguine* ludere voluit, ineptiit. *Conualescere* dr. ignis, cum alimentorum sat accipit. *Rogus* grauiter et commode vr. illa lignorum strues, quae cum stipite etiam filium perditura et quasi crematura erat. *viscera mea*, filium meum. V. ad V, 13. *Cremet mea visc.* vox summae irae, quae ne cogitatione quidem furoris, quo in sua ipsius viscera saeuiebat, coërceri potuit.

480 Inferias quasi parat fratribus. Eum in finem alias *arae* solebant strui in *sepulcris*, in iisque sacra fieri, Manibus excitatis vel liquoribus vel victimis. Grauiter igitur haec ligna *sepul-*

Poenarumque Deae triplices, furialibus, inquit,
Eumenides, sacris vultus aduertite vestros.
Vlciscor, facioque nefas; mors morte pianda est;
In scelus addendum scelus est, in funera funus:
Per coaceruatos pereat domus impia luctus.
An felix Oeneus nato victore fruetur,
Thestius orbus erit? melius lugebitis ambo.
Vos modo fraterni manes, animaeque recentes,
Officium sentite meum; magnoque paratas
Accipite inferias, vteri mala pignora nostri.
Hei mihi! quo rapior? fratres ignoscite matri.
Deficiunt ad coepta manus. Meruisse fatemur
Illum, cur pereat: mortis mihi displicet auctor.
Ergo impune feret; viuusque, et victor, et ipso
Successu tumidus regnum Calydonis habebit?
Vos, cinis exiguus, gelidaeque iacebitis vmbrae?
Haud equidem patiar. Pereat sceleratus et ille;

(485. *Perque alternatos* Sixi codex. 497. Pro *et ille* Heins.

crales aras vocat, in quibus filium quasi adolebit in honorem et solatia fratrum. Neque Manes defunctorum statim inuocat, sed ipsas *Furias* in re horrenda, quam Furiae ei iniecisse videbantur. Recte igitur *furialia sacra.* Impium furorem bene exprimit verbis *Vlciscor — funus;* nec temere immoratur rei verbis cumulatis.

486 Inuidia hic et vs. 494 s. stimulos addit. *Melius lug. ambo* detestabilis sententia. Manes adesse ex inferis credebantur inferiis; iis ergo commendat *officium* suum, quod voc. sollemne de inferiis. *recentes.* IV, 434. *sentite,* intelligite, agnoscite. *magno paratas,* magni pretii, nempe *pignora vteri*, filium, quem, pignus amoris, in ipso vtero meo portaui.

491 Non mens eam reuocabat a nouo conatu, sed, tanta est vis materni adfectus, *manus deficientes,* trementes atque vix stipitem retinere valentes. Hinc vox invitae exprimitur, *Hei mihi* etc. cuius veniam statim precatur. *auctor*, mater ipsa. Dignus est, cui mors inferatur, verum non ab ipsa matre.

496 Anacr. od. 4, 9, Ὀλίγη δὲ κεισόμεσθα κόνις. Horat. IV od. 7, 16, *Puluis et vmbra sumus.* Propert. IV, 11, 14, *En, sum quod digitis quinque leuatur onus.* [cf. Burm. Sec. ad Propert. l. c. p. 897, et ad II, 7, 52 p. 272.] *Iacere* pr. ad cinerem tantum pertinet, non itidem ad vmbras. Sed sollemne erat hoc verbum omnino de mortuis vsurpare. Sic et cadaueris epitheton *gelidus* ad vmbras translatum. *Trahere ruinam*, eam facere. Aen. II, 466. Sed *trahere spem*, eam secum auferre. Exstincto filio haerede, eoque fortissimo, magna calamitas patriae inferebatur. *Trahere* sumtum ab eo, qui cadens secum aufert aliquid, vnde ruina oritur.

Spemque patris, regnique trahat, patriaeque ruinam.
Mens vbi materna est? vbi nunc pia vota parentum?
Et, quos sustinui, bis mensum quinque labores?
O vtinam primis arsisses ignibus infans;
Idque ego passa forem! Vixisti munere nostro;
Nunc merito moriere tuo. Cape praemia facti,
Bisque datam, primum partu mox stipite rapto,
Redde animam; vel me fraternis adde sepulcris.
Et cupio, et nequeo. Quid agam? modo vulnera fratrum
Ante oculos mihi sunt, et tantae caedis imago;
Nunc animum pietas, maternaque nomina frangunt.
Me miseram! male vincetis; sed vincite, fratres;
Dummodo, quae dedero vobis solatia, vosque
Ipsa sequar. Dixit, dextraque auersa trementi

cor. *et vna.* Recte autem Bothius ad VI, 572 p. 75, monuit, tollendam esse incisionem post *sceleratus* et vno tenore legendum, *pereat sceleratus et ille.* 498. *regnique* alter Hamburg. Berol. et duo alii. Reliqui, *regnumque.*) 499. Multi *pia iura*, quod praefert Heins., [sed *vota* recte tuetur Burm. (v. notas) qui etiam *vbi nunc* reposuit, cum codd. fere omnes proferant, *vbi sunt.* 500. *menses bis quinque* multi codd. Meliores, *bis mensum quinque* cum Priscian. VII, p. 771.] 503. Burm. maluit, *moriare*, quod furenti aptius. (Bothius cor. *Heu cupio et nequeo*, quoniam vulgata frigeat.) 507. *sunt.* Heins. coni. *stant.* G. Sed vulgatam defendit Burm. 510. Cum in primo Gronou. exstaret, *vosque Funeris ipsa sequar*, Heins. cor. *vosque Funus et ipsa sequar*, monens, *dixit* eleganter omitti. Neque tamen h. l. abesse potest, quod iam illud *que* in *dextraque* ostendit. Omittitur enim

499 *Vota* illa, quibus superstites sibi vouent parentes, ne turbetur mortalitatis ordo. Hoc *iustissimum votum* vocat Senec. ad Marc. cap. 10. *Impium* contra *votum*, si se superstites liberis optent parentes. Sueton. Tib. 62. Burm. *mensum* pro *mensium* notauit Priscian. lib. VII. Senec. Theb. 535. *Per decem mensum vteri labores* v. [Heins. ad h. l.] Gronou. ad Liu. XXIX, 3, et Büneman. ad Lactant. carm. de Phoen. 27. *decem*, nempe lunares menses intell. *vbi nunc*, cui nunc prosunt. [v. Heins. ad Heroid. IV, 150.]

503 *praemia*, poena. *Vel me* etc. quia Manes inferias postulant. — *male*, non sine impietate. *solatia*, filium, quem in solatia vestra cremauero. *visus est*, nempe Althaeae. Et stipes *gemens* et *inuiti* ignes auersantur factum.

Funereum torrem medios coniecit in ignes.
Aut dedit, aut visus gemitus est ille dedisse
Stipes; et inuitis correptus ab ignibus arsit.
Inscius atque absens flamma Meleagros in illa
Vritur, et caecis torreri viscera sentit
Ignibus; at magnos superat virtute dolores.
Quod tamen ignauo cadat et sine sanguine leto,
Moeret; et Ancaei felicia vulnera dicit:
Grandaeuumque patrem, fratremque, piasque sorores
Cum gemitu, sociamque tori vocat ore supremo;
Forsitan et matrem. Crescunt ignisque dolorque,
Languescuntque iterum; simul est exstinctus vterque;
Inque leues abiit paullatim spiritus auras,
Paullatim canâ prunam velante fauillâ.
Alta iacet Calydon; lugent iuuenesque senesque,

tum demum, cum, vti *inquit*, ipsis eius, qui loquitur, verbis interponitur. 515. *in illa*, quod Burm. ex quinque codd. dedit, nimis argutum esse videtur. Vulgo, *ab illa*, quod equidem praeferrem. Loca à Burm. allata huc non faciunt. E. 526. Ante h. vs. olim legebatur, *Paulatim cana prunam velante fauilla*, quem expunxit Heius. tam auctoritate primi Palat. [qui eum omittit,] tum aliorum quatuor, qui eum in margine adscriptum habent, quam propter ingratam voc. *paullatim* repetitionem. G. Reposui tamen h. versum. Eo enim omisso, reiiciendus etiam est vs. 524. Comparat Ouidius in toto h. l. rogum, in quo stipes ardebat, et Meleagrum. Rogus et dolor Meleagri simul primum crescunt, tum

515 Argute, *absens in fl. vritur*, quia torris ei fatalis in flamma. *caecis*, quos non videbat. *at magnos* etc. vt Hercules IX, 163.

518 *ignauo*, quo pereunt ignaui. Fortes cadunt in proelio per vulnera sanguine effuso. Supra VII, 544 sic erat *leto mori inerti*.

520 *frater*. Ab Apollod. tres fratres memorantur, Toxeus, Thyreus et Clymenus. Nicander quinque habet. *Sorores* fuerunt Gorge, Deianira, Eurymede et Melanippe, quae postremae duae post mortem fratris in aues mutantur. *sociam tori* Anton. Lib. II vocat Cleopatram, Hygin. fab. 174 Alcyonen, qui dissensus facile potest componi; nam Homer. vs. 552 diserte tradit, eam fuisse Cleopatram, sed eandem a parentibus dictam esse Alcyonen, quia mater Alcyonis fatum habuerit. *supremo*, moriente.

526 *Alta*, clara et flore suo superbiens, *iacet*, afflicta est. *planguntur*, plangunt se, sua pectora. *Eueninae*, ab Eueno fluuio, iuxta quem Calydon sita. Plin. IV, 2. Marpissa Εὐηνίνη est apud Homer. Il. ι, 553.

Vulgusque proceresque gemunt; scissaeque capillos
Planguntur matres Calydonides Eueninae.
Puluere canitiem genitor vultusque seniles
Foedat humi fusus, spatiosumque increpat aeuum.
Nam de matre manus, diri sibi conscia facti,
Exegit poenas acto per viscera ferro.
Non mihi si centum Deus ora sonantia linguis,
Ingeniumque capax, totumque Helicona dedisset;
Tristia persequerer miserarum dicta sororum.
Immemores decoris liuentia pectora tundunt;
Dumque manet corpus, corpus refouentque, fo-
ventque;
Oscula dant ipsi, posito dant oscula lecto;
Post cinerem, cineres haustos ad pectora pressant;

languescunt, denique exstinguuntur. Vt autem *paullatim* prunae rogi fauilla obductae sunt, *paullatim etiam* anima Meleagrum reliquit. Ex consilio igitur repetiit poëta voc. *paullatim*; quod miror Bothium, qui hunc vs. defendit, non vidisse. Est sane in his lusus parum probandus, sed alioquin vs. 524 plane ineptus est. E. 528. Edd. antiquiores, *Plangunt ora simul m. Calydonides. Oeneus* etc. Heins. de suo dedit *planguntur*, ductuque primi Medic. et Spir. *Eueninae.* (531 *Nam mater manibus* ex Cantabr. prim. Erfurt. aliisque praefert H. Voss. *Nam materna manus* Louan. alter Strozzae et vnus Palat. 539. Codd. meliores et plerique *versant* pro *pressant*, quod in Dominic. et Briant exstat.)

530 *Foedat* grauiter pro, adspergit. Summus luctus describitur. *canities* et *vultus seniles* valent ad miserationem faciendam.

532 Iuxta alios laqueo vitam finiuit. v. Munker. ad Hygin. fab. 174. Nil definit Hygin. *moerens in luctu decessit.*

533 Sic res arduas exprimunt poëtae, Virg. Georg. II, 42; Aen. VI, 625; Hostius apud Macrob. VI, 3; Persius Sat. V, 1; 26; Claudian. in Cons. Olyb. et Prob. 55; qui omnes secuti sunt Homer. Il. β, 488. Πληθὺν δ' οὐκ ἂν ἐγὼ μυθήσομαι, οὐδ' ὀνομήσω. Οὐδ' εἴ μοι δέκα μὲν γλῶσσαι, δέκα δὲ στόματ' εἶεν, Φωνὴ δ' ἄῤῥηκτος etc. Sed Noster in re leuiore parum feliciter haec adhibuit. [cf. et Fast. II, 119.] Heins. e Florent. S. Marci, Neap. Berneg. inuexit, *linguae*, vt cum *ingeniumque* coniungeretur; quod est durissimum. Reuocaui igitur vulg. lectionem et interpunctionem.

536 *decus*, cura et ornatus corporis. *liuentia*, vt liueant. *refouentque*. V. ad vs. 163, et de *fouere* ad II, 339, quem loc. omnem cum hoc conferas. *lecto*, feretro. Etiam graec. κλίνη. v. Kirchm. de funerib. II, 9.

539 *Post cinerem*, postquam combustus erat. Sed amat Ouid. huiusmodi repetitiones, *Post cinerem, cineres* etc. *pressant*, saepius premunt. Imitatus est Silius VIII, 129, *cui cinerem orbatae pressant ad pectora matres.* — *haustos*, collectos, vt IX, 35, *haustus pulvis.* Simili

Adfusaeque iacent tumulo; signataque saxa
Nomine complexae, lacrimas in nomine fundunt.
Quas Parthaoniae tandem Letoïa clade
Exsatiata domus, praeter Gorgenque, nurumque
Nobilis Alcmenae, natis in corpore pennis
Adleuat; et longas per brachia porrigit alas;
Corneaque ora facit; versasque per aëra mittit.
Interea Theseus sociati parte laboris

Echinadas.

540. Sic ex tertio Leid. et altero Thuani dedit Burm. pro *signataque saxo nomina*, quia saxum signatur nomine, non aeque recte nomen saxo. (Sed *signata saxo* pro *signata in saxo*, vt I, 48 *tellure premuntur* pro *in tellure*. Quare non dubito, quin legendum sit *saxo nomina*, quod codd. fere omnes tuentur. Eodem modo codd. exhibent *in nomina* et perperam Burmann. ex tert. Leid. altero Thuan. et priore Regia praetulit, *in nomine*. *Lacrimas in nomine fundere* esset potius ad nomen auditum lacrimare, vt *in funere lacrimas fundere* est inter funus. Quae adfert Burm. loca, epist. XI, 125 et Metam. XIII, 490, ea nihil efficiunt. Ibi enim *in vulnera* legendum. E.)

lamenta et eadem fere verba habes XIII, 424. *Adfusae* v. ad III, 438. *Fundere in nomine* recte dici, docet Burm. [vid. tamen Var. Lect.]

542 *Parthaonis* filius Oeneus. *Gorge* nupserat Andraemoni, Deianira Herculi, et sic *nurus Alcmenae*. Has duas etiam Hygin. et Nicander exceperunt. Secundum hunc Baccho deprecante iis natura sua relicta. *Adleuat*, aues esse iussit. Claudian. 18, 295, *Eleuat hanc plumis, squamis hanc fabula vestit*. Aues illas Noster parum perspicue notauit. Intelligi eas, quae Lin. Numidae Meleagrides, Nostris *Perlhühner* dicuntur, docet Schneider. ad Aeliani H. A. IV, 42. Caeterum variae res omnis huius fab. Calydoniae in nummis et aliis monumentis expressae sunt a Vett. Collegit illa omnia Begerus in libro, Meleagrides et Aetolia ex numismate, inspersis marmoribus quibusdam.

FAB. V, 547 — 611. *Origo insularum, quas Achelous fecerat, Echinadum et Perimeles.* Ac *Echinades* quidem, insulae asperae et incultae, vnde et iis nomen inditum, non longe aberant ab ostio Acheloi. Strabo lib. X p. 453. Thucyd. II p. 171. et ab Acheloi alluuione natae credebantur. Plin. II, 85. Dionys. Perieg. vs. 433 sqq. Caussam, cur non cohaererent cum terra continente, Pausan. Arcad. p. 647 reddit hanc: Cum Aetolia, pulsis Aetolis, inculta iaceret, Acheloum desiisse limum et sordes aduehere, quibus Echinades annecterentur terrae continenti. Sed apud mythicos Achelous, iratus ideo, quod a nymphis posthaberetur Diis rusticis, eas efficit; et sic haec fabula commode annectitur superiori, in qua Diana similem ob caussam irascebatur.

547 *Sociati pars lab.* pars virilis laboris. Nondum dimittit *Thesea*, sed plures rebus eius fabulas annectit, quamquam non satis feliciter. Etenim *Acheloum*, qui e Pindo effusus ab occasu Aetoliam dirimebat ab Acarnanibus, obiicit Theseo Calydone

Functus, Erechtheas Tritonidos ibat ad arces.
Clausit iter, fecitque moras Achelous eunti,
Imbre tumens. Succede meis, ait, inclyte, tectis,
Cecropida; nec te committe rapacibus vndis.
Ferre trabes solidas, obliquaque voluere magno
Murmure saxa solent. Vidi contermina ripae
Cum gregibus stabula alta trahi; nec fortibus illic
Profuit armentis, nec equis velocibus esse.
Multa quoque hic torrens, niuibus de monte solutis,
Corpora turbineo iuuenilia vortice mersit.
Tutior est requies, solito dum flumina currant
Limite, dum tenues capiat suus alueus vndas.
Adnuit Aegides, Vtarque, Acheloë, domoque,
Consilioque tuo, respondit; et vsus vtroque est.
Pumice multicauo, nec leuibus atria tophis

548. Primus Moreti, pr. Gronou. excerpta Mureti, sec. Palat. et duodecim alii, *Erichthonias*, quod non displicet Heins. nam et alii ab Erichthonio rege vrbem Atheniensem nominarunt. 552. Cum Iunianus habeat *oblataque*, Heins. coni. *obstrataque*, vel *obstructaque*, vt III, 570. Sed ibi sermo de saxis cursum fluuii impedientibus. 554. Sex veteres (cum Berol.) *rapi.* At *trahi* est exquisitius. V. Heins. et Burm. (562. Berol. *vel leuibus* pro *nec leuibus.*)

Athenas redeunti. *arces*, vrbem. V. ad VIII, 54. Athenas duplici nunc epitheto insignit. *Clausit.* V. ad VI, 572. De *tectis* fluuiorum v. ad I, 574. Acheloi tectum internum ipse mox describit. *Succedunt tectis*, qui eo deuertunt. Suauis est haec et inuitatio et inde orta sermocinatio, quae pertinet ad IX, 96, vbi hospites discedunt, non exspectata fluminis pace.

552 In fluminis tumentis descriptione Nostro praeiuerunt Lucret. I, 282 — 90. Virg. Aen. II, 305 — 7. [vbi v. Heyn.] vs. 496 sqq. Apta haec ad deterrendum. Saxa, quae *obliqua* feruntur, angulis suis maiore vi prosternunt obuia. *Vidi.* V. ad III, 569. *alta stab.* vt V, 627. [Burm. adfert VI, 521 et 596.] *Trahere* bene de fluuiis rapacibus. Etiam Virg. d. l. *cum stabulis armenta trahit.* [v. Heins. et Burm. ad h. l.] *nec fortibus* etc. vt I, 305. *suus*, iis a natura adsignatus. [v. ad VI, 489.] *tenuis*, exigua.

562 Cumulauit Ouid. in hac fabula vocabb. noua. Ex eo genere paullo ante erat *turbineus*, qui turbinis instar in gyrum vertitur. Hic habemus *multicauus* et mox, *lacunare*, facere lacunar. *Lacunar*, Φάτνωμα, tectum, in quo caelati erant loculi, qui lacuum similitudinem habebant, quos *laquei* i. margines eminentiores cingebant, vnde idem et *laquear* dr. Beatorum quidem hominum lacunaria ornata erant eburno, auro, gemmis adeo, Cuнos ad Plutarch. Apophth. Lac.

Structa subit: molli tellus erat humida musco;
Summa lacunabant alterno murice conchae.
Iamque duas lucis partes Hyperione menso,
Discubuere toris Theseus comitesque laborum;
Hac Ixionides, illa Troezenius heros
Parte Lelex, raris iam sparsus tempora canis,
Quosque alios parili fuerat dignatus honore
Amnis Acarnanum, laetissimus hospite tanto.
Protinus adpositas nudae vestigia Nymphae
Instruxere epulis mensas; dapibusque remotis
In gemma posuere merum. Tum maximus heros
Aequora prospiciens oculis subiecta, Quis, inquit,
Ille locus? (digitoque ostendit) et, Insula nomen

564. Verb. *lacunabant* ignotum fuit librariis; nam omnes Codd. habent *lacus nabant*, aut *lacu nabant*. 570. Iunianus *hospite tenuo*, quod probat Heins. Male; nam plures aderant, et Achelous Theseo hospite laetabatur. 571. Plurimi, *adpositis*. 573. Vnus Leid. et duo alii *cum maximus*, quod Heins. placebat. G. *Tunc max.* Berol. Pro *in gemma* autem multi codd. *in gemmam*. Berol et Heidelb. *in geminam*. Sex, *in gemmas*. Cantabr. *ingenuum*, quod praefert Wakef. Silu. Crit. P. V. p. 158, et expl. sicut natum erat, non admixtum, ἄκρατον.

XII. n. 94.) sed Fluuii ornamenta sunt conchae et murices. Paullo ante *nec leuibus*, asperis. De *pumice* et *tophis* v. ad III, 160. In Cyrenes thalamo Virg. G. IV, 374, *pendentia pumice tecta*.

565 *Metiri* poëtis est medium transire, percurrere. Igitur Sol metitur coelum, h. l. *lucem* s. diem. *duas partes*. Horam diei nonam designat, qua etiam ap. Romanos coenae initium. *Discumbere* et *toris* et *super toris* dixit Virg. Aen. I, 700. 708. *Ixionides*, Pirithous, vs. 403. *Troezenius heros* non est, vt Rode putabat, Theseus, sed *Lelex*, qui supra vs. 312 *Narycius* vr. Lenzio videtur a Locrensibus *Troezenas* migrasse. E vs. 623 videmus, eum iam olim vixisse apud *Pittheum*, Troezeniorum regem. Forte *Troezen*, Pitthei frater, cuius e filia Aethra nepos Theseus (Pausan. p. 182 s.), fuit eius pater. Sic Thesea genere proxime attingebat, eumque comitabatur redeuntem. Hi tres in vno toro accubuere ita, vt Theseus medium locum teneret. *parili* pro *pari*, vt saepe ap. Ouid. Bene *tanto*, nam per omnem h. l. Thesei dignitas eminet.

570 Et mensae et epulae dr. *adponi*. v. Burm. *vestigia*, pedes. *nudi vest.* γυμνόποδες. Erat autem ἀνυποδησία reuerentiae signum. v. Spanhem. ad Callim. Cer. 125. Et de hoc ministerio vid. ad IX, 89. *posuere*, apposuere mensam secundam, [v. ad VI, 489.] in qua merum in *gemma*, poculis gemmeis s. crystallinis. Virg. G. II, 506, *vt gemma bibat*. [v. ibi Heyn. et Cl. Weichert. epist. Crit. p. 18.] Similiter autem in Cyrenes thalamo Nymphae ministrant G. IV, 378.

Quod gerat illa, doce: quamquam non vna videtur.
Amnis ad haec; Non est, inquit, quod cernimus, vnum:
Quinque iacent terrae: spatium discrimina fallit.
Quoque minus spretae factum mirere Dianae;
Naides hae fuerant; quae cum bis quinque iuuencos
Mactassent, rurisque Deos ad sacra vocassent,
Immemores nostri festas duxere choreas.
Intumui, quantusque feror, cum plurimus vnquam,
Tantus eram; pariterque animis immanis et vndis
A siluis siluas, et ab aruis arua reuelli;
Cumque loco Nymphas, memores tum denique nostri,
In freta prouolui. Fluctus nosterque, marisque
Continuam diduxit humum, partesque resoluit
In totidem, mediis quot cernis Echinadas vndis.
Perimele. Vt tamen ipse vides, procul, en procul vna recessit

575. Multi codd. cum Berol. *quod gerit.* vid ad X, 637. E. 578. Multi ex vetustioribus, *spatii discrimina*, quod Heins. commendabat, si cum Vrbinate *discrimine* reponeretur. Burm. malebat, *sp. d. tollit*, quia Louan. *soluit.* 584. Vnus Medic. *animus immanis et vndas*, quod Heins. arridebat, si *animos* legeretur. 587. Balliot. et Thuan. *peruolui.* Menard, *deuolui*, quod rapiditati convenientius Burm. videbatur. (588. *resoluit* quart. Medic. et pro diu. lect. Rottendorph. *reuoluit* Cantabr. et prim. Gronou. Multi *reuulsit.* Berol. Heidelb. et reliqui *reuellit.*)

578 *spatium discrimina fallit*, elegans locut., quae non debebat tentari; longa distantia facit, vt discrimina non animaduertantur, vt non discretae, sed vna insula esse videantur. Supra VI, 60, *studio fallente laborem.*

581 *ad sacra voc.* v. ad vs. 265. Horat. I od. 30, 2, *vocans ture te multo Glycera.* Haec est *euocatio* Deorum. *immemores nostri.* Solebat Achelous aris coli a Graecis. Pausan. Att. p. 84 et 98. *choreas.* In sacris Veterum sollemnis saltatio cum cantu. Itaque h. l. *choreae* pro toto sacrificio. *ducere choreas* pr. de praesule, deinde omnino de saltantibus. Illud *intumui* grauiter exaggerat, *quantusque — reuelli.* *feruntur* fluuii, cum rapidi sunt. Burm. *ferri* enim saepe impetum et vim declarat. *animis*, ira.

586 *Prouolui.* Aen. X, 555. *truncum prouoluens.* *Continuam*, continentem terram, *diduxit*, diuisit, distraxit.

589 *Recessisse* eleganter dr. quae longius remota sunt. Secundum Apollod. I, 7, 3 *Perimede* (sic, non *Perimele*) vxo

Insula grata mihi: Perimelen nauita dicit.
Huic ego virgineum dilectae nomen ademi.
Quod pater Hippodamas aegre tulit, inque profundum
Propulit e scopulo pariturae corpora natae.
Excepi; nantemque ferens, O proxima coelo
Regna vagae, dixi, sortite Tridentifer vndae,
In quo desinimus, quo sacri currimus amnes,
[Huc ades, atque audi placidus, Neptune, precantem.]
Huic ego, quam porto, nocui. Si mitis, et aequus,
Si pater Hippodamas, aut si minus impius esset,
Debuit illius misereri, ignoscere nobis
Adfer opem; mersaeque, precor, feritate paterna
Da, Neptune, locum; vel sit locus ipsa licebit;
Hunc quoque complectar. Mouit caput aequoreus rex;

594. *pariturae* pro *periturae* ex vno Leid. et altero Twisd. dedit Heins. Idem vs. 598, spurium indicat, et illum, qui mox [post vs. 601.] sequebatur, *Cui quondam tellus clausa est feritate paterna* auctoritate vnius Vossiani [et Berol, in quibus h. v. deest, vti cod. Gronou., qui eum in margine tantum exhibet,] deleuit. Plures, nempe sec. Palat., pr. Moreti et octo alii proxime seq. *Huic ego* etc. non agnoscunt, improbante Burm. [Fraudi huic vs. fuit simile antec. versus principium; de qua re v. Schrader. Obss. I, c. 1 p. 7. Caeterum vs. 598 abest in Heidelb., in quo tamen alia manus in margine adscripsit vss. 602, 603 post 598 inserendos. Est autem vs. 598 ad sensum necessarius. Non intelligitur enim, quapropter Achelous vs 595 — 97 Neptunum appellauerit, nisi eum adesse velit. Neque est in h. v., quod offendere possit. Versum, *Cui quondam* etc. seruat Bothius, sed pro *quondam* cor. *quonium* et pro *feritate* in seq. versu *pietate*. Cod Heidelb. hic omittit vs. 602, sed denuo exhibet vs. 603. E.] 604. Burm. mauult, *Sic quoque*. Sine caussa.

Acheloi, quae ei Hippodamanta et Orestem peperit. *nauita dicit*. Cf. IX, 228.

595 Cf. IV, 532, vbi similes ad Neptunum preces. Inde et apparet, male h. l. librarios *coelo* mutasse in *terrae*, vt primus vidit Accursius, vno suo Cod. admonitus. [*Coelo* est etiam in vno Medic., quocum conspirat nonnullorum lect. *coeli*. Multi etiam *mundi*.] In verbis *In quo --- amnes* sane est redundantia quaedam; neque tamen illa, nisi innumera optimorum poëtarum loca mutare velimus, sollicitanda, quamquam ingeniosa est Burm. coniect. *quot sacri*. Iam vs. proximus *Huc ades* etc. ineptus est, adeoque tollendus.

604 Pro *Hanc* reuocaui *hunc*. Heins., qui *hanc* ex vetustioribus

Concussitque suis omnes adsensibus vndas.
Extimuit Nymphe; nabat tamen. Ipse natantis
Pectora tangebam trepido salientia motu:
Dumque ea contrecto, totum durescere sensi
Corpus, et inducta condi praecordia terra.

606 — 9. Heins. aut hi quatuor versus delendi videntur, aut duo seqq., ne bis idem dicat. Burm. monet, vss. 605 - 7 abesse a Frcf. et duos sqq. fuisse margini adscriptos. *Tangebam.* Ambros. et vnus Medic. *mulcebam*, quod amanti aptius iudicat Burm. Imo, tam periculoso tempore *tangebat* potius amplexu pectora. 608. Duo Leidenses *contracto*, quam scripturam sunt qui meliorem putent. [v. Burm. Sec. ad Propert. II, 2, 14 p. 221.] Cod. Sixi, *tactum durescere*, approbante Burm. vt sit Ouidiana repetitio.

innexit, explicabat, postquam in insulam erit conuersa. [*Hunc* defendit etiam Bothius.] *complectar*, vndis meis alluam. *Mouit concussitque* etc. instar Iouis I, 179. 609 *Conduntur* et ea, quae in aliam formam transeunt. V. ad IX, 389. Equidem arbitror, versus sqq. *Dum loquor — membris* esse resecandos; nam priores quatuor multo elegantiores sunt. Quod duo ex iis absunt a Francof. Cod. et seqq. duo in margine adscripti, id nihil in hac caussa decernit. Potuerunt aut a festinante librario omitti, aut ab eo, qui postremos versus genuinos putaret. G. — H. Vossius spurios habet vss. 606—609 et vncinis liberat vss. 610 et 611; quos tamen damnat Schrader. Emendatt. c. IX, p. 214, cum non ferendum sit inficetum et stultum illud: *Mouit caput aequoreus rex, Concussitque suis omnes adsensibus vndas. Dum loquor, amplexa est artus noua terra natantes* etc. Sin autem sanos esse putes etiam vss. 610 et 611, tum non differre vss. 608 - 9 et 610 et offendere repetitiones, *natantes, natantes; terra, terra; dum, dum; complector* (ita enim viginti codd. pro *contrecto*), *amplexa est*. Omnes tamen hos versus genuinos esse contendit Bothius, qui vs. 608 cum Burmanno praefert *tactum*, et *totum* ab ipsa sententia abhorrere dicit; „cum his duobus versibus „(608 et 609) pectoris tantum et „istarum partium agatur mutatio, sequentibus demum *artus* „(i. e. totum Nymphae corpus) „in terram atque insulam dicantur conuersos esse." Seq. vs. pro *conducta terra* vel, vt in plurimis codd. est, *conductis terris* cor. *conductis petris*, ne bis repetatur voc. *terra*, et aptum sit voc. *durescere*, quod *terrae* non bene conueniat. Ad versum 611 denique monet: „Optimam „mehercule sententiam habet locus, neque quidquam superflui, „id quod Heinsio videbatur, qui „vel versus 607 — 609 vel 610, „611 tollendos perperam censebat, cum plane δραματικῶς „Amnis dum contrectarit pectus „Nymphae, partem eam corporis „diriguisse dicat; dumque vix „vocem aliquam vel admirationis yel cum amore coniunctae „misericordiae emiserit (*Dum* „*loquor* etc.) totam terra contectam et mutatam esse *in insulam* cognominem; quomodo „passim in expendendis quasi „momentis mutationum ludit ingenium Ouidianum: cf. II, 345; „V, 427; infra 712; IX, 349, et „quae ibi sequuntur." Simili ratione hos vss. defendit Sprengel. Neue Kritik der klass. Rö-

[Dum loquor, amplexa est artus noua terra natantes,
Et grauis increuit mutatis insula membris.]

Amnis ab his tacuit. Factum mirabile cunctos
Mouerat. Irridet credentes; vtque Deorum
Spretor erat, mentisque ferox Ixione natus;
Ficta refers, nimiumque putas, Acheloë, potentes
Esse Deos, dixit; si dant adimuntque figuras.
Obstupuere omnes; nec talia dicta probarunt:
Ante omnesque Lelex, animo maturus et aeuo,
Sic ait: Immensa est, finemqne potentia coeli
Non habet, et quicquid Superi voluere, peractum est.
Quoque minus dubites; tiliae contermina quercus

Philemon et Baucis

612. Heins. maluit *fatum*. 616. Vnus Medic. *obstrepuere*; quod, quia indignationem indicat, optimum videtur Burm.

misch. Dichter etc. p. 39—41, qui tamen coniecturam non solum audacissimam, sed etiam maxime obscoenam proposuit. E.

FAB. VI, 611–724. Iupiter et Mercurius Phrygiam peragrantes, accipiuntur a Philemone et Baucide, pauperrimis hominibus. Quam ob caussam casa eorum mutatur in templum, ipsi fiunt antistites istius templi, et cum vitae finis instaret, ambo simul mutantur in arbores. Vt Menecrates Xanthius Lyciacas fabulas collegerat, vnde VI, 313 sqq. vna repetita est, sic alius scriptor potuit Phrygias tractare, quarum pars haec nostra est. Eam vero Ouidius copiosissime suauissimeque exornauit. Ruhnken. ad Callimachi fragm. p. 580 eum suspicatur multa ex Callimachi Hecala mutuatum esse, quae et ipsa fuerat anus paupercula, sed hospitalitate insignis. Hyriei fabula huic nostrae similis narratur Fast. V, 495 sqq.

612 *ab his*, post haec. [v. Heins. et Burm. ad Heroidd. II, 86. Burmann. ad Heroidd. V, 152 et X, 9.] *Factum*, vt vs. 579 et 727. Non igitur erat, cur Heins. *fatum* suaderet. *mouerat*, admiratione et metu Deorum impleuerat. *spretor Deorum* erat ad exemplum Ixionis patris et Phlegyae aui. Et talis etiam *mentis ferox*, mente feroci, esse solet. *Vt* ponitur, cum caussa rei ex moribus alicuius repetitur. *Si dant*, si eos putas dare posse.

617 *Obstupuere*. Hic adfectus amicis conuiuantibus melius conuenire videtur, quam indignatio surgendo reclamandoque prodita, quae est in altera lectione, Burm. probata, *obstrepuere*. *animo maturus et aeuo*, vir grauis et constante aetate, frequens senis descriptio. Heins. mauult *animi* et *aeui*. Vtrumque poëtis in vsu. Aen. V, 43; IX, 246. Hinc quouis loco Mss. consensus premendus. Talem autem senem metus Deorum maxime decet. *Sic ait* eum fere sermonis clausula sit, hic in principio orationis offendit Burm. qui mauult, *Vis, ait*; namque *vim* et *potestatem* Deorum sic iunxisse etiam Cic. Sed frustra haec monuit. *Sic ait* in principio etiam X, 17. *Atque ait* V, 489; XII, 539.

Collibus est Phrygiis, modico circumdata muro.
Ipse locum vidi: nam me Pelopeïa Pittheus
Misit in arua, suo quondam regnata parenti.
Haud procul hinc stagnum; tellus habitabilis olim;
Nunc celebres mergis, fulicisque palustribus vndae.
Iuppiter huc, specie mortali, cumque parente
Venit Atlantiades positis caducifer alis.
Mille domos adiere, locum requiemque petentes:
Mille domos clausere serae. Tamen vna recepit,
Parua quidem, stipulis et canna tecta palustri:

(622. *modico* ex Vatic. Vrsin. aliisque praestantioribus praetulerunt Intpp. Vulgo, *medio*. 625. *stagnum est* Berol. et Heidelb. 630. Pro *tamen*, Beth. cor. *tandem*. Male. *tamen* enim, quod bene oppos. cum antecedd. indicat, interdum admodum vicinam voc. *tandem* habet vim, v. A. A. I, 325 (vbi Waddelus male cor. *tandem*,) Heroid. III, 83, quo in loco G. S. in Misc. Obss. Vol. VI. T. I. p. 197 *tamen* explicat *tandem*.) 631. Priceus [ad Apulei. Met. IV p. 189.] et Heins. coni. *texta*, vt tota casula inde constructa.

621 Monumentum facti, quo commemorato fides fit fabulae. *Circumdari muro* solebant loca sancta et memorabilia. *Ipse* etc. Cf. VI, 320 sqq. *Pelops*, Pitthei pater, filius fuit et successor Tantali, regis Phrygiae, quae inde *Pelopeia arua*. Is regno paterno pulsus ab Ilo, in Graeciam venit tempore Acrisii, et nomen dedit Peloponneso. v. Marsham. Chron. p. 286.

626 *palustribus*. Virg. G. I, 361 sqq. *marinae fulicae*, quo loco et ipso cum *mergis* coniunguntur, de quibus XI, 793 sqq. *Iupiter* in terris ambulans *Mercurium* secum ducere solebat. Ambos sic et Hyrieus hospitio excepit. Fast. d. l. Hygin. P. A. II, 34. Inde intel. Act. XIV, 12. *Sera*, obex, μοχλὸς, lignum ferratum et vecti simile, quod oppositum foribus non sinebat eas aperiri.

631 Sequitur locus praestantissimus, quo casa, supellex, epulum pauperculorum hominum, eorumque eximia hospitalitas ita describitur, vt res sensibus subiecta videatur, et lector facile moueatur pietate hospitum. *stipulis*. Fast. VI, 261, *Quae nunc aere vides, stipula tunc tecta videres*. *Stipulae* autem sunt stramina, vs. 702. Veteres enim messores aristas tantum cum exigua calami parte demebant, et stipulas alio tempore metebant. Virg. G. I, 289. *Baucidis* nomen in prouerbium abiit, et pro quauis anu paupercula, eademque pia, positum. Persius Sat. IV, 21, *Illa sunt* etc. Claudian. 52, 1, *Felix, qui patriis aeuum transegit in agris, Ipsa domus puerum quem videt, ipsa senem: Qui baculo nitens, in qua reptauit arena, Vnius numeret secula longa casae*. Dum victu et cultu paupertatem *fatebantur* (quod omnis h. l. declarat), suoque habitu vitam degebant, paupertatem fecere *non iniqua mente ferendam*, i. tolerabilem. Qui contra pauper potentem imitatur diuitisque nomen adfectat, magnum sibi imponit onus. In dissimili re Amorr. I, 2, *Acrius*

Sed pia Baucis anus, parilique aetate Philemon
Illa sunt annis iuncti iuuenilibus, illa
Consenuere casa; paupertatemque fatendo
Effecere leuem, nec iniqua mente ferendam.
Nec refert, dominos illic, famulosne requiras;
Tota domus duo sunt; idem parentque iubentque.
Ergo vbi Coelicolae paruos tetigere penates,
Submissoque humiles intrarunt vertice postes;
Membra senex posito iussit releuare sedili;
Quo superiniecit textum rude sedula Baucis.
Inde foco tepidum cinerem dimouit; et ignes
Suscitat hesternos, foliisque et cortice sicco
Nutrit, et ad flammas animos producit anili;
Multifidasque faces, ramaliaque arida tecto
Detulit, et minuit, paruoque admouit aëno.
Quodque suus coniux riguo collegerat horto,

(634. *fatendo* ex Florent. S. Marci, priore Erfurt., prim. sec. Palat., Cantabr., tert. Medic., Spirensi et aliis compluribus edidit Heinsius. Reliqui, *ferendo*, quod praefert Ios. Castal. Decad. VIII, obs. 2, vt sit imitatio Horatii I od 24, 19. Bothius contra seq. versu *ferendam*, pro quo Berol. *ferenda*, mutat in *ferendo*, vt sensus sit: „paupertatem et fatendo et non aegre ferendo effecere „leuem." confert Amor. I, 2, 10. Sed v. Gierig. in notis. 636. Berol., *illic dominos famulosue*, quod posterius etiam in codd. invenit Naugerius. E.) 641. Plurimi *Quod sup*. Burm. coni. *quoi*, i. *cui*. 643. Vnus Bonon. *vimine sicco*, non male, iudice Burm.

inuitos multoque ferocius vrget, Quam qui seruitium ferre fatentur, Amor. Mox ingeniose et iucunde: Non habebant servos ancillasque, *Tota domus* etc. Vid. ad I, 353.

638 *Tangere penates*, vt *tangere portus*, eo peruenire. Mox graphice *submissoque* etc. *textum*, stragulum. Ignis excitationem Virg. Aen. I, 174 eadem prope diligentia describit. Idem Aen. VIII, 410 de muliere bene mane ad opus surgente, *cinerem et sopitos suscitat ignes*. Noster Fast. V, 506, *Ignis in hesterno stipite paruus erat. Ipse genu posito flammas exsuscitat aura. Et promit quassas comminuitque faces*. — *anima producit anili* exquisitius, quam, spiritu suscitat debili. Ita Tacit. Ann. VI, 9, Vestilius *senili manu* ferrum tentat. *multifidas*, in multas partes scissas, *faces* iam supra VII, 259 legimus. Heins. putat, h. l. esse faces concisas in frusta, qualia sarmenta *taedae schidiae* appellantur a Vitruv. VII, 10. Male, namque additur *minuit*, i. frangit et in frusta concidit, quod verb. ad faces non minus, quam ad *ramalia* (i. ramos aridos, vnde Pers. V, 59 membra fracta senum commode ita appellat), referendum. *tecto detulit*. Callim. fr. Hec. παλαίθετα κᾶλα καθῆρει, vetusta ligna detraxit,

Truncat olus foliis. Furca leuat ille bicorni
Sordida terga suis, nigro pendentia tigno;
Seruatoque diu resecat de tergore partem
Exiguam, sectamque domat feruentibus vndis.
Interea medias fallunt sermonibus horas:
Sentirique moram prohibent. Erat alueus illic
Fagineus, curua clauo suspensus ab ansa.
Is tepidis impletur aquis; artusque fouendos
Accipit. In medio torus est de mollibus vluis

649. *Sordida.* Gebhard. malebat *torrida*, i. fumo siccata; nam in vno Ms. erat *horrida*. (Sed Heins. bene defendit *sordida*. 651. In *exiguam* haesit Bothius, quoniam de copia exiguam partem dare non sit hospitalis; et cor. *eximiam*. 654. *curva* dedit Heins. e cod. Barberin., qui id pro var. lect. exhibet. Libri omnes, *dura*. E.) 656. Post h. vs. Caelest. Dominic. Briant. sex Vaticani vnus Ciof. et plurimi Heinsii codd. inserunt, *Concutiuntque* (aut *consternuntque*, *constituuntque*, *conficiuntque*) *torum de molli fluminis vnda*. (In vno Vatic. Vrsin. Berol. haec post vs.

648 *Truncat olus foliis*, folia decerpit oleri. Sequentia bene illustrauit Heins. Describitur carnarium, vbi carnes siccandae suspendebantur. Erat foco proximum, adeoque fumo expositum. Inde carnes *furca* deferebantur. Petron. Satyr. cap. 135. *sordida*, fumosa. Silius VI, 328 *sordentia fumo frena*. Illustrationi inseruiunt etiam loca haec. Iuuenal. XI, 82, *Sicci terga suis rara pendentia crate*. Petron. cap. 136, *Praeterea quae fumoso suspensa tigillo Conseruabat opes humilis casa*.

652 *medias horas*, quae effluebant, dum epulum parabatur, vt IV, 167, *medium tempus*. Has horas *fallunt* seduli hospites *sermonibus*, sermones gratos instituunt cum Diis, ne tempora longa iis videantur. Non erat, cur Burm. [ad A. A. II, 508] suaderet, *mediis*.

653 *alueus*, labrum, solium balneare. *ab ansa*, ope ansae. *ab* instrumentum indicat, quo aliquid fit. *fouendos* melius, quam, lauandos; exprimit enim gratum teporem, quo pedes ex itinere fessi reficiuntur.

656 Non videt Heins. quomodo *torus in medio* esse potuerit, qui locus mensae fuerit dandus. E duobus igitur versibus, quos Mss. nonnulli habent (v. Varr. lectt.), facit vnum hunc, *Accipit. Inde torum sternunt de mollibus vluis Impositum lecto* etc. At *in medio esse* h. l. vt saepe, nil aliud significat, nisi, adesse. Etiam XI, 610, *At medio torus est*. Vid. et ad Plin. III Ep. 20, 4. [Potius et *torus* et *mensa* simul in media casa erant. Toro enim anus mensam apponit vs. 661. Male autem Regius et Micyllus iunxerunt vv. *in medio lecto*; quorum prior cor. *tecto*, posterior autem *lecto* accepit de toto eo opere, aut interiore etiam parte, cui torus imponitur.] *torus*, puluinus, qui imponitur spondae. Is plumis confertus esse solebat, XI, 610, sed in hac domo vluis. Apud Hyrieum Dii *flumineam lino celantibus vluam*, *Sic quoque non altis incubuere*

Impositus lecto, sponda pedibusque salignis.
Vestibus hunc velant, quas non nisi tempore festo
Sternere consuèrant; sed et haec vilisque vetusque
Vestis erat, lecto non indignanda saliguo.
Adcubuere Dei. Mensam succincta tremensque
Ponit anus; mensae sed erat pes tertius impar:
Testa parem fecit. Quae, postquam subdita cliuum
Sustulit; aequatam mentae tersere virentes.
Ponitur hic bicolor sincerae bacca Mineruae,

657 legnntur. Desunt in Heidelb. tribus Ciofan. et aliis. Pro *impositus*, codd. fere omnes exhibent *impositis*, quod Ciofanus praefert.) 660. Vnus Ciofan. Capran. Vatic. Cantabr. sec. tertius Palat. et decem alii, *sed non indigna.* Primus Gronou. et vnus Heins. *tamen haud indigna.* G. 663. Pro *quae* in cod. Iunian. *quo*, vnde Heins. cor. *cui.* 664. *tersere* Heinsius ex Cod. S. Marci, tert. Medic. prim. Hamburg. aliisque plurimis dedit. Berol. *texere.* Reliqui, *extersere.*

toris, — *salignis*, cum ditiorum lectuli pedes haberent eburneos.

658 *Vestibus*, stragulis. *Velare* sollemne in hac re. *quas non* etc. V. Trist. 5, 7, *quae semel toto vestis sumitur anno.* Tibul. III, 5, 7, *vestis seposita. Vetus*, obsoleta. *non indignanda*, quae non habebat, cur lecto indignaretur, ei conueniens. Aliter apud Virg. Aen. I, 697, *aulaeis iam se regina superbis Aurea composuit sponda.*

661 *succincta*, adeoque sedula. IX, 89. Horat. Sat. II, 6, 107 de mure vrbano, *veluti succinctus cursitat hospes.* — *Tripes mensa* erat in supellectile pauperiorum hominum. Horat. Sat. I, 3, 13; vbi v. Intt. *sustulit*, fecit cliuum, cui pes initeretur. Plerumque spongia tergi mensa solebat, nunc *menta*. de qua v. X, 729.

665 Has epulas suo modo poëta instruxit, ita quidem, vt frugalitatis et eximiae liberalitatis societatem in his senibus commendaret. Multos igitur cibos apponit, sed inemtos omnes, eorumque missus facit tres. *sincera Minerua* quae sit, disputatur. Crispinus interpretatur, castam. Heins. baccam recentem, et nullo sale aut muria conditam; nam etiam apud Columel. XI, 50, *sincerum* et *quod salem recepit*, sibi opponi. Burm. intell. non laesam, incorruptam; nam ap. Nostrum in Nuce vs. 22 esse, *laesa bacca*, et Sueton. Aug. 40 *sincerum* opp. *corrupto*. Inuehitur in eum Schirach. ideo, quod de bacca interpretatus sit, quod Ouid. ad Mineruam retulerit.) Ipse cum Gesnero in Thesauro intel. integram Mineruam. At quid est integra Minerua? hoc amplius erat explicandum. Equidem arbitror, poëtam non Mineruam Deam laudare voluisse, sed baccam adpositam describere, et retulisse, more poëtis consueto, ad illam, quod erat referendum ad hanc. Capio igitur cum Heinsio de bacca non condita; nam mox opp. *corna condita. ponitur*, adponitur. [vid. ad VI, 489.] *bicolor*, viridis et nigra. *Corna*, quamquam lapidosa et in victu infelici Aen. III, 649 numerata, condiri tamen solebant oliuarum instar.

Conditaque in liquida corna autumnalia faece,
Intubaque, et radix, et lactis massa coacti,
Ouaque, non acri leuiter versata fauilla;
Omnia fictilibus. Post haec caelatus eadem
Sistitur argilla crater; fabricataque fago
Pocula, qua caua sunt, flauentibus illita ceris.
Parua mora est; epulasque foci misere calentes:

666. *in liquido melle* vaus Patau. et Moret. Primus Vatic. *aut vernalia*, vnde Heins. cor. *haud vernalia*. 671. *qua* ex melioribus codd. reposuit Heinsius, et ita etiam correxerat Behotius Apophor. III c. 17. Vulgo *quae*. E.

667 *Intubum* satinum s. hortense, Linn. Cichorium Endiuia, nostris Endiuien. Inde diuersum intubum erraticum amaris fibris, Linn. cichorium intubus, nostrorum Wegwart. *radix*, raphanus. *lac conct.* vno verbo, *coagulum*, quod legitur Fast. IV, 543. Cf. infra XII, 436. *Oua* ap. Romanos fere semper in principio coenae. [Vltimo autem loco apponebantur *poma*; hinc prouerbium, *ab ouo ad poma.*]

669 Post missum primum prima vina contra prisci aeui morem ponuntur. Sed hic et de lectione et de sensu laboramus. Olim legebatur, *caelatus eodem Sistitur argento crater.* Sed Heins. displicebat et argenteus et caelatus crater in vasis Philemonis. Cum igitur in vno Palat. esset, *eodem argillo*, [in Medic. primo pro var. lect. *argilla* enim glossa, *id est, terra* legeretur,] in multis aliis Mss. autem pro interpretatione adscriptum esset, *de argilla*, hoc recepit in contextum, et pro *caelatus* scribendum censet, *illatus*. Rigaltius contra ad Tertullian. de Cultib. femin. lib. I, cap. 2 tuetur antiquam lect., putatque, iocose hoc dictum esse, et e superioribus facile explicandum. Fruges omnes adponebantur in *fictilibus* vasis. Crater *eodem argento caelatus* ergo foret, nullo argento caelatus, aeque non argenteus et caelatus ac reliqua, quae praecesserant. [*Eodem argillo* tuetur Gebhard. Crep. III, 23, sed *eodem* explicat *in eundem locum.*] In *caelata argilla* frustra haeretur. Etenim latiore sensu *caelare* omnino instrumento fabrili incidere, scalpere, radere. Virg. Ecl. 3, 37, ligneum poculum vocat *caelatum opus*, in quo vitis *torno* effecta. *fabr. fago poc.* Virg. d. l. *pocula fagina.* Fast. d. l. apud Hyriea *Terra rubens crater, pocula fagus erant.* Tibul. I, 1, 38, *Dona nec e puris spernite fictilibus. Fictilia antiquus primum sibi fecit agrestis Pocula, de facili composuitque luto.* Idem I, 10, 8 de aureo seculo, *Faginus adstabat scyphus.* — *qua caua sunt* etc. Theocrit. I, 27 βαθὺ κισσύβιον κεκλυσμένον ἁδεῖ καρῷ, profundum poculum dulci cera collutum.

672 Secundus missus. *calentes*, nempe terga suis cum olere. Vs. 646. Vina post primum missum apposita et mox remota nunc *rursus referuntur*, secunda vice apponuntur. Erant autem *non longae senectae.* Contra Hyrieus, in cibis parcior, *Quae puer quondam primis diffuderat annis, Prodit fumoso condita vina cado.* Sed haec quoque

Nec longae rursus referuntur vina senectae,
Dantque locum mensis paullum seducta secundis.
Hic nux, hic mixta est rugosis carica palmis,
Prunaque, et in patulis redolentia mala canistris,
Et de purpureis collectae vitibus vuae.
Candidus in medio fauus est. Super omnia vultus
Accessere boni, nec iners pauperque voluntas.
Interea, quoties haustum cratera repleri
Sponte sua, per seque vident succrescere vina,
Attoniti nouitate pauent, manibusque supinis
Concipiunt Baucisque preces, timidusque Philemon,
Et veniam dapibus, nullisque paratibus orant.
Vnicus anser erat, minimae custodia villae;
Quem Dîs hospitibus domini mactare parabant:

674. Hic vs. praecedenti praeponendus videtur Heinsio. Sprotii et duo alii *subducta*. 676. Heins. scribendum censebat *halantia mala*. Olim coni. *ridentia*. Frustra. G. 680. Pro *quoties*, omnes codd. Ciofani, Palatini, Berol. et plurimi Heins. exhibent *toties*, quod praetulit D. Heinsius. Sed *quoties* defendit Bothius, qui distingui iubet post *haustum*, vt hoc positum sit pro *haustum est*, Potius *haustum* est accusatiuus, iungendus cum *cratera*. Plurimi Heins. libb. *exhaustum toties*. Cod. Sixi et vnus Moreti, *exhaustu quoties*. E.

vina *paullum*, in breue tempus, quamdiu mala cum vuis et palmis adstarent, *seducta* sunt. *mensis* pro *mensae*. De *secunda* mensae vid. ad IX, 89.

675 *rugosae*, quippe siccatae. In *canistris* apponi solebant et mala et panes. Homer. Od. α, 147. Aen. VIII, 180. *Redolentia* bene mala commendat a leni et suaui odore. *purpureis*. Vitibus tribuit, quod erat vuis tribuendum. *nec iners* etc. excellenter! *non iners* pertinet ad sedulitatem et ardorem, quo accipiebant hospites, *non pauper* ad liberalitatem, qua apponebant quidquid habebant, et lautissimum epulum parassent, si modo potuissent. Etiam Hyrieus Fast. 503 *vultum addidit* verbis.

680 *haustum*, exhaustum, quod exstat in plurimis Mss., sed ex interpretatione fluxit. *Hauriuntur* et ea, ex quibus hauritur. *per se*. V. ad I, 102. *Supinae manus*, quae extolluntur sic, vt palma sursum pateat, qui fuit habitus precantium. Lambin. ad Horat. III od. 23, 1. *Concipere* nil nisi facere. *dapibus* etc. dapibus sine sumtu apparatis. *paratus*, apparatus, vt VI, 451.

685 Hoc quoque pietatis signum commode memoratur, et imagine grata sensibus subiicitur, *celer tardos fatigat, eluditque diu*. Bene etiam additum *vnicus*, quem, quia vnum habebant, magni faciebant. v. ad III, 454. *Custodia*, custos, vt XII, 148. Sic *tutela* mox vs. 711. Colum. VIII, 13. *Anser sollertiorem custodiam praebet, quam canis; nam clangore prodit insidiantem* cf. Met. XI, 599. *Eludere*, vt I, 592, vbi vid. not.

Ille celer penna tardos aetate fatigat,
Eluditque diu; tandemque est visus ad ipsos
Confugisse Deos. Superi vetuere necari;
Dîque sumus, meritasque luet vicinia poenas
Impia, dixerunt; vobis immunibus huius
Esse mali dabitur: modo vestra relinquite tecta,
Ac nostros comitate gradus; et in ardua montis
Ite simul. Parent ambo, baculisque leuati
Nituntur longo vestigia ponere cliuo.
Tantum aberant summo, quantum semel ire sagitta
Missa potest: flexere oculos, et mersa palude
Cetera prospiciunt, tantum sua tecta manere.
Dumque ea mirantur, dum deflent fata suorum;
Illa vetus, dominis etiam casa parua duobus,

691. *huius.* Vnus Heins. *vnis*, quod venustum Burm. indicat. 694. Olim edebatur, *Ite simul. Parent; et Dis praeeuntibus ambo Membra leuant baculis: tardique senilibus annis Nituntur* etc. Versus medius in Florent. S. Marci, Neap. Spirensi et vno Medic. manu recentiore adscriptus est margini. Primum Florent. S. Marci sic exhibet, *Ite simul. Parent ambo, baculisque leuatis*, et Spirens. rectius *leuati.* Cum caetera additamenta nugatoria viderentur, Heins. pro tribus vs. duo reposuit. (Heinsio accedit Bothius. Equidem tamen hunc versum retinere malim. Etenim illud *tardi senilibus annis*, quod Heinsius nugatoris commentum dicit, egregie illustrat vv. *Nituntur vestigia ponere.* Neque *dis praeeuntibus* ob antecc. *nostros comitate gradus* offendere possunt. Immo illud *praeeuntibus*, primâ syllabâ correptâ, non facile librarius sibi indulserit. E.) 697. Post h. vs. rursus duo eiecti a Ciofan. et Heins. Sunt autem hi, *Mersa vident, quaeruntque suae pia culmina villae. Sola loca* (vel *loco*) *stabant*, *dum deflent fata locorum.* (Hos vss. spurios euincit codicum auctoritas. Deest enim uterque versus in cod. Statii et Heidelb. Prior abest in primo Ciofani, Vrsin. duob. Vaticc. vtroque Hamburg. Oxon. Arundel. Thuan. Neap. pr. Palat. pr. Medic. et octo aliis, et in margine eum exhibent Capran. Florent. S. Marci et pr. Regius. Alter desideratur in omnibus fere Heins. codd. et in margine legitur in pr. Ciof. Vrsin. duob. Vaticc. et Capran. Damnant hos vs. etiam Capoferr. et Bothius. Posteriorem tamen defendit Duoza. Versu praecedenti autem pro *semel ire* in Neapol. et sec. Medic. exstat *fipire*, quod cum exemplis, Nuc. 145, Fast. II, 222 et 659, stabilire studuisset Heinsius, praetulit H. Voss. E.) 700. Pro *parua* Iunian. *pena*, quod ortum ex *plena* videtur, idque placebat Burm. *plena duobus*, tam angusta, vt vix duos caperet.

696 III Fast. 583, *nec longius abfuit inde; Quam quantum nouies mittere funda potest.* Cf. Homer. Il. π, 589. *Ire* de volante sagitta et alibi.

Vertitur in templum; furcas subiere columnae,
Stramina flauescunt, adopertaque marmore tellus,
Caelataeque fores, aurataque tecta videntur.
Talia tum placido Saturnius edidit ore:
Dicite, iuste senex, et femina coniuge iusto
Digna, quid optetis. Cum Baucide pauca locutus
Iudicium Superis aperit commune Philemon:
Esse sacerdotes, delubraque vestra tueri
Poscimus; et quoniam concordes egimus annos;
Auferat hora duos eadem, nec coniugis vmquam
Busta meae videam, neu sim tumulandus ab illa.

(704. Ante hunc vs. in nonnullis Ciof. et Heinsii cod. denuo interponitur versus, qui est nostrae edit. 683. Sed recte eum cum illis duumuiris reiecit Capoferreus. Videtur tamen hic vs. ansam dedisse lectioni *cum*, quam Heins. ex nonnullis codd. recepit. Reliqui libb. *tum*, quod recte reposuit Bothius cum Vossio)

701 Senec. Ep. 90 de casis priscorum hominum, *Furcae vtrinque suspensae fulciebant casam, spissatis ramalibus* etc. *Stramina*, quibus tecta casa, *flauescunt*, in aurum mutantur. Tribuitur quidem *flauus* color et auro, vt IX, 688; in primis tamen straminibus ipsis. Itaque h. l. e coniect. Capoferrei mallem, *fuluescunt*; nam auri *fulua* natura. Plin. 34, 2 s. 3. Sed restat alia difficultas. Mox rursus *aurata tecta* commemorantur. Olim haec verba alio ordine lecta sunt; Heins. enim ait, ex fide optimorum Codd. se ordinem verum restituisse. Lenzius igitur non male putat, Ouidium scripsisse, *Stramina flauescunt (fuluescunt) aurataque tecta videntur, Caelataeque fores, adopertaque marmore tellus.* [Sic aperte legitur in codd. Berol. et Heidelb., idque recte cum H. Vossio praetulit Bothius, qui etiam, reiecto Capoferrei *fuluescunt*, bene defendit *flauescunt*.] Fores *caelatae* etiam in regia Solis II, 6.

705 *Iustitia* summa virtus, quae reliquas complectitur omnes. E plurimis Mss. *iudicium* reuocandum putaui, quod Ciofan. paucorum [vnius suorum, vn. Vatic. Dominic. Caelest. Calandr. Iuret. et octo Heins.] auctoritate non bene in *consilium* mutauit; namque *iudicium* eleganter dr. quod consulto, deliberatione instituta, fit. Multi Mss. *indicium*, facili lapsu. *Poscere*, precari. Etiam Aen. VII, 443, *Diuum effigies et templa tueri* de aedituo, νεωκόρῳ. Non optant illi opes immensas, sed moderata satis ex pietate sua tam in Deos, quam mutua.

711 *tumulandus*, sepeliendus, vt supra VII, 361. Saepe eo verbo Noster vtitur, vsus eo est iam Catul. 65, 155. *fides sequitur*, quia fit, quod promiserant Dii. *tutela*, tutores, antistites templi. Supra III, 617, *tutela prorae. soluti*, fracti. *annis aevoque* sane eodem redeunt, sed nil lucramur, si cum Heins. *senioque* corrigimus. [Vulgatam defendit Bothius, et explicat per ἓν διὰ δυοῖν, annoso, longo aevo.] *gradus* templi, de quibus v. ad I, 375. *inciperent casus*, more aedituorum, qui peregrinis

Vota fides sequitur: templi tutela fuere,
Donec vita data est; annis aeuoque soluti
Ante gradus sacros cum starent forte, locique
Inciperent casus; frondere Philemona Baucis,
Baucida conspexit senior frondere Philemon:
Iamque super gelidos crescente cacumine vultus,
Mutua, dum licuit, reddebant dicta; Valeque,
O coniux, dixere simul, simul abdita texit
Ora frutex. Ostendit adhuc Tyaneïus illic
Incola de gemino vicinos corpore truncos.
Haec mihi non vani (neque erat cur fallere vellent)
Narrauere senes. Equidem pendentia vidi
Serta super ramos; ponensque recentia, dixi,
Cura pii Dîs sunt, et, qui coluere, coluntur.

715. *Inciperent* Burm. ex Neap. sec. Medic. et quinque aliis dedit, Vulg. *narrarent*. 717. *gelidos* e Juniano pro *geminos*, quod mox repetitur, amplexus est Burm. (Sed *geminos* sensus requirit, cum *gelidos* magnopere frigeat.) 720. Alii, *Fineius*, *Trineius*, *Thineyus*, *Tirinthius*, *Chineius*, *Tyreneus*. [*Thineius*, *Cineius*, *Tirinctius*. Berol. *hineius* cum glossa, *lelex filius tinei*.] 722. Vnus Medic. *nec erant, qui*. 725. Ita Heins. h. vs. correxit, (cui ac-

tradebant templi originem, sacra etc. *frondere*, frondescere, vt supra *patere* pro *patescere*. Fronduit autem Philemon in *quercum*, Baucis in *tiliam*, vs. 621.

720 *Tyaneius* haud dubie corruptum est. Tyana enim, vrbs Cappadociae, remota nimis est, quam vt incola eius arbores Phrygias ostendere potuerit. Lenzius putat, rem accidisse in confinio Phrygiae et Cappadociae, adeoque communem fuisse vtrique terrae. Hoc ferri posset, si modo constaret, Ouidium *Tyaneius* dedisse. Sed Mss. mirum in modum hic variant, et ita, vt ex ista varietate vix quidquam certi elici possit. [Bothius cor. *Sigeius* h. e. Phrygius, ex codd. lect. *Cineius*.] Mox reuocani antiquiorem lect. *gemino corpore*, quam Ciofan. e Vatic. Statii et vno suo in *gemina arbore* mutauerat, approbante Burm., qui truncos tantum arborum restitisse putabat, amissis vetustate ramis. Immo *rami* mox diserte memorantur. *Trunci* ergo sunt arbores, quae Lelegis tempore integrae restabant, vs. 620, et repetitur hic, quod maxime in iis memorabile, factas esse e *gemino corpore*.

724 *Sertis* aliisque donariis ornari solebant arbores, eaeque summa religione colebantur a praetereuntibus, nec facile quisquam eas violabat manu aut securi. v. Herald. ad Arnob. I. p. 22. [et quos Burm. ad h. l. citat.] *Colit* Deus homines, quando curam eorum gerit. Cic. N. D. I, 41. *Cur Deos ab hominibus colendos dicas, cum Dii homines non colant?* Lactant. Epit. 27, *vitam hominum excolere, eosque ab omni malo tueri*. [v. Heins.]

Proteus et Mestra.

Desierat: cunctosque et res et mouerat auctor;
Thesea praecipue: quem facta audire volentem
Mira Deûm, nixus cubito Calydonius amnis
Talibus adloquitur: Sunt, o fortissime, quorum
Forma semel mota est; et in hoc renouamine mansit.
Sunt, quibus in plures ius est transire figuras;
Vt tibi, complexi terram maris incola, Proteu.
Nam modo te iuuenem, modo te videre leonem;
Nunc violentus aper, nunc, quem tetigisse timerent,
Anguis eras; modo te faciebant cornua taurum.
Saepe lapis poteras, arbor quoque saepe videri.
Interdum faciem liquidarum imitatus aquarum
Flumen eras, interdum vndis contrarius ignis.
  Nec minus Autolyci coniux, Erisichthone nata,

cedit Burm. Sec. ad Lotich. p. 375., qui monet, Ouidium expressisse Homer. Il. α, 218. Plurimi codd. cum Palatinis, duobus Burmanni Sec. et Berol. *Cura deum dii sunt* vel *Cura dii dis sunt.* Vulgo tamen *sint* et *colantur*; sed castigatiores *sunt* et *coluntur.* Noricus, *Cura deum hi sunt*, vnde Sprengel. p. 41. cor. *Cura deum hi sint et* q. c. *colantur.* 731. *vis est* Cod. Berol. quod damnat Bothius. 734. Cod. Heidelb. *aper modo te tetigisse timerent.* Pro *quem* in primo Medic. et Spirensi *quam*, quod Heinsius ad IV, 494 probare videtur, vbi multa loca citat, quibus *anguis* foeminino genere adhibetur. E.)

FAB. VII, 726 fin. Exponitur de iis, qui formam habebant ambiguam, h. e. quibus licebat modo in hanc, modo in illam formam transire, in quibus *Proteus*, 726-730. et *Erisichthonis* filia. De *Proteo* locus class. Homer. Od. δ, 364 sqq., quem Virg. G. IV, 387 sqq. et Noster XI, 254 expresserunt. Tam *ambiguum* autem, vt II, 9 vr., Deum finxerunt haud dubie prisci auctores, quibus placebat aquam esse principium omnium rerum. Orph. hym. 24. V. Heyne ad Virg. d. l. [Conf. Clark. ad Homer. Od. δ, 455.]

728 Iacuerat in lectulo, nunc, cum narrare vult, *innixus cubito* se erigit. *Renouamen* pro transformatione aut noua forma noue dictum. *ius*, potestas concessa. In iis Thetis transformis XI, 241 sqq. Nereus secundum Pherecydem in Schol. Apollon. IV, 1396.

732 *complexi* etc. Homerus eum iuxta Pharum insulam collocat, Virg. in Carpathio mari, vt adeo illud figmentum cum philosophemate, vnde pendet, ex Aegypto originem traxisse videatur. Secundum Homer. vs. 417 omnia tentat fieri, ὅσσ' ἐπὶ γαῖαν Ἑρπετὰ γίνονται, καὶ ὕδωρ καὶ θεσπιδαὲς πῦρ, et vs. 456. fit leo, draco, panthera, ingens sus, liquida aqua, arbor. *videri*, cerni. *Interdum* etc. Virg. *Aut acrem flammae sonitum dabit aut in aquas tenues dilapsus abibit.* [cf. Horat. Serm. II, 3, 73.]

739 *Autolyci coniugem* Tzetzes ad Lycophr. vs. 410, et Lactant. in Argum. h. fab. *Me-*

Iuris habet. Pater huius erat, qui numina Diuûm
Sperneret, et nullos aris adoleret honores.
Ille etiam Cereale nemus violasse securi
Dicitur, et lucos ferro temerasse vetustos.
Stabat in his ingens annoso robore quercus;

740. *honores.* Plerique vetustiores *odores.* (743. *ferro lucos temerasse nefando.* cod. Heidelb. Sed *vetustos* recte praetulit Bothius.)

strum vocant, Palaeph. cap. 24 *Metram*, Antonin. Liber. cap. 17 *Hypermestram*. Pausan. vero Acad. p. 605 auctor est, Autolycum, Parnassi incolam, Mercurii, siue verius Daedalionis filium, vxorem habuisse Neaeram, Perei filiam. Quem dissensum ita componit Burm., vt Autolycum his matrimonium iniisse dicat. De Autolyci fatis v. Hygin. fab. 200, 201. Sed in hac fab. notabilius est *Erisichthonis* facinus et *fames*, quam Mestrae metamorphosis. *Erisichthon* enim, Thessalus, Triopae filius, cum domum sibi struere vellet, arbores in luco vetusto et Cereri sacro caedit. Triopam hoc fecisse tradunt Herodes Attic. in Inscript. et Hygin. P. A. II, 14. vid tamen Salmas. ad illam Inscript., et Spanhem. ad Callim. h. Cer. vs. 24. A quo conatu cum nec prodigiis, nec precibus deterreri posset, Ceres irata ei iniicit diram famem, qua absumitur. Cf. Diodor. V. p. 331, in primisque Callimach. h. Cer. vs. 23-116, qui et ipse fabulam copiose enarrauit. Hinc Scaliger Poët. V, 8, vtramque descriptionem ita comparauit, vt principatum deferret ad Ouidium; quam sententiam non probauit Ernestio. Is enim in Excursu h. in Cer. subiecto eam sub examen vocauit, docuitque, iniquum fuisse iudicem Scaligerum in comparandis his descriptionibus. Ipse magis fauere videtur Callimacho suo. Fortasse res ita expediri potest. Studet Callim. summae simplicitati, quam postulat hymnorum ratio; Ouidius contra id agit, vt omnia ingenii sui luminibus exornet. Habet igitur vterque suas in suo genere virtutes; plures tamen et maiores, vt equidem arbitror, Ouidius.

740 *numina Diuum*, Diuos. *honores* dignius, quam, sacrificia, quae adolentur in honorem Deorum. Virg. Aen. I, 49, *aris imponat honorem.* Noster X, 681, *turis honorem.* [v. Heins. et Burm.]

742 Iuxta Dotium, vrbem Thessaliae, prisci incolae *Cereri* consecrauerant *nemus*, quod copiosius describitur a Callim. vs. 27-30; quam descriptionem a Nostro omissam esse propterea, quod iam alio loco ea exornatione vsus sit, Ernesti monet. *violare* et *temerare* impietatem declarant Erisichthonis, qua caedebat arbores sacras, quod summum nefas. De v. *temerare* ad II, 592. *Templum* Cereris dirutum esse ab Erisichthone, tradit Hygin. P. A. II, 14, ex falsa haud dubie interpretat. voc. τέμενος, quod et templum et lucum Diis consecratum notat. v. Perizon. ad Aelian. V. H. 6, 1 p. 439.

744 *quercus* magis placet Scaligero et Annae Fabri, quam Callim. αἴγειρος, i. populus nigra, quia haec sterilis, nec quidquam ad Cererem. Ernesti contra monet, quercum, si quis hoc vrgere velit, non decere Cere-

Vna nemus: vittae mediam, memoresque tabellae,
Sertaque cingebant, voti argumenta potentis.
Saepe sub hac Dryades festas duxere choreas:
Saepe etiam, manibus nexis ex ordine, trunci
Circuiere modum; mensuraque roboris vlnas
Quinque ter implebat: nec non et cetera tanto
Silua sub hac, silua quanto iacet herba sub omni.
Non tamen idcirco ferrum Triopeius illa

746. Heins. maluit, *potentum.* 751. Sic locum constituit Heinsius, cui accedit Iac. Gronou. ad Macrob. Somn. Scip. II, 4. Vulgo enim cum Berol. legitur: *tantum Silua sub hac omnis, quantum fuit herba sub illa.* *Tanto* et *quanto* Florent. S. Marci, Bernegger. Cantabr. Spirens. pr. Hamb. pr. Gronou. pr. tert. et quart. Medicc. et alii. *sub omni* Heidelb. omnes fere Ciof. et castigatiores Heinsii. *iacet herba sub omni* pr. Erfurt. pr. Gronou. et Vnus Heins. *silua quantum fuit herba sub illa* Rottendorph. *quanta fuit herba sub arbore* prim. Medic. E.). 752. Mss. omnes, *Dryopeius.* Dryopes gens Thessaliae.

rem, quae dedocuerit homines vesci glandibus, et sterilitate per iram immissa cogat famem solari quercu. Addit, αἰγείρου voc. antiquiore sensu accipiendum pro arbore siluestri quacunque, praesertim grandiore. Nil refert, qualis arbor fuerit; et in magno luco varii generis arbores stetisse credibilile est. — Eam arborem Callim. breuiter sic describit: μέγα δένδρεον, αἰθέρι κῦρον, i. coelum tangens, quod bene altitudinem declarat. Sed Ouid. non minus eleganter amplitudinem exprimit, *Vna nemus*, tanta erat, vt nemus videri et dici possit. Sic etiam Heroid. XV, 159, [vbi v. Burm.] Plin. XVI, 44. *Vicina luco est ilex et ipsa nobilis XXXIV pedum ambitu caudicis — siluamque sola facit.* Etiam Martial. IX, 61 *nemus* vocat vnam platanum. *annoso robore* plenius, quam annosa.

745 Arbores taeniis, *vittis* etc. ornatae religiose colebantur a praetereuntibus; quem cultum rident scriptores veteres Christiani, Arnob. I. p. 22, Prudent. in Sym. II, 1009, vbi *arbor vittata.* Cf. supra vs. 723 s. — *Tabellae* votiuae drr. *memores*, quia inscriptio earum beneficia a Cerere impetrata celebrabat. *argumenta*, signa eius, qui voti *potens*, compos, factus erat. Alibi *votum potens*, cum fit, quod optamus.

747 Callim. vs. 38, Τῷ δ' ἔπι ταὶ νύμφαι ποτὶ τὤνδιον ἑψιόωντο, sub quo nymphae ad meridiem ludebant. De *festis choreis* nympharum v. ad vs. 581. *modus*, amplitudo. Corn. Nep. XI, 1 *hastae modum*, longitudinem, *duplicauit.* H. l. *modus trunci*, ipse truncus. *mensuram* non ipse definit poëta, sed a Nymphis inuentam esse ait.

751 *iacet* inseruit altitudini istius quercus declarandae; exprimit enim aliquid valde remoti. II, 179. [v. Heins.] *tanto*, scil. spatio.

752 *Triopeius*, Triopae filius. Callim. Τριόπεω γένος, *famulos*, quorum numerum, formam et arma recenset Callim. vs. 34. *sed et ipsa* etc. Eadem impietas vs. 894. *librat.* V. ad II, 311. *librare in obliq. ictus* alibi vno verbo *obliquare ensem.*

Abstinuit; famulosque iubet succidere sacrum
Robur: et vt iussos cunctari vidit, ab vno
Edidit haec rapta sceleratus verba securi:
Non dilecta Deae solum, sed et ipsa licebit
Sit Dea, iam tanget frondente cacumine terram.
Dixit: et, obliquos dum telum librat in ictus,
Contremuit, gemitumque dedit Deoïa quercus:
Et pariter frondes, pariter pallescere glandes
Coepere, ac longi pallorem ducere rami.
Cuius vt in trunco fecit manus impia vulnus;
Haud aliter fluxit, discussa cortice, sanguis;
Quam solet, ante aras ingens vbi victima taurus
Concidit, abrupta cruor e ceruice profusus.
Obstupuere omnes; aliquisque ex omnibus audet
Deterrere nefas, saeuamque inhibere bipennim.
Adspicit hunc, Mentisque piae cape praemia, dixit
Thessalus; inque virum conuertit ab arbore ferrum,
Detruncatque caput; repetitaque robora caedit:
Editus e medio sonus est cum robore talis:

759. Olim ed. *decidua*, quod quidam in *Dodonia* mutabant. Multi e veteribus, *Deoiăa*, vnde Heins. fecit *Deoïa*. (762. Cod. Heidelb. *Huius*, quod praefert Bothius.) 763. Olim *discusso*. Plerique, *discusso sanguine cortex*. Heins. mauult aut cum quarto Medic. *discussus sanguine cortex*, aut cum vno Strozzae, *discussa cortice sanguis*. (765. Wakefield. ad Lucret. V, 505 T. III, p. 85 monet: „Nisi ceruix credatur cultris *abscindi* corpore, quod factum non existimo, legendum dixerim *obrupta*.") 766. Heins. coni. *Obst. animis*, quia *omnibus* mox seq. 769. Pro *conuertit* Cantabr. *detorsit*, probante Burm. (771. Magna in hoc loco lectionis varietas, quam tamen Heinsius non accurate notauit. Olim cum Aldino aliisque Mss. legebatur: *Editus e medio sonus est*

759 Breuiter Callim. 'Α *πρέτα πλαγεῖσα, κακὸν μέλος ἴαχεν ἄλλαις. Deoia.* v. ad VI, 114. Cum tot puellae in arbores mutatae traderentur, Hamadryadesque arbores incolere crederentur, fieri haud poterat, quin ex opinione veterum aliquid tale accideret interdum, quale hic narratur. Cf. Apollon. II, 476 sqq. Simile aliquid habet et Virg. Aen. III, 24 sqq. Posteriore loco: *atro liquuntur sanguine guttae Et terram tabo maculant.*

766 *Omnibus* mihi videtur de industria repetitum, neque adeo sollicitandum. *Omnes* quidem obstupuere, sed ex *omnibus* non nisi vnus ausus est etc. *Deterrere nefas*, deterrere Erisichthonem a facinore atque ita impedire nefas. Similis breuiloquentia VII, 423. *Adspicit*, ὑποβλέπει, limis et toruis oculis adspicit. *repetita caedit*. V. ad IV, 734.

771 Apud Callim. vs. 41, Ceres ipsa statim sentit, arborem

Nympha sub hoc ego sum, Cereri gratissima, ligno:
Quae tibi factorum poenas instare tuorum
Vaticinor moriens, nostri solatia leti.
Persequitur scelus ille suum: labefactaque tandem
Ictibus innumeris, adductaque funibus arbor
Corruit, et multam prostrauit pondere siluam.
Attonitae Dryades damno nemorisque, suoque,
Omnes germanae, Cererem cum vestibus atris
Moerentes adeunt; poenamque Erisichthonis orant.
Adnuit his, capitisque sui pulcherrima motu
Concussit grauidis oneratos messibus agros;
Moliturque genus poenae miserabile, si non
Ille suis esset nulli miserabilis actis,
Pestifera lacerare Fame. Quae quatenus ipsi
Non adeunda Deae (neque enim Cereremque Famemque
Fata coire sinunt) montani numinis vnam
Talibus agrestem compellat, Oreada, dictis:
Est locus extremis Scythiae glacialis in oris,

de robore talis. Berol. aliique *Editus et medio de robore.* Alii, *en medio, tunc robore, quoque robore etc.* Quatuor Ciofani e dd. *Cum sonus auditur medio de robore talis.* E.). 779. Barber. *Et nece germanae*, vnde Heins. coni. *nece germana.* (786. *d-ae est* maxima pars codd. 788. Bothius cor, *agrestis*, vt intelligatur ipsa Ceres, quae opponitur Oreadi, deae *montani numinis.*)

suam caedi. Assumta igitur sacerdotis specie, Erisichthonem morata satis oratione a facinore deterret. Ille vero minatur, se sacerdoti securim in corpus libraturum. Hinc Dea augustissima et immensa statura se ei exhibet, quo facto in fugam se dant famuli.

781 Nutu concutit agros, vt Iupiter coelum, I, 179, et Neptunus vndas supra vs. 603 s. *Grauidi* pr. agri, sed poëtis etiam messes et aristae. *miserabile,* misericordiam excitans, sed mox *miserabilis*, commiseratione dignus. *lacerare* grauiter, vexare. *Fata nol inunt* etc. quae per rerum naturam fieri nequeunt, v. c. vt alimentorum copia et fames vna sint. *numinis* collectiue, numinum.

789 Cum locum horrendum designare vellent poëtae veteres, *Scythiam* fere nominabant, de cuius frigoribus vid. ad II, 224. Egregie autem patriam Famis describit. Cf. ex Pont. I, 3, 49 sqq. III, 1, 11 sqq. [vid. Ciofan.]. *Tristitia soli* est in ipsa *sterilitate.* Putem scribendum *Triste coelum.* [Contra metrum.] Ita hic loc. similis erit illi Horat. I od. 22, *pigris vbi nulla campis Arbor aestiua recreatur aura; Quod latus mundi nebu-*

Triste solum, sterilis, sine fruge, sine arbore tellus;
Frigus iners illic habitant, Pallorque, Tremorque,
Et ieiuna Fames; ea se in praecordia condat
Sacrilegi scelerata, iube; nec copia rerum
Vincat eam, superetque meas certamine vires.
Neue viae spatium te terreat, accipe currus;
Accipe, quos frenis alte moderere, dracones.
Et dedit. Illa dato subuecta per aëra curru
Deuenit in Scythiam; rigidique cacumine montis
(Caucason adpellant) serpentum colla leuauit;
Quaesitamque Famem lapidoso vidit in agro,
Vnguibus et raras vellentem dentibus herbas.

(793. Berol. et multi Heinsii codd. *ne copia.*) 796. Pro *alte* Gebhard. II. Crep. 17 ex Mss. legit *alites*, quam vocem in duas syllabas contrahit. Nil mutandum. Vs. 814 *versis sublimis habe-lae malusque Iupiter vrget. iners*, ab effectu, alibi *ignauum* aut *pigrum frigus.* — *Habitant* non mutandum; etenim saepe Noster, vt monet Burm., praemittit verbum plurale sequentibus nominibus singularis numeri.

794 *meas vires*, abundantiam frugum, quas ego largior. *Certamen* illud infra describitur. De Cereris *draconibus* et *curru* v. ad V, 642.

799 *Caucasus* frigoris et horridae solitudinis imago apud poëtas. [v. Ciofan.]

800 Sequitur insigne rursus exemplum phantasiae Ouidianae in hac Famis prosopopoeïa, cuius foedam et odiosissimam imaginem ita ante oculos ponit, vt lectori item ferme accidat, quod Nymphae vs. 812 *Visa tamen sensisse Famem*. Si quis pictor aut statuarius hanc imaginem exprimeret, nemo eius adspectum sustineret. Recte Ernesti de hac prosop. et de imagine Erisichthonis iam somniantis cibum. „Quae nisi admirer, nihil viderim." Omnibus istis bonis caret Callim. qui vnum illud monet, Cererem ei iniecisse ardentissimam et improbam famem. Cum h. l. cf. Quinctil. Decl. XII, p. m. 210. Sil. II, 461. Claudian. 15, 21 sqq.

801. Heins. ex Ms. Bonon. dederat, *raras*. Burm. tamen reuocauit *raris*, cum quia reliquis omnibus, vt crini, labris, faucibus etc. epitheta, quae deformitatem designant, addita sunt, tum quia omnes, praeter vnum Cod. ita exhibent. Ego vero Heins. secutus sum. Nondum enim poëta Famem describit, sed eius agrum *raras* herbas habentem. Et quo iure Fami *raros dentes* dedisset? Dentes enim illa non excitit. *Caua lumina*, quia fames exedit puluillos carnis, qui cingunt oculos, eosque tollunt. Quinctil. *cauum macie caput, conditi penitus oculi, destitutae genae.* Claudian. *oculi iacentes interius.* Labra etiam absumta fingere potuisset. Quinctil. *nudos labris trementibus dentes.* Mox reuocaui *scabri dentes*, quod Ciof. et Heins. prae altero *scabrae fauces* spreuerant. Ouidius non nisi externam Famis formam describit, faucium autem *rubigo* non aeque ac Quinctil. *inanes faucium sinus*, cerni poterat. Neque den-

Hirtus erat crinis; caua lumina; pallor in ore;
Labra incana situ; scabri rubigine dentes;
Dura cutis, per quam spectari viscera possent;
Ossa sub incuruis exstabant arida lumbis;
Ventris erat pro ventre locus; pendere putares
Pectus, et a spinae tantummodo crate teneri.
Auxerat articulos macies, genuumque rigebat
Orbis, et immodico prodibant tubere tali.
Hanc procul vt vidit (neque enim est accedere iuxta
Ausa), refert mandata Deae; paullumque morata,
Quamquam aberat longe, quamquam modo venerat illuc,
Visa tamen sensisse Famem; retroque dracones
Egit in Haemoniam, versis sublimis habenis.
Dicta Fames Cereris (quamuis contraria semper
Illius est operi) peragit; perque aëra vento

nis. Ita et V, 648. VII, 222. (803 *Labraque cana* Berol. et sex Heins. Mss. Pro *situ* plurimi *siti*, quod placet H. Vossio, *scabrae fauces* codd. fere omnes, *scabri dentes* tuitus est Graevius.) 804. Vnus Medic. *Dira.* Pro *spectari* Louan. *numerari*, quod valde abblanditur Burm. vt VI, 391 *numerare fibras.* (808. *rigebat* ex Domin. Arondel. Berol. duobus aliis dedit Heins. Reliqui, *tumebat.*) 809. Heins. e Florent. S. Marci et vno Bonon. placet *tubera talo*, non item Burm. quia *tali*, qui in pinguibus latent, in Fame velut *tuber* prodierint. (813. *Famem est* Berol.) 816. *vento.* Neap. sec. Medic. prim. Basil. primus Hamb. et pro diuersa lect. Florent. S. Marci, *vecta.* G. —

tes antea descripti, sed obiter tantum memorati erant. *Dura*, densata succis exsiccatis. Cf. VII, 559. Quinctil. vero *laxam cutem* habet, *luridam* Silius. *Ossa* etc. Pro his Quinctil. *tergum ossibus inaequale.*

806 Ingeniose *ventris* etc. Sic. XIII, 564 *loca luminis.* II Fast. 280, *Hic ubi nunc vrbs est, tum locus vrbis erat.* — *Pendere*, non inuiti ventri. *Auxerat* etc. Lenzius, longiora reddiderat membra. Malim, fecerat, vt plures articuli, qui proprie dicuntur, in conspectum prodirent, *immodico* etc. At eorum, qui fame laborant, pedes tumescunt, cum alia membra marcescant. Inde Hesiod. Scut. 264 homo inedia confectus γουνοπαχής. Vid. Graeu. Lectt. Hesiod. cap. 19.

810 Similis auersatio Mineruae, conspecta Inuidia, II, 766. *quamquam* non sine vi repetitur; inseruit enim festinationi et auersationi Nymphae describendae.

816 Adeo leuis erat prae macie fames, vt *vento* ferri posset. Burm. Et opus erat tali vehiculo, quia Fames tarde incedit et corpus trahit. *solutum.* V. ad VII, 185. Cum tot Dii *alati* fingerentur, etiam Fami *alas* dare Ouidius potuit. Sic *Furia alata* Aen. VII, 408. [v. Heins. et Burmann.] Vulgo tamen h. l. *vlnis.*

Ad iussam delata domum est; et protinus intrat
Sacrilegi thalamos: altoque sopore solutum
(Noctis erat tempus) geminis amplectitur alis;
Seque viro inspirat, faucesque et pectus et ora
Adflat, et in vacuis spargit ieiunia venis.
Functaque mandato fecundum deserit orbem;
Inque domos inopes, adsueta reuertitur antra.
Lenis adhuc somnus placidis Erisichthona pennis
Mulcebat. Petit ille dapes sub imagine somni;
Oraque vana mouet, dentemque in dente fatigat;
Exercetque cibo delusum guttur inani;
Proque epulis tennes nequicquam deuorat auras.
Vt vero est expulsa quies; furit ardor edendi,
Perque auidas fauces, immensaque viscera regnat,

820. *pectora* cod. Berol., quod arridet Bothio, quoniam asper numerus in re tristi venustus sit. 821. *spargit* ex pr. Basil. tert. Medic. pr. Vatic. excerpt. Iuret. Berol. et octo aliis dedit Heins. Duo *sparsit*. Gronou. Palat. et undecim alii *peragat*. Reliqui *peragit*, prob. Burmanno. 826. Berol. *in dente refringit.* 830. *immensaque guttura* Berol. et tert. Gronou. Nonnulli libri, *emersaque* vel *Immersaque*. E. —

[Sed *alis*, quod plurimi codd. exhibent, probat etiam Burmann. Sec. ad Propert. I, 3, 45 p. 44.] *Se inspirat*, Fames persona edendi rabiem inspirat. Simile quid XI, 621. *in vacuis venis.* Silius, *exurit siccatas sanguine venas.*

824 Sequitur imago somniantis cibum, quam admiremur non minus, quam superiora. Somnus est Deus *alatus*. [vid. Heyn. ad Tibul. II, 1, 89, et Burm. Sec. ad Propert. l. c.] Sic apparet in monumentis, v. c. apud Gruter. Thes. CCCIV, 9. Cf. Cuperi Apotheos. Hom. p. 178. Propert. I, 3, 45, *dum me iucundis lapsam sopor impulit alis.* — *Mulcere*, vt μαλάσσειν et μαλθακίζειν, eleganter de somno. v. Valken. ad Eurip. Hippol. vs. 303. *Sub imagine somni*, somnians. IX, 473, 79. Iam in descriptione frustra mandentis singula verba bene delecta. *Vana* pro aduerbio, frustra. *Fatigare* eleganter de rebus, quibus quis abutitur. *Exercere*, vsque occupatum tenere et sic labores creare. *Inania*, quae per quietem obiiciuntur. Apud Sil. I, 69 Hannibal somnians *inania bella gerit.*

829 *ardor edendi.* Callim. vs. 67, λιμὸς αἴθων, ardens fames. Eidem βούπεινα et βούβρωσις dicitur, de quibus v. Spanhem. ad vs. 103. Bene *immensa*, quia expleri et satiari haud poterant, quasi immensa essent. Erant immensa vorago, aut immensum mare. Mox *alti voragine ventris.* Ib. 387, *vasta Polyphemi aluus.* Boeth. Metr. 9, *immanis Polyph. aluus.* Burmann. tamen probat coniect. Heinsii, *incensaque*; hoc enim *ardori edendi*, praecedenti *auidas* et mox *flammas gulae* respondere. *fauces auidae* bene memorantur, quia voraces seruiunt fauci. In de-

Nec mora: quod pontus, quod terra, quod educat aër,
Poscit; et adpositis queritur ieiunia mensis;
Inque epulis epulas quaerit; quodque vrbibus esse,
Quodque satis populo poterat, non sufficit vni:
Plusque cupit, quo plura suam demittit in aluum.
Vtque fretum recipit de tota flumina terra,
Nec satiatur aquis, peregrinosque ebibit amnes;
Vtque rapax ignis non vmquam alimenta recusat;
Innumerasque trabes cremat; et, quo copia maior
Est data, plura petit; turbaque voracior ipsa est:
Sic epulas omnes Erisichthonis ora profani
Accipiunt, poscuntque simul. Cibus omnis in illo

835 Prior Gronouii, *Plusque sitit*, quod Heins. venustum iudicat, nempe quia *sitire* omnino, cupidum esse. Idem cum Graeviano aliisque nonnullis *capit* etiam posse legi putat. 840. *petit.* Alii *capit.* Bouon. *sitit.* (Berol. *plure placent.*)

scribenda autem hac voracitate Callim. expressisse videtur, quod etiam Scaliger fatetur.

831 *Educat*, alit. Horat. I Epist. 15, *Tractus vter plures lepores, vter educet apros. Inque epulis* etc. sententia ingeniosa, quales plures sequuntur vs. 841 s. *quaerere*, desiderare. II Amorr. 2, 43 de Tantalo, *Quaerit aquas in aquis. — Quodque vrbibus* etc. prodigialiter rem auxit.

835 Callim. vs. 69, σχέτλιος ὅσσα πάσαιτο, τόσων ἔχεν ἵμερος αὖτις.

836 Callim. 90, τὰ δ' ἐς βυθὸν οἷα θαλάσσας Ἀλεμάτως ἀχάριστα κατέρρεεν εἴδατα πάντα. Paulo ante, πανάμερος εἰλαπιναστὰς Ἤσθιε μυρία πάντα· κακὰ δ' ἐξάλλετο γαστὴρ Αἰεὶ μᾶλλον ἔδοντι. *Demittere* interdum librarii pro longe efficaciore *demergere* reposuerunt. XV, 105. in Ibide vs. 387. Phaedr. IV fab. 5, 9, *auidis dentibus Capacis alui mersit tartareo specu.* [Sed in lect. *demittit* conspiraut codd. omnes.] — *Recipit*, quia omnes aquas habent ex mari. Quamquam *recipere* etiam pro *accipere*, quod IV, 440 in eadem similitudine legitur. Sqq. *vtque rapax — ipsa est*, redundantia verborum vrgentur. *Trabes* cum vno Ciofan. Caelest. Florent. S. Marci, Iuret. Moret. et vno Heins. malui quam *faces*, quia igni tam rapaci accommodatius.

842 Quod vs. 835 simpliciter dixerat, *Plusque cupit* etc. id nunc pluribus oxymoris exaggerat. Apud Callim. 114 absorbet βαθὺν οἶκον, *lautam rem familiarem.* Deinde commemorantur pecora, quae ex stabulis vorauerit, mali, equi, boues, feles etiam. *Voraginem* patrimonii Cic. Sext. 52 hominem nepotem dixit. Similia ap. Horat. I Ep. 15 extr. de edaci parasito leguntur. *inattenuata*, non fracta, non satiata. Vsus est h. v. quia dixerat, *Attenuarat opes. — alti ventris.* Sueton. Vitell. 13, *profunda gula. — implacatae*, insatiabilis. Horat. Sat. II, 8, 5, *Placauerit ventrem iratum esca.* Infra XV, 94.

Caussa cibi est; semperque locus fit inanis edendo.
Iamque fame patrias altique voragine ventris
Attenuarat opes; sed inattenuata manebat
Tum quoque, dira fames; implacataeque vigebat
Flamma gulae. Tandem, demisso in viscera censu,
Filia restabat, non illo digna parente.
Hanc quoque vendit inops. Dominum generosa recusat;
Et vicina suas tendens super aequora palmas,
Eripe me domino, qui raptae praemia nobis
Virginitatis habes, ait. (Haec Neptunus habebat.)
Qui prece non spreta, quamuis modo visa sequenti
Esset hero, formamque nouat, vultumque virilem
Induit, et cultus piscem capientibus aptos.
Hanc dominus spectans, O qui pendentia paruo

(851. *raptae* recte reposuit ex codd. suis Ciofan., cum in quibusdam libb. legeretur *nostrae*. *raptae qui* vtpote numerosius ex Heidelb. praefert Bothius. E.) 853. Burm. cum quibusdam maluit, *formamque nouam*. Sine caussa. G. — 855. *cultus* recte reposuerunt ex codd. Naugerii, Calandr. vno Medic. et vno. Palat. Vulgo, *vultus*. *piscem*, ex pr. et sec. Medic. Florent. S. Marci, Neap. Bernegger. Thuan. pr. Hamburg. et sex aliis dedit Heinsius. Reliquorum *pisces* probat Bothius. 856. Pro *paruo* Waddelus Animaduerss. Crit. p. 112 cor. *prauo*, cum *cibus* ille in-

847 *censu*, opibus. Deuoratis bonis apud Callim. mendicans sedet in triuiis. Noster autem redit ad Erisichthonis filiam, cuius caussa omnem hanc narrationem instituerat, vs. 739. Transformis fuisse forte fingebatur, quia omnia tentauerat, vt patrem aleret. Eius atauus *Neptunus* ap. Callim. vs. 97. Sed hic alia caussa eum mulieri iungit.

855 *Cultus* etiam ad instrumenta piscatoria referendus. Ornate piscatorem describit. *aera*, hamus. Etiam VI Fast. 240, *Quique tegunt paruis aera recurua cibis.* — *Sic* adhibetur, cum obtestando aliquid ab altero petimus, eique vicissim aliquid apprecamur. [Heroid. III, 135. Fast. IV, 525. Burm. Sec. ad Propert. III, 4, 2 p. 521. Koeppen. ad Horat. I od. 3, 1. Tom. I, p. 53.] H. l. votum piscatori gratissimum. *Composita*, quaecunque placida, vt homo a feritate ad mansuetudinem reuocatus, ciuitas pace fruens, mare ventis non agitatum. *Credulitas* piscium etiam XIII, 934.

Aera cibo celas, moderator arundinis, inquit,
Sic mare compositum, sic sit tibi piscis in vnda
Credulus, et nullos, nisi fixus, sentiat hamos:
Quae modo cum vili turbatis veste capillis
Litore in hoc steterat, (nam stantem in litore vidi)
Dic, vbi sit; neque enim vestigia longius extant.
Illa Dei munus bene cedere sentit; et a se
Se quaeri gaudens, his est resecuta rogantem:
Quisquis es, ignoscas; in nullam lumina partem
Gurgite ab hoc flexi, studioque operatus inhaesi.
Quoque minus dubites, sic has Deus aequoris artes
Adiuuet, vt nemo iamdudum litore in isto,
(Me tamen excepto) nec femina constitit vlla.
Credidit, et verso dominus pede pressit arenam;
Elususque abiit. Illi sua reddita forma est.
Ast vbi habere suam transformia corpora sentit,
Saepe pater dominis Triopeïda vendit. At illa
Nunc equa, nunc ales, modo bos, modo ceruus abibat;
Praebebatque auido non iusta alimenta parenti.
Vis tamen illa mali postquam consumserat omnem
Materiam, dederatque graui noua pabula morbo;

sidiosus sit. Est tamen haec correctio non minus superflua, quam Heinsii *parco*. 860. *cum viridi* Barberin. et Berol. 872. *suam* pro *filiam suam* duriusculum esse iudicat Bothius, et corrigit *satam*.

863 *a se se quaeri* dictum, vt II, 704, *Me mihi prodis? resecuta* v. ad VI, 36. *studio*, piscationi, *operatus*, operam dans. Supra VII, 751, *studiis operata Dianae*. Virg. Aen. III, 136, *Connubiis operata iuuentus*. *inhaesi* attentionem declarat. *artes* i. q. studium. Posterior pars responsionis non satis conuenit priori, qua negat se vllam in partem oculos flexisse.

872 *transformia*, quae transire possunt in alias formas. Fast. I, 373, *Transformis Proteus*. Palaephat. cap. 24 putat, amantes ventitasse ad formosulam Mestram, tauros, equos, oues offerentes, quibus Erisichthon pater ditesceret. Hinc fluxisse fabulam.

877 *Materiam*, opes, rem familiarem. In seqq. haesere interpretes. Schirach. *dare noua pabula morbo* explicat, augere

Ipse suos artus lacero diuellere morsu
Coepit, et infelix minuendo corpus alebat.
Quid moror externis? etiam mihi saepe nouandi
Corporis, o iuuenes, numero finita potestas.
Nam modo, quod nunc sum, videor; modo flector in anguem;
Armenti modo dux vires in cornua sumo,
Cornua, dum potui; nunc pars caret altera telo
Frontis, vt ipse vides. Gemitus sunt verba secuti.

881. Henr. Voss. cor. *o iuuenis.* 884. *dum potui* ex Iuret. Florent. S. Marci, Neap. sec. Medic. Arondel. Berol. et quatuor aliis edidit Heinsius, vt oratio sit elliptica pro: *Cornua sumsi, dum potui.* Vulgo, *dum sumsi.* Codd. Briant. tert. Medic. et sec. Vatic. *dum gessi.* E.

morbum. Sed Vir doctus non curabat totam sententiam, cum haec scriberet. *Vis mali,* i. morbus ille grauis, augebat morbum. Vere haud dubie Burm. coni. *deerantque graui n. p. m. lacero,* lacerante. *Lacerari morsu,* i. morderi, dixit Phaedr. II, 3, 1.

881 *numero finita;* quia in taurum tantum et anguem mutari poterat, cum Proteo in omnia transire liceret. *flector,* mutor, sed accommodate ad naturam anguium. II, 138. *Vires in cornua sumo,* cornibus valeo.